BIBLIOTECA NAZ.
150
D
23
NAPOLI

102 N. 23

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
150
D
23
NAPOLI

Digitized by Google

162. 7. 67

Digitized by Google

BIBLIOTHECA
HISTORIAE
LITTERARIAE
SELECTA

CVIVS
PRIMAS LINEAS DVXIT
BVRC. GOTTH. STRVVIVS
ICTVS ET HISTORICVS IENENSIS

POST
VARIORVM EMENDATIONES
ET ADDITAMENTA
OPVS ITA FORMAVIT
VT FERE NOVVM DICI QVEAT
IOHANNES FRIDERICVS IVGLER
MAGNAE BRIT. REGI A CONSILIIS ET ACAD.
EQVESTR. LVNEB. INSPECTOR.

TOMVS III. ET VLTIMVS.

cum Priv. S. R. Maieſt. Polon. et Seren. Elect. Saxon.

IENAE
SVMPT. CHRISTIAN. HENR. CVNONIS
CIƆ IƆCCLXIII.

VA1 1506976

Digitized by Google

AD

LECTOREM

AVCTORIS EPISTOLA.

Tandem igitur coeleſti contigit beneficio, vt Bibliothecam litterariam, vllis ſine impedimentis, abſoluere integram potuerim. Iam enim Tomum tertium, eundemque vltimum, Tibi exhibeo, non minori, quod praefiſcine dixerim, diligentia elaboratum, quam priores. Eorum certe nihil praetermiſi, quae Lectoribus in hoc ſtudio ampliſſimo videbantur vtilia eſſe. Idque peregi eo maiori mentis ardore, quo clarius Struuiano ex labore perſpexi, tam diu manibus meis peruolutato, eum ipſum, quam-

quam nouis ante duo prope luſtra recuſum acceſſionibus, noſtro hoc ſaeculo non niſi leuibus ſcriptis debere adiungi. Abſit longiſſime, vt verbis his de Viri meritiſſimi fama, aliis Voluminibus melioribus comparata, detractum aliquid velim. Satis excuſant Auctorem tempora, quibus libellum ſuum luci expoſuerat: ſatis omnem ab eo culpam amouent negotia grauiora, quae poſt ea magis magisque ab illis ipſum deliciis retraxere.

In Capite de libris prohibitis ſedulo caui, ne magni momenti aliquis facile deſideretur. Quumque STRVVIVS de Vniuerſitatibus litterariis, quas vulgo Academias adpellamus, nihil plane obſeruaſſet, ego plerisque fore iucundum credidi, ſi de praecipuis in omni Europa potiora interſererem. Factum id loco maxime conuenienti, vbi eruditorum Societates recenſentur. Poſtremum de typographia Caput infinitis mihi laboribus ſtetit, propterea, quod plurimi, qui hoc pertractarunt argumentum, centies hallucinati ſunt; atque id quidem notatu facillimum erat, niſi verendum fuiſſet, ne immoderatius excurreret oratio. Interim adhibitis, quorum ferax admodum

dum

dum fuit aetas noſtra ſubſidiis praeſtantiſſimis, protuliſſe me ſpero certa plerumque ac fide digna, iuſtumque in ordinem redacta.

Praeter haec diffiteri nequeo, paſſim typothetarum menda irrepſiſſe, maxima vero ex parte ita comparata, vt ſtatim incurrant in oculos, nec turbent verborum ſeriem atque dirumpant. Indicaui ſub finem varia, quae caſu fortuitoque obuenerunt; non ſingulas enim paginas perluſtrare adcuratius licuit. Quae reſtant, Tuae, LECTOR HONORATISSIME, humanitati confidunt. Poſſum ego MAITTAIRII ad me verba adcommodare, qui *Annal. typogr. Tomo I. p. 288.* ita loquitur: *Vehementiſſime doleo, me huic Operi, quod mihi nunc in manibus eſt, corrigendo ob loci, vbi imprimitur, diſtantiam adeſſe praeſentem non poſſe; vereorque, ne abſentia mea, (quum vel praeſens nequeam ſatis eſſe oculatus,) erratis frequentiſſimis locum dederit.*

Indices noli mihi tribuere. Cohortatus tamen ac vehementer obteſtatus bibliopolam ſum, vt, pro ſuo bonas iuuandi litteras ſtudio, curam hanc viro demandaret, ad id agendum ſatis idoneo et

 habili,

habili, quum haud ego ignorem, quantum interſit legentium, eiusmodi Opera non deſtitui amplis opportunisque Scriptorum ac rerum tabulis. Atque haec praefari Tomo vltimo, iam exeunte menſe Maio anni ſuperioris, neceſſe habui. Calamitates autem bellicae, et alia non memoranda, molitionem librarii aliquantulum retardarunt. Vale nunc, LECTOR, et quae Tuum ad vſum paraui, aequi bonique conſule. Scrib.

Luneburgi, die 2. m. Iunii,

cIↃ IↃ CCLXIII.

BIBLIO-

BIBLIOTHECAE
HISTORIAE LITTERARIAE
CAPVT NONVM
DE
LIBRIS MERITO,
AVT PERPERAM DAMNATIS, ET PROHIBITIS,
VEL
SVSPECTIS MINIMVM ET
PARADOXIS.

---

§. I. *Scriptores, qui generatim de iure libros probibendi egere.*

§. II. *Scriptores hiſtorici et critici de Pontificiorum Indicibus libr. probibit.*

§. III. *Ipſi Indices Pontificii librorum probibit. et expurgandorum.*

§. IV. *Diuiſio librorum eiusmodi in duas claſſes principes. Ex* atheis, *vel recte, vel immerito, ſic dictis, primum huc pertinet liber de tribus impoſtoribus.*

§. V. *De Pomponatio, Machiauello, Perierio.*

§. VI. *De Portio, de la Vallée et Bruno.*

§. VII. *De Vanino atque Campanella.*

§. VIII. *De Spinoza et eius ſectatoribus, ac primum de Boulainvillerio.*

§. IX. *Continuatio huius argumenti de Cupero, Stoſchio, van Leenhof, Wirmarſio, et Lau.*

§. X. *De Knutzenio, Lysczinskio, Tolando, Edelmanno, ac de la Mettrie.*

§. XI. *De* deiſtis et naturaliſtis, *ſcilicet* Bodino, *Puccio, Herberto de Cherbury, ac Hobbeſio.*

§. XII. *De Peyrerio, l' Hiſtoire des Sevarambes, Tindalio, Woolſtono,*

§. XIII. *De Mandevillio, Collino, Barone de Hontan, Morgano, et Radicato, Comite Paſſerano.*

§. XIV. *De Princeſſes Malabares, Voltairio, Marchione d' Argens, de la Serre, Diderotio, et Hazfeldio,*

§. XV. *De* indifferentiſtis *quibusdam*, Brovn, *Ludouici, Dippelio, et Zinzendorfio, Comite.*

§. XVI. *De* fanaticis, *Georgi, Lautenſackio, Schwenckfeldio, Weigelio, Stiefelio, Metho, ac Boehmio.*

§. XVII. *De Kuhlmanno, Jana Leade,* Labadie, *Bourignonia, et Poireto.*

§. XVIII. *De Roſaecrucianis, ſpeciatim Gutmano.*

§. XIX. *De libris* propheticis *Lichtenbergeri, Noſtradami, Kotteri, Poniatouiae, ac Drabicii.*

§. XX. *De libris* cabbaliſticis *Piſtorii, Mori, Knorrii, Kunrathi et Wachteri.*

§. XXI. *De libris* myſticis, *praecipue Hoburgii et Fenelonii.*

§. XXII. *Paradoxi alii in* veritatem doctrinalem *peccantes, ſcilicet Seruetus, Ochinus, Poſtellus, Stellerus.*

§. XXIII. *Huc et ſpectant* magici, *qua occaſione de Agrippa, Clauiculis Salomonis, Fauſto, et Mengo agitur.*

§. XXIV. *Paradoxi* veritati morali *repugnantes; vbi primum Scriptores de Polygamia licita:*

§. XXV. *Deinde libri* Sotadici *potiores recenſentur.*

§. XXVI. et

§. XXVII. *De libris* ſeditioſis, *qui ſtatum turbant publicum, Roſſaei, Marianae, Machiauelli, Hobbeſii, Scioppii, Greislauii, Hippol. a Lapide, Conſtant. Germanici, de Roſieres; quo et* Chymici *referendi. Concluſio huius Capitis de libris prohibitis generatim.*

§. I.

Deſideratur adhuc ſufficiens et adcurata Hiſtoria librorum prohibitorum generatim. Quam ſi quis, hoc in ſtudio probe verſatus, moliri vellet, is profecto digniſſimum plauſu laborem ſuſciperet. Mihi iam id curae potiſſimum erit, vt praecipua huius argumenti in ſcenam producam, et, quae mihi paſſim obuenere, ſingularia, breuiter comme-

commemorem. Iam ſaeculo XIII. ALBERTVS MAGNVS in *ſpeculo* ſuo *Aſtronomiae* de libris Aſtronomiae licitis et illicitis, deque Auctoribus eorundem ac titulis egit. Excuſus eſt libellus, hodie parum vtilis, *Lugduni a. 1617. in 12.* atque inter *Opera* eius, *ibidem a. 1651. in f.* Tomis XXI. collecta. Magis vtique commentari meretur IAC. GRETSERVS, cuius libri II. *de iure et more prohibendi, expurgandi, et abolendi libros haereticos et noxios, Ingolſtadii, a. 1603. in 4.* prodiere. Acceſſit eiusdem *Supplementum ibid. a. 1604. ead. forma.* Recuſus fuit labor hic in Auctoris *Operibus, Ratisbonae a. 1734. ſq.* coniunctim exhibitis, et quidem *Tomo XIII. p. 1. ſq.* Iniquiſſimus licet in Proteſtantium, vt vulgo dicuntur, coetum ſit liber iſte, complectitur tamen aliqua, quae digna ſunt omnino notatu. In praefixa Praefatione de eo agit, quod Caluiniani Lutheranorum, atque hi illorum libros prohibeant. Tum in libro priore exemplis paganorum, primae eccleſiae, haereticorum, imo ex ipſa etiam ratione probat, libros haereticos, noxios, laſciuos et impuros prohiberi merito vel expurgari. Inter haec factum ſimul Lutheri examinat, quod Vitembergae Ius Canonicum combuſſerit. In libro poſteriore reſpondet ad argumenta Franc. Iunii et Ioh. Pappi, quippe quibus nimius Pontificiorum libros prohibendi diſplicuerat pruritus. GVIL. CAVE de libris his Gretſerianis iudicium legi poteſt in eiusdem *Prolegomenis, Scriptor. eccleſiaſtic. Hiſtor. litterariae* praemiſſis, *p. m. 14.* vbi praecipue ſic ait: *In his omnibus non ſine praeclaro quidem eruditionis adparatu, ſed fide et ingenio plane Ieſuitico, id eſt, vafro ſubdoloque, cauſſam ſuam agit.* Oppoſita fuit Gretſero IAC. LAVRENTII Diſſertatio *de libris Gentilium, Iudaeorum, Turcarum, Patrum, Pontificiorum, tolerandis, Proteſtantium vero prohibendis, Amſtael. a. 1619. in 8.* An cum rei ſacrae et ci-

uilis commodo, aut detrimento, editio librorum fieri queat, diſquiritur in IOH. MICH. BONHOEFERI Diſſert. *de inſpectione librorum*, *Vitemb. a. 1676. in* 4. prout obſeruauit doctiſſimus FRANCKIVS in *Catal. Bibliotb. Bunauianae Tomo I. Vol. I. p. 495.* Eodem loco adducuntur EHREGOTT DAN. COLBERGII et ANDR. KVNADI Diſſertationes; illa *de tolerantia librorum noxiorum politica*, *Gryphisw. 1693:* haec *de officio ſummorum Imperantium circa libros, religionem ſpectantes*, *Vitemb. 1695. in* 4. Lectu quoque digniſſima IVSTI HENNING. BOEHMERI Diſſert. *de iure circa libros, imbrobatae lectionis, ad L. 4. §. I. D. familiae bercisc.* edita *Halae M. anno* 1726. Caput primum *de ratione et fatis moris antiqui improbandi lectionem librorum;* Caput alterum *de more hodierno eccleſiaſtico et ciuili improbandi lectionem librorum* inſcriptum eſt. PVTHERBEI ac RAYNAVDI libros, huc itidem pertinentes, memoraui *ſuperiori Capite* §. *I.* Huius *Erotemata* eo ſunt edita conſilio, vt quinam libri eſſent improbatae lectionis, conſtaret, poſtquam Leo X. Bullam vniuerſalem de non legendis libris haereticis contra Lutherum promulgauerat. Male tamen vertit Raynaudo cenſendi alios libertas. Ipſe nimirum in cenſuram incurrit eccleſiaſticam, quibusdam eius Operibus Indici prohibitorum inſertis, inter quae et ipſa haec Erotemata fuere. Vid. MORHOFII *Polyh. Tomo I. lib. I. cap. 16.* §. 28. et laudata BOEHMERI Diſſertatio *Cap. I.* §. *4. ſub finem.* Recenſet librum laudatque plurima ex parte GOETZIVS in *den Merckwürd. der Kön. Bibl. zu Dresden, Vol. III. p. 206. ſq.*

§. II.

His praemiſſis nominandi ſunt Pontificiorum Indices librorum prohibitorum; quod antequam fiat, ii procedant in medium Scriptores, qui hiſtorice

rice criticeque de iisdem egerunt. Primum hic memoranda DANIEL FRANCI Exercitatio hiſtorico-politica *de Indicibus Papiſtarum expurgatoriis*, praeſide Iacobo Thomaſio defenſa *Lipſiae a. 1666. ibidemque a. 1684. in 4.* longe auctior in hoc titulo recuſa: *Diſquiſitio Academica de Papiſtarum Indicibus librorum probibitorum et expurgandorum, in qua de numero, Auctoribus, occaſione, contentis, fine, damnis, et iure Indicum illorum diſſeritur.* Accedunt duo Indices, alter Auctorum, alter rerum praecipuarum. Singularia ſunt, quae ipſe FRANCVS anno 1686. de hoc libro ſuo ad Theoph. Spizelium perſcripſit. En! eius verba: *Commiſſarius Caeſareus, qui Francofurti ad Moenum libros recens editos ſolet inſpicere, ne quid in lucem prodeat, quod iuribus Imperatoris atque Imperii directe queat officere, non requiſita, vt alias moris eſt, ordinarii Magiſtratus autoritate, Bibliopolium Lipſienſe, vbi exemplaria Indicum meorum aſſeruabantur, vi aperiendum, et omnia exemplaria curauit inde auferenda. Bibliopola Lipſienſis quam primum hoc reſciuit, ob iniuriam ſibi factam et damnum illatum queſtus eſt apud Magiſtratum oppidanum, qui Commiſſarium Caeſareum violatae iurisdictionis reum poſtulauit, et tandem hoc reſponſi accepit: Titulum diſquiſitionis meae corrigendum, et vocem* Papiſtarum *prorſus omittendum eſſe. Verum hoc a me nunquam impetrabitur. Congeſſi interim adhuc non nulla, quae, ſi fortaſſis editio veniet interanda, locis ſuis inſerentur.* Vid. SCHELHORNII *Amoenit. litterar. Tomus XIV. p. 608.* Conf. *die Leipz. gel. Zeit. 1729. p. 942.* Poſt Franci laborem innotuere: ADRIANI BAILLETI Collecta in *Jugemens des Savans ſur les principaux Ouvrages des Auteurs, Tomi II. Parte I. p. 47. ſq.*; BERN. VON SANDEN Exercitatio theologica *de Indicibus librorum prohibitoriis et expurgatoriis apud Pontificios, Regiom. 1702.*; IONAE CONR. SCHRAMMII Diſput. *de librorum*

pro-

prohibitorum Indicibus, *horumque vtilitate et abuſu*, *Helmſt.1708*. vbi tamen vltra primas lineas vix proceſſit; et CHRIST. SCHOETTGENII Commentationes III. *de Indicibus librorum prohibitorum et expurgandorum*, *Dresdae anno* 1732. et 1733. *in* 4. excuſae, quibus acceſſere *ibidem a*. 1733. et 1735. binae adhuc aliae Commentationes: altera *de naeuis litterariis*, altera *de naeuis politicis Indicum prohibitoriorum et expurgatoriorum* inſcripta. Vtiliſſimae ſunt hae ſchedae, iam rarius obuiae, oſtenditurque in poſterioribus, quae de naeuis iſtorum Indicum agunt, multis exemplis, partim ſoloeciſmos litterarios, partim errores geographicos commiſſos eſſe, partim Graecae linguae ignorantiam exinde perſpici luculenter: tum vero nec reticentur naeui politici, quorum eſt primus, quod negotium horum Indicum conficiendorum demandatum ſit hominibus, earum rerum non ſatis gnaris, vel ſegnibus certe atque negligentibus; alter, quod originem Indicum prohibitoriorum ſocordiae Epiſcoporum tribuant Pontificii, eoque ipſo fateantur, viros illos, ſacris curandis praefectos, non ſemper ſatis muneri ſuo grauiſſimo feciſſe; tertius, quod Auctores ignoti, qui nunquam exſtiterunt, nec viſi ſunt Indicum oculis, damnentur et expurgentur; quartus denique naeuus eſt, quod Architecti Indicum horum ſecreta ſua non texerint caute atque retinuerint. Idem Schoettgenius *Tomo II. p*. 824. *ſq*. *Horarum Ebraicarum* inſeruit, Tractationem *de expurgatione Pontificia librorum Rabbinicorum*, quam vero non licuit inſpicere. Neque hic loci ſilendum, MARIANVM RVELIVM, occultato nomine ſuo, *Romae a*. 1739. *in* 8. edidiſſe *Saggio dell' Iſtoria dell' Indice Romano de' Libri proibiti*, qui breuis libellus, eodem anno in *Biblioteca volante Cinelliana Repoſit. XXIII. p*. 112. *ſq*. recuſus, auctior prodiiſſe dicitur *Romae a*. 1744.

1744. in 8. Prioris editionis recenſio exſtat in *Supplem. ad Noua Acta Erudit. Lat. Tomo VI. p. 305. ſq.* Quam iam *anno 1746. in 4. Brunſuigae* ſingulari ſcripto pollicitus eſt ELIAS CASP. REICHARDVS *Indicum librorum prohibitorum et expurgandorum Hiſtoriam*, eam per tot quidem annorum interuallum nondum exhibitam fuiſſe, aegre plerique ferent; ſperandum interim, fore, vt clariſſimus Vir, ſuperatis impedimentis, propediem de pertexendis, quae meditatus eſt, toto animo cogitet.

§. III.

Nunc, quod ad ipſos Indices librorum prohibitorum et expurgandorum pertinet, ſciendum omnino, (ſi eum exceperis, qui a Gelaſio I. Pontifice, in Concilio Romano a. 494. conditus eſt, vti patet ex Iure Canonico *C. 3. Sancta Rom. Eccleſ. Diſtinct. XV.*) inſtituti originem in ea incidiſſe tempora, quibus Lutherus ſacrorum emendationem ſuſceperat, compoſitique initio fuere priuata opera, prout quisque feruore ſuo Pontificis Romani gratiam aucupari ſe poſſe credidit. Nondum conſtat autem, quis primus talem Indicem vel publicauerit, vel confici iuſſerit. Hoc dubio caret, rei iam proluſiſſe Carolum V. Imperatorem, Edicto aduerſus haereticos et anabaptiſtas Bruxellis anno 1540. propoſito, in quo praeter alia, libri quoque Lutheri, Wicleffi, Huſſi, Zwinglii, Melanchthonis, Ionae caet. magno numero prohibentur. Vid. SCHOETTGENII Commentat. I. *de Indicib. libr. prohib. §. II. p. 6.* Aliquot annis poſt *Index librorum haereticorum* innotuit, a Theologis Sorbonicis apud Pariſienſes concinnatus, de quo legatur SCHOETTGEN. *l. c. p. 7.* Succeſſit *Index Belgicus*, a Rectore et Academia Louanienſi compoſitus atque editus *anno 1546.* typisque repetitus, et ad aliquot annos continuatus, anno

anno 1550. iuſſu Caroli V. Proſtat Germanica quoque verſio MATTHIAE FLACII, Illyrici, *Magdeb. a. 1550. in 4.* euulgata, cuius integrum titulum legas apud SCHOETTGENIVM *l. c. p.* 8. Ordo eſt alphabeticus: ſequuntur Scriptores anonymi, editiones Bibliorum, item libri Belgici et Germanici, ſeries denique librorum, in Scholis publicis praelegendorum. Ipſum etiam Caroli V. Mandatum, anno 1550. excuſum, vt ſupra memoraui, ſubiunctum fuit. Primus Index eorum, qui prodiere in ITALIA, eſt

Il Catalogo de' Libri, li quali nuovamente nel meſe di Maggio nell' anno preſente 1549. ſono ſtati condannati et ſcommunicati per heretici, da M. GIOVAN DELLA CASA. *E aggiunto ſopra il medeſimo Catalogo un judicio et diſcorſo del* VERGERIO, *1549. in* 4. Recuſus idem ille Index *Florent. 1552. Mediol. 1554.* et *Venet. eod. anno*; ſed omnes hae editiones multis erroribus, pudendisque ſunt ineptiis inquinatae. Poſt huncce indicem lucem adſpexerunt ſequentes:

Index auctorum et librorum, qui ab officio S. Rom. et Vniuerſalis Inquiſitionis caueri ab omnibus et ſingulis in vniuerſa Chriſtiana Republica mandantur; caet. *Romae 1559. in 4.* et *Venetiis* atque *Auenione eodem anno*, item *Tubingae*, *Pfortzhemii* et *Regiomonti*, in Boruſſia, *anno 1560. in 8.* hoc quidem titulo: *Poſtremus Catalogus Haereticorum, Romae conflatus 1559. continens alios quatuor Catalogos, qui poſt decennium in Italia, nec non eos omnes, qui in Gallia et Flandria poſt renatum Euangelium fuerunt editi. Cum annotationibus* VERGERII. Idem Catalogus reperitur in VERGERII *Operibus aduerſus Papatum, Tubingae a. 1563. in* 4. vnico Tomo exhibitis, *p. 245. ſq.*

Index

Index librorum prohibitorum cum regulis confectis per Patres, a Tridentina Synodo delectos, auctoritate Pii IV. Pont. Max. comprobatus, *Romae 1564. in 4.* ap. Paul. Manutium, ac denuo *Venet. eod. anno in 8.* cum inſignibus Aldinis; *Coloniae 1568. Leodii*, 1569. vna cum iis libris, qui mandato Regiae Catholicae Maieſtatis, et illuſtriſſimi Ducis Albani, Conſiliique Regii Decreto prohibentur, ſuo quibusque loco et ordine repoſitis; iterum *Venetiis a. 1570. in 8.* tertium 1574. *in* 12. quartum *a.* 1575. *in* 8. quintumque 1582. *in* 12.

Index librorum prohibitorum, cum regulis confectis per Patres, a Tridentina Synodo delectos, auctoritate Pii IV. primum editus, poſtea vero a Sixto V. auctus, et nunc demum, Clementis Papae VIII. iuſſu, recognitus et publicatus, inſtructione adiecta de exſequenda prohibitionis, deque ſincere emendandi et imprimendi libros ratione, Romae 1596. *in* 4. et *in 8. Florent. 1596. in 12. Venetiis* 1597. *in* 8. et alibi ſaepiſſime. In dicta Inſtructione Clementis etiam ſancitum eſſe, vt epitheta honorifica, et omnia in laudem haereticorum ſcripta, deleantur, obſeruat SCHELHORNIVS *Vol. I. Parte 4. p. 687. der Ergoetzlichkeiten aus der Kirchenhiſtorie vnd Litteratur.*

Index librorum prohibitorum, Alexandri VII. Pont. Max. iuſſu editus, Romae 1664. in 4. et *Lugduni 1667. in f.*

Index librorum prohibitorum, Clementis X. Pontif. Romani iuſſu editus, Romae 1670. 8.

Index librorum prohibitorum, Innocentii XI. P. M. iuſſu editus, ibid. 1680. in 8. quae editio decies eſt repetita.

Index

Index librorum probibitorum vſque ad annum 1711. regnante Clemente XI. P. O. M. ibidem a. 1711. ac denuo *a. 1716. in 8.* vſque ad totum menſem Martii dicti anni continuatus. In editione priori, neſcio an et in altera, praefixa eſt figura aere expreſſa, Apoſtolos Petrum et Paulum repraeſentans, quorum in pectora Spiritus S. ignem et radios immittit ſuos, ita quidem vt inde in libros ſubiectos rurſus exſiliant, eosque, flamma ingenti excitata, abſorbeant. Seorſim produci meretur.

Index librorum expurgandorum in ſtudioſorum gratiam confectus, in quo quinquaginta Auctorum libri prae caeteris deſiderati emendantur. Per FR. (i. e. Fratrem) IOH. MARIAM BRASICHELLEN, *Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtrum, in vnum Corpus redactus, et publicae commoditati aeditus. Romae anno 1607. in 8.*

Primus tantum hic eſt Tomus celeberrimi Indicis, quem Auctor priuato compoſuit ſtudio, atque id quidem vt profitetur, eam ob cauſſam, quia Magiſter eſſet ſacri Palatii, cuius requirat officium, libros expurgare, ideoque ii, qui tales poſſiderent, non haberent neceſſe, abolere eosdem, ſed vti his potius, ſecundum cenſuram emendatis, poſſent. Cuncta vulgo tribuuntur GVANZELLO, dicto a patria Braſichellano, quae in hoc Indice expurgatorio ſunt praeſtita, quamquam certum eſt omnino, ſocium laboris fuiſſe THOMAM MALVENDAM, ex Ordine Praedicatorum hominem, qui recognouit *Bibliothecam Patrum*, ex editione MARGARINI DE LA BIGNE, praecipuam huius Indicis partem efficientem. Res ipſae, in Braſichellano Indice ad expurgandum notatae, multifariam teſtantur cenſorum

rum lectionem, iudicium acutum, rerum eccleſiaſticarum peritiam haud vulgarem, ſtudium denique ſingulare pro ſeruanda auctoritate Romani Pontificis, et vniuerſi ipſius coetus. Rebus ſic praeſtitis, auctores huius Indicis omnem laudem et exiſtimationem promeruiſſe, exiſtimares: ſecus tamen res ceſſit, et ipſe, quem nominauimus, Index Braſichellanus primum a. 1607. ſuſpenſus, poſtea, eodem Bergomi a. 1608. prelis iterum ſubiecto, denuo ſuppreſſus, tandem vero, quum anno 1612. nouis typis in Belgio deſtinaretur, iterum impediri iuſſus, et, editione tunc temporis iam abſoluta, (*Antwerpi* ſeu *Andorſii*,) venum dari prohibitus fuit. Accedit, quod inaudito hactenus exemplo hic Index expurgatorius, cum imminutione dignitatis Magiſtri ſacri Palatii, qualis Braſichellanus fuit, quique in titulo libri auctorem ſolum ſe profitetur, pro libro, auctoritatem dumtaxat hominis priuati tenente, habitus, et, quod maxime mirandum, ipſe in librorum expurgandorum et prohibendorum Indice collocatus ſit. Tomus caeteroquin ſecundus, quem primo adiicere conſtituerat auctor, ſtatim in herba eſt ſuppreſſus. Verba haec ſunt NICOLAI ERN. ZOBELII in *Notitia Indicis libror. expurgand. editi per* FR. IOH. MAR. BRASICHELLEN, *Altorf. a. 1745. in 8.* qui aliquot ſaltim plagularum libellus iam rarius occurrit. In eodem *p. 51.* §. *VII.* docemur, Bergomenam editionem Romana multo nitidiorem eſſe, et ad euoluendum commodiorem. Omnia tamen exemplaria, ſaepius ac diuerſis in locis producta, quum raritatem incredibilem retinerent, adeoque vnum alterumue, alicubi repertum, magno ſatis pretio venderetur, GE. SERPILIVS, ſacrorum olim in ciuitate Ratisbonenſi Antiſtes, Indicem hunc *ibidem*, omiſſo autem loci indicio, *anno 1723. in 8.* recudendum curauit ſua haud dubie impenſa; quod quidem

nulla ratione vituperandum erat, niſi nunciatum in Nouis litterariis fuiſſet, inuenta eſſe Romae complura editionis primae exemplaria, ſtudioſiſſime adhuc occultata, quae nunc Ratisbonam delata aequo comparari pretio poſſint. Laetum fuit rei initium, nec exigua exemplarium pars auide careque ab eruditis emta, qui librum nunc ſe poſſidere rariſſimum exiſtimabant. At paullo poſt adparuit, fucum eſſe omnibus factum. Nouitas enim chartae typorumque iis innotuit, qui paullo adcuratius acutiusque videre ſolebant. Per plures deinde annos apud haeredes Serpilii adſeruata ſunt reliqua huius editionis exemplaria, donec anno 1742. Ioh. Adam. Heſſelius, typographus Altorfinus, conſilium ſuum de recudendo Indice Braſichellano ſingulari ſchedula euulgaret. Tunc enim illi, vt retraherent ab inſtituto typographum, eodem, quod is propoſuerat, pretio editionem Serpilianam eruditis offerebant. Vid. *die Leipz. gel. Zeit. anno 1743. p. 613.* Sed Heſſelius, nulla indicii huius Ratisbonenſis ratione habita, exſequutus deſtinata eſt *anno* 1745. quo ipſo exhibuit Indicem Braſichellanum, ad formam exempli Bergomeni expreſſum, neque tamen annum locumue, quo id factum, titulo libri adiecit. Haeredes deinde Serpiliani exemplaria ſua venum dedere Ioh. Gaſtelio, bibliopolae Pedepontino, prope Ratisbonam, qui eodem *anno* 1745. primam plagulam, ſolito more, denuo typis deſcribendam curauit, et, omiſſo *primi Tomi* vocabulo, ſecundae editionis elogium ſubiunxit. Atque haec de celeberrimo illo Indice, de quo plura notatu digna congeſſit doctiſſimus ZOBELIVS in laudata ſupra Notitia. Iam diu ante argumentum hoc pertractauerat GVIL. ERN. TENTZELIVS *Select. Obſeruat. Halenſium Tomo III. p.* 133. *ſq. Obſeruat. VI. de Indice expurgatorio Romano rariſſimo, quem Ioh. Mar.*

Mar. Braſichellanus, *Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter, primus et hactenus ſolus edidit*, item *Tomo IV. Obſeruat. VII. p. 71.* ac *Tomo V. Obſeruat X. p.* 314. *ſq.* quibus locis bina Indicis eiusdem Specimina proferuntur. THEODOR. etiam CRVSIVS in *der Vergnügung müſſiger Stunden, P. I. p. 9. P. III. p. 65. Parte VI. p.* 24. *Parte VIII. p. 18.* et *Parte IX. p.* 24. *ſq.* nobiscum communicauit *Anmerckungen vnd Fortſetzungen aus dem raren Indice expurgatorio* IOH. MARIAE BRASICHELLANI; quibus addi queunt SESPILII Obſeruationes in eiusdem *Verzeichniß einiger rarer Bücher, Parte I. p. 52. ſq.* HEVMANNVS in *den Altonaiſchen gelehrten Zeitungen anni* 1745. *p.* 305. *ſq.* et CLEMENT *Biblioth. de livres dificiles à trouver, Tomo V. p. 207. ſq.*

Apud HISPANOS lucem adſpexere:

Catalogus librorum, qui prohibentur mandato, FERDIN. DE VALDES, *Hiſpalenſis Archiepiſcopi, Inquiſitoris Gener. Hiſpan. Pinciae a.* 1559. *in 4.*

Index librorum prohibitorum, Antwerp. a. 1570. *in 8.* ex offic. Plant. Hic Index eſt idem, quem vulgo Tridentinum vocant, a Philippo II. Hiſpaniarum Rege, in ſuis prouinciis introductus.

Index expurgatorius librorum, qui hoc ſaeculo prodierunt, vel doctrinae non ſanae erroribus inſperſis, vel inutilis et offenſiuae maledicentiae fellibus permixtis, iuxta Sacri Concilii Tridentini decretum: Philippi II. Regis Catholici iuſſu et anctoritate atque Albani Ducis conſilio ac miniſterio in Belgia concinnatus, ibidem eademque in officina *anno* 1571. *in 8.* porro *Lugduni*, cum Praef. FRANC. IVNII, *a.* 1586. *in* 12. *Argentor.* 1599. *in* 12. *ibid.* 1609. *in* 8. additis Excerptis ex *Indice* QVIROGAE

GAE, tandem *Hanouiae a.* 1611. *in* 8. Vid. SCHOETTGEN. *Commentat. III. p.* 43. *ſq.*

Index et Catalogus librorum prohibitorum, mandato illuſtriſſ. ac reuerendiſſ. D. D. GASP. A QVIROGA, *Cardinalis, Archiepiſcopi Toletani, ac in regnis Hiſpaniarum generalis Inquiſitoris, denuo editus, Madriti a.* 1583. *in 4. ibid. a.* 1584. *Salmurii a.* 1601. *ead. forma, Hanouiae a.* 1611. *in* 8. et *Oppenburgi*, anno non adiecto, recuſus. SCHOETTGENIVS *l. c. Commentat. II. p.* 22. *Quod vero,* ait, *notatu maxime dignum eſt, probibet Pater purpuratus, ne quis hunc Catalogum imprimat, aut vendat, excepto Matthaeo Vazquez, qui Inquiſitioni a ſecretis tunc erat, neue extra fines regni transportet.* Poſt alia lectu digna addit: *Hic Index quamplurimis ſcatet naeuis, qui ab hoc in alios translati, et ad noſtra vsque tempora propagati et aucti ſunt.*

Index librorum probibitorum et expurgatorum illuſtriſſ. ac reuerend. D. D. BERN. DE SANDOVAL *et* ROXAS, *Cardin. et Archiepiſcop. Tolet. Hiſpan. Primatis,* caet. *auctoritate et iuſſa editus, Madriti anno* 1612. et cum Adpendice *anni* 1614. *in f.* Denuo prodiit, cum *Praefat.* BENED. TVRRETINI, *Geneuae a.* 1619. *in* 4. item *Panormi a.* 1628. *in f.* Pauca de eodem Indice, ſed lectu digna, olim ad Heumannum ſcripſit LVDOV. MARTIN. KAHLIVS. En! quaedam ex hac Epiſtola: *Romani Pontificis ſectatores negant plane, Indicem librorum prohibitorum Madriti vnquam fuiſſe impreſſum; addunt; a Lutheri et Caluini aſſeclis editionem illam fingi, criminisque loco, ſed ſine omni ratione, ſpuriam et ſuppoſititiam exprobrari. Hunc autem librum Madriti exſcriptum eſſe, et typi, et*

papy-

papyrus, et typographi ſignum, luculenter probant; adeoque propria manus ab Inquiſitoribus compluribus, Oxonienſi Codici addita, id condocet. Quantiuis pretii ſit, vel ex eo liquet, quod eorum, qui eccleſiae Romanae praefuerunt, decreta, ſibi inuicem repugnantia, innumerabilia plane exhibeat, atque ita fallentem ſic dictam infallibitatem.

Nonus Index librorum prohibitorum et expurgatorum, editus auctoritate et iuſſu eminent. ac reuerend. D. D. ANTON. ZAPATA, *S. R. E. Presbyt. Cardin. Protectoris Hiſpaniarum* caet. *Hiſpali a. 1632. in f.* Sunt, qui et editionem, anno 1631. exhibitam, nominant. Sed alii dubitant propter ea, nec, me quidem iudice, ſine fundamento. Forte vnica editio, more typographorum, annis diuerſis eſt ſignata. SCHOETTGENIVS Opus hocce, ſatis grande, habuit ante oculos, quum *l. c. Commentat. II. p. 30.* ita ſcriberet: *Index ipſe eſt alphabeticus, ſed in claſſes tres diſtinctus. Prima continet Auctores damnatae memoriae, quorum opera edita et edenda ſunt prohibita: niſi expurgata, aut quod videantur innoxia, nominatim permittantur. In ſecunda certorum Auctorum libri aut prohibentur, aut expurgantur, aut cautione explicationeue adhibita notantur. In tertia libri anonymi, et incertorum Auctorum opera vel prohibita, vel expurgata, ſiue alia ratione notam et cenſuram ſubeuntia. Hic igitur Index primus eſt, in quo libri prohibiti et expurgati in vna ſerie coniunctim, ordine alphabetico, apparent. Porro quoque ſtudium horum cenſorum vlterius pertigit, vt ſingulis Auctoribus adderent patriam, tum generalem, e. c. Germaniam, tum ſpeciatim vrbem, in qua vixerunt vel docuerunt, religionem etiam, quam profeſſi erant, item ſtudiorum genera, in quibus praecipue excel-*

excelluerunt. Sed hoc negotium ipſis non ſatis bene proceſſit. In Geographicis et nominibus Auctorum multa irrepſerunt Sphalmata, religionem non ſemper accurate exprimunt.

Nouiſſimus librorum prohibitorum et expurgandorum Index pro Catholicis Hiſpaniam regnis Philippi IV. Regis Cathol. iuſſu ac ſtudiis illuſtr. ac reuer. D. D. ANTONII A SOTO MAIOR, caet. *Madriti anno 1640.* item *a. 1662.* tertiumque *a. 1677. in f.* Habemus quoque editionem eiusdem formae, *Geneuae*, ſeu, vt SCHOETTGENIVS *Comment. III. p. 38.* adſerit, *Lugduni in Galliis a. 1667.* diuulgatam, quae ideo notari meretur, quoniam Hiſpanico Indici adiunctus hic eſt Romanus, qui prohibitos exhibet, pluresque complectitur libros, in Hiſpanico praetermiſſos. Ex binis igitur Partibus praecipuis conſtat iſthaec editio. Prior Indicem porrigit Hiſpanicum, in tres claſſes diſtinctum, cum Supplemento et Adpendicula. Huic Indici praefixus eſt alter, Index vniuerſalis, indicans omnes Auctores per nomina propria et cognomina; item Opera anonyma et vulgatiſſimos librorum titulos, vt absque labore Lector, quod deſiderat, ſtatim inuenire poſſit. In parte poſteriori occurrit Index librorum prohibitorum Alexandri VII. P. M. iuſſu editus *Romae anno* 1665. cum Bulla eiusdem Pontif. Max. ex edit. Romana *anni 1664.* Acceſſit Index Tridentinus, qualis a Clemente VIII. promulgatus eſt, nec non Index Decretorum, continens omnia Decreta prohibitionis librorum, vsque ad XX. Februarium anni 1664. tandem vero Appendix Decretorum a XX. Febr. 1664. vsque ad VII. Maii 1667. publicatorum, et locis ſolitis affixorum. Ex quo locupletiſſimum

mum eſſe hunc Indicem facile patebit. Rarior tamen iam pridem is factus, vt omnes fere huius argumenti. Cf. SCHWINDELII *Theſaurus Bibliothecalis, Vol. II. p. 254. ſq.*

Index librorum prohibitorum et expurg. pro Catholicis Hiſpaniarum regnis Philippi V. caet. *Madriti 1707. in f.* Sub huius anni finem, inter publicas et ſolemnes proceſſiones, quibus et grauiſſimi Inquiſitionis Generalis Adſeſſores, et plures Viri primaria dignitate conſpicui, interfuerint, magna pompa publicatum eſſe hunc ipſum Indicem, in *Actis Erud. Lat. a. 1709. p. 143.* memoratur.

Nouiſſimus eiusmodi *Index*, *correctus per* FRANC. PEREZ DE PRADO, *ibidem a. 1747. in f.* Tomis II. adſpexit lucem.

In LVSITANIA innotuit.

Index Auctorum damnatae memoriae, tum etiam librorum, qui vel ſimpliciter, vel ad expurgationem vsque prohibentur, vel denique iam expurgati permittuntur. Editus auctoritate illuſtriſſimi Domini D. FERDINANDI MARTINS MASCAREGNAS, *Algarbiorum Epiſcopi, Regii Status Conſiliarii, ac regnorum Luſitaniae Inquiſitoris Generalis. Vlyſſipone anno 1624. in f.* Quo in grandi Volumine Index habetur triplex. Primus eſt Clementis VIII. de quo ſupra: hic autem additur alius, nempe cognominum alphabeticus, quum ipſe Romanus ſecundum praenomina confectus ſit, in quo pauci libri noui, praeter quosdam Luſitanicos, prohibentur, in plerisque Lectores ad Indicem tertium, qui eſt expurgatorius, remittuntur. Haec SCHOETTGENII verba *Commentat. II. p. 26.* integra repetiit, occultato Auctoris nomine, ZOBELIVS *l. c,*

l. c. p. 28. Iam *anno* 1581. *in* 4. *ibidem* lingua Luſitanica excuſum eiusmodi eſſe Indicem, REICHARDVS obſeruat in Schediaſmate §. *II.* laudato, *p* 11. *num.* 9.

Nec POLONI hac in re otioſi fuere, primusque Indicem librorum prohibitorum concinnauit BERNH. MACIEIOWSKI, Epiſcopus Cracouienſis, poſt quem nouam et locupletiorem editionem parauit GE. ZAMOYSKI, Epiſcopus Chelmenſis. Tertia, MARTINI SZYSKOWSKI, Epiſcopi Cracouienſis, auſpiciis, *anno* 1617. *in* 12. *Cracouiae* hoc titulo ſucceſſit:

Index librorum prohibitorum, cum Regulis confectis per Patres a Tridentina Synodo delectos, et cum adiecta inſtructione de emendandis imprimendisque libris, et de exequenda prohibitione. Nunc in hac editione, Congregationis Cardinalium edictis aliquot, et librorum nuper ſcandaloſe euulgatorum, deſcriptione auctus. Legi de hoc nouem plagularum libello meretur clar. IANOZKI in *der Nachr. von raren Pohlniſchen Büch. in der Zaluskiſchen Biblioth. Parte I. p. 8. ſq.*

Denique apud BOHEMOS etiam, et *anno* quidem 1729. *in* 12. *Reginae Hradecii*, (Koenigsgraetzii) prodiit librorum prohibitorum Index. En! eius titulum:

Clauis haereſin claudens et aperiens. Klic Kacyriske Bludy krozeznani otwiragich kwykoreneni Zamikagich caet. *h. e. Clauis doctrinas haereticas ad intelligendum reſerans, et ad exſtirpandum claudens: ſiue Index librorum quorundam decipientium, ſcandaloſorum, ſuſpectorum et prohibitorum, praemiſſa ratione, qua libri mali et noxii inquiri et exſtirpari poſſint.* Inter alia, quae SCHOETTGENIVS *p.* 42. de Indice memorato diſſeruit, haec potiſſimum notatu ſunt digna: *Anno* 1732. *appa-*

apparuit, quibusnam cauſſis adductus hunc laborem ſuſceperit, vel ſuſcipi iuſſerit Epiſcopus Reginae Hradecienſis. Nimirum magna hominum copia in illa ciuitate et dioeceſi erat, quae ſacra Euangelicorum clanculum profiteretur, quorum pars in vinculis detenta, et variis modis vexata eſt, pars quoque relictis omnibus, quae poſſederant, emigrauit, et ſedes quaeſiuit, vbi religionem ſuam tuto poſſint exercere. Index ipſe libros non admodum multos continet, ſed tantum tales, qui ab Euangelicis olim in Bohemia excuſi, et a poſteris eorundem huc vsque aſſeruati ſunt. Plerique ſunt Germani et Bohemici, pauci Latini. Series Bibliorum Bohemicorum impreſſorum hic exſtat, vnde aliorum labores ſuppleri poterunt.

Hactenus de plerisque Indicibus librorum prohibitorum. Duo ſaltim addenda, et primum quidem, omnes, paucis exceptis, rariſſime obuios eſſe: deinde autem, expurgatorios antiquiores videri prohibitoriis. GEORGIVS certe SERPILIVS in *Perſonalibus Eſrae, Ratisbonae a. 1708. in 8.* editis, adfert Indicem expurgatorium, anno 1540. publicatum. Cf. ZOBELII *Notitia Indicis Braſichellani p. 36.* ſub finem Capitis primi, quod totum agit *de Indicibus librorum prohibitorum et expurgandorum in genere.* Caeterum et hic loci commode vſurpari poterit IOH. CHRISTOPH. WENDLERI Schediaſma *de libris a Pontificiis, aliisque haereticis, in praeiudicium doctrinae purioris, noſtra et ſuperiori aetate ſuppreſſis et corruptis*, in quo ſimul ſunt *Supplementa ad* DANIEL. FRANCI *et* CASP. LOESCHERI *ſcripta, latrocinia quae in Scriptores publicos haeretici commiſerunt, exponentia*, caet. Prodiit *Ienae a. 1714. in 4.*

§. IV.

Deueniendum ad ipſos libros damnatos et prohibitos, quos in duas praecipue claſſes diuidere placet. Vel enim *ſacris ſunt* et ſigillatim *Chriſtianis, aduerſi*, vel *Rempublicam turbant.* Ad illam pertinent ſpeciatim athei, deiſtae et naturaliſtae, indifferentiſtae, fanatici, prophetici et cabbaliſtici, myſtici, atque paradoxi alii in veritatem, vt vulgo dicunt, vel doctrinalem, vel moralem, peccantes: in hac reponendi monarchomachi, Scriptores de actis Principium, aularumque facie, liberius iudicantes, hiſtorici, qui in certae Domus illuſtris detrimentum aliquid euulgarunt, itemque chymici. Age! dicamus de ſingulis, ac duce quidem ordine chronologico, quantum fieri commode poteſt. Ex ATHEIS, qui Deum vel tollere viſi ſunt, vel tollunt omnino ac negant, inepto tamen auſu, vt egregie oſtendit RICH. BENTLEIVS in octo Orationibus ſacris, *a Confutation of Atheism* inſcriptis, *Londinique a. 1692. in 4.* editis, poſtea etiam cum Latine, curante DAN. ERN. IABLONSKI, *Berolini a. 1696. in 8.* tum Germanica lingua, interprete CHRISTOPH. MATTHAEO SEIDELIO, *Hamb. a. 1715. ead. forma* recuſis, ex atheis, inquam, primum huc referendus eſt *de tribus impoſtoribus, Moſe, Chriſto et Mahomede*, liber teterrimus, non commiſcendus cum alio de tribus ſaeculi ſuperioris famoſis impoſtoribus, Ottomanno, Cigala et Seuo, cuius argumenta paucis expoſita legas in *Annalibus Acad. Iuliae, Semeſtri IV. p. 199. ſq.* Add. DAV. ANCILLON *Melange critique de Litterature, Tomo II. p. 188.* De vero libri prioris auctore varias eruditorum coniecturas nouimus. THOMAS BROWN Bernard. Ochino; CLAVD. BERIGARDVS Auerroi; alii Poggio Florentino; alii Petro Pomponatio, alii Aretino eundem attribuunt. Cf. *Obſeruat. ſelectae Halenſes, Tomo I. p. 79. ſq. Obſeruat. VII.* quae IAC. THO-

THOMASIVM habet auctorem. HENR. contra ERNSTIVS *Variar. Obſeruat. lib. II. cap. 36. p. m. 156.* ita: *Faciunt nonnulli eius auctorem Poſtellum. Thom. Campanella, ſcriptor peſtilentiſſimae chartae de Monarchia Hiſpanica, Romae mihi retulit, M. A. Muretum libellum iſtum ſcripſiſſe. Haec quomodo ſe habeant, ego certe neſcio, hoc tamen non ignoro, quod Diabolus princeps eius auctor ſit.* SAM. MARESIVS de Boccatio ſuſpicionem habuit; nec deſunt, qui impium hocce ſcriptum ex Stephani Doleti ortum ingenio eſſe crediderunt. Cf. STRVVII Diſſertat. *de doctis Impoſtoribus* §. *IX. p. 16. ſq.* CORN. DIETER. KOCHIVS *Annal. Academ. Iuliae, Semeſtri II. p.* 140. reiicit haec omnia, et rationibus quibusdam adlatis probat, nullum eſſe alium libri ſcriptorem quam Aſaddaulam ben Camunah, Mahomedanum, additque poſtea: *Quae ſi perſpecta habuiſſent, vel penitus conſideraſſent viri docti, labore quaerendi inter Chriſtianos ſcriptoris improbi ſuperſedere potuiſſent. Quod autem Friderico II. Imperatori tributum eſt dictum illud vel ſcriptum de tribus impoſtoribus, natam ex eo calumniam putes, quod hoc eodem Imperatore, cum alii Scriptores arabes et graeci, tum hic quoque de Moſe, Meſſia et Mohammede liber forte Latine prodierit.* caet. Nouiſſime quoque hunc Imperatorem tanta malitia abſoluit IOH. GE. CHR. SCHNIZLINVS in Diſſert. *Goettingae a.* 1743. exhibita *de religione Friderici II. Imperatoris.* Non vero de auctore tantum, ſed ipſo etiam de libro, vtrum editus vnquam ſit, nec ne, diu varieque eſt diſceptatum. Negantium choro ſeſe adiunxit olim STRVVIVS in memorata Diſſertatione, ſed in poſterioribus eius editionibus mutauit ſententiam. Multi alii nunquam prodiiſſe eiusmodi librum, contenderunt, quo ſpectat e. g. BERN. DE LA MONNOYE. Is quippe *Menagianorum* editioni ab ſe adornatae, et quidem *Tomo IV.* inſeruit *Lettre ſur le prétendu*

livre

livre des trois Impoſteurs, qua in Epiſtola, cuius iam diu ante, anno quippe 1693. ſeorſim editae, ſumma capita relata fuerunt in *Hiſtoire des Ouvrages des Savans anno 1694. m. Febr. p. 278.*) omnia ſtudioſe argumenta conquiſiuit, quae opinionem ipſius corroborare videntur. Eorum haec eſt ſumma: nemo conſpexit vnquam oculis ſuis librum; nemo produxit in lucem, nemo examinauit eundem; nemo excerpſit exinde loca, vel ad ea prouocauit; nulla in librorum prohibitorum Indicibus peſſimi ſcripti mentio iniecta; nec alias conſtat, damnatum id publice crematumque fuiſſe; Suecorum etiam Regina, doctiſſima Chriſtina, obtinendi illius cauſſa tempus operamque fruſtra contriuit. Huic autem Epiſtolae Monnoii aliam oppoſuit vir quidam doctus, qui litteris I. L. R. L. voluit occultus eſſe. In ſuſpicionem apud complures incidiſſe Petr. Frid. Arpium, ex *Theſauro epiſtolico Lacroziano* patet. Vid. *Tom. I. p. 276. Tom. II. p. 107.* ac *Tom. III. p. 208.* Prodiit Epiſtola, Capitibus libri exſecrabilis corroborata, *Hagae Comit. a. 1716. in 12.* ſermone itidem Gallico, et integra mox recuſa eſt Lipſiae in KRAVSII *vmſtaendlichen Bücherhiſtorie*, *P. II. p. 284. ſq.* quod moleſtias non leues peperit editori. Huius quippe Partis venditio prohibita eſt propter eo ſuperiorum auctoritate, ipſeque Krauſius muneris publici, in Gymnaſio Vratiſlauienſium Eliſabethano ſuſcipiendi, ſpe tunc temporis excidit, fruſtra eum commendante ac defendente Gottlob Kranzio, vti ex litteris eius, anno 1727. ad Valent. Ern. Loeſcherum perſcriptis, intellexi. Cf. Stollii *Nachr. von den Büch. ſeiner Biblioth. P. V. p. 466.* ac *Theſ. epiſt. Lacrozianus*, *Tomo I. p. 19. ſq.* qui locus ob varia memorabilia inſpici omnino meretur. Potiora tantum ex eadem Anonymi Epiſtola, in qua ſic diſſeritur, vt veri prae ſe ferre videatur imaginem,

librum

librum de tribus Impoſtoribus non plane fictum eſſe, SALLENGRIVS exhibuit in *Memoires de Litterat. Tomi I. Parte 2. p. 376. ſq. Ibidem p. 386. ſq.* legitur quoque *Reponſe de Mr.* DE LA MONNOYE *à la Brochure précedente.* A partibus Monnoii ſtat IOH. CHRISTOPH. COLERVS *Anthologiae Faſc. III. p. 195.* paulloque poſt ex litteris IOH. HERM. SCHMINCKII haec adfert: *Exſtitiſſe vnquam eiusmodi librum, mihi hactenus perſuadere non potui. Cum enim hodie excutiantur tanto ſtudio omnes Bibliothecarum et Archiuorum nidi, forte vna daretur, in qua exſtaret. Noui Anglos, Gallos, Italos, et Germanos librorum prohibitorum collectores curioſiſſimos, qui fere omnes Orientis et Occidentis librorum theſauros excuſſerunt, et varios alios eiusmodi poſſimos libros in ſano pretio ſibi compararunt, quos frequentiſſime euolui, dum inter illos viuerem. Sed illis ipſis nunquam librum de tribus Impoſtoribus videre licuit, vti mihi coram teſtati ſunt. Et quae de hoc libello paſſim circumferuntur, fide auritorum non oculatorum teſtium vt plurimum nituntur.* Alii contra Iouem lapidem iurant, et compluribus probare documentis ſtudent, ſupereſſe omnino eiusmodi librum, et eum quidem typis impreſſum. Praeter ea, quae iam TENTZELIVS in *der curieuſen Biblioth. a. 1704. Repoſit. I. p. 492. ſq.* contra Struuium diſputauit, audire iuuabit Collectores *Actor. Erudit. Lat. a. 1709. p. 36.* Verba ſunt haec: *Operae pretium fuerit, quae Collega quidam noſter* (ni fallor HENR. AVGVSTIN. GROSCHVFFIVS, eadem referens in Praefat. *Faſc. I. nouae libr. rarior. Collect.* praefixa, *p. 13.*) *de libro iſto comperta nobiscum communicauit, hoc loco attexere. Librum de tribus Impoſtoribus, ait ille, apud Virum reuerendum in Saxonia* M. P. *offendimus, a quo et obtinuimus, vt titulum libri inſpiciendum nobis concederet. Erat Latino idiomate conſcriptus liber, in octaua forma; ſed neque annus, quo excuſus,*

neque

neque typographi nomen adparebat, typi vero ad Germanorum formas accedebant. Omnes itaque machinas adhibuimus, vt integrum opus euoluere liceret, ſed, vt eſt vir religioſior, conſtanter nobis denegauit. Nec ignoramus, celebrem quendam Profeſſorem Vitebergenſem magno pretio redimere librum voluiſſe, ſed fruſtra. Cum inde non multo poſt Noribergam concederem accidit forte, vt eodem de argumento ſermonem iniicerem apud virum aetate et doctrina venerandum, Andr. Myhldorfium, Sebaldinae Bibliothecae curatorem, qui bona nobis fide faſſus eſt, ſe perlegiſſe eundem, ſecum a viro reuerendo eius loci communicatum. Omnia, quae referebat, plane conueniebant cum iis, quae retulimus, vt non dubitandum ſit, verum hunc eſſe foetum. Ex quo certo mihi perſuadeo niſi liber ſit vetuſtioribus typis exaratus in octaua forma et Latino idiomate expreſſus, pro ſpurio eſſe habendum. Certe manuſcriptum illud, quod Peterſenius lingua Italica exaratum habet, genuinum minime exiſtimauerim. Ipſe excellentiſſimus Gottfridus Thomaſius, Medicus Noribergenſium non incelebris, nuperrime nobis adfirmauit, ſe eiusdem farinae librum vidiſſe, ſed quem pro vero non agnoſcat. Plura, quae facile ſubiici poſſent, iam occupauit exponere non nemo, quem WOLDEBR. VOIGT eſſe ſuſpicor, in *dem Brem- vnd Verdiſchen freywilligen Hebopfer*, quae vtilis Collectio variorum Opuſculorum theologicorum ac litterariorum venerabili Viro, IOH. HENR. PRATIE, debetur, *Vol. I. Symbola 4. p. 869. ſq.* quo quippe loco conſpicitur W. V. *Abhandlung von dem gottloſen Buche de tribus Impoſtoribus, vnd den verſchiedenen Handſchriften deſſelben.* Succedit ſtatim *p. 909. ſq.* laudati PRATIE *Nachleſe einiger Nachrichten vnd Anmerckungen wegen des berufenen Buchs de T. I.* Auctoris doctiſſimi ſententia, in quam et ego transire non dubito, haec eſt, exſtare quidem eiusmodi peſſimum librum, at ſuppoſitum certe, manuque

ſaltim

ſaltim ſcriptum; latere in ſcriniis quorundam tria exemplaria, vnum Italicum, alterum Latinum, tertium Gallicum; frequentiusque caeteris occurrere ſermone Latino exaratum. Manauit id ex Ioh. Frid. Mayeri Bibliotheca, cuius in *Catalogo p. 719. num. 8.* Sic adducitur liber: *Adeſt etiam Mſtum hoc titulo:* De impoſturis Religionum, *quo de conſtat, eſſe illud ipſum famoſum ſcriptum* de tribus Impoſtoribus. *Sed ob cauſſas, cuiuis ſatis notas, cum aliis huius generis publice non diſtrahetur.* Octingentis Imperialibus redemtum dicitur hoc exemplar Mayerianum, et Principis Eugenii Bibliothecae illatum, in *Tomo III. p. 752. Bibliothecae Vffenbachianae vniuerſalis.* Sed alii octuaginta tantum Imperiales nominant, quod propius vero crediderim eſſe. Adſcribam hac occaſione IAC. LENFANT iudicium, ex litteris ad Laur. Hertelium de ſumtum: *On dit, que Mr. le B. de Pr. ſe d'en eſt emparê* (loquitur de Mſto Mayeriano) *ſans doutè pour la Biqliotheque.* (du Roi de Pruſſe) *Je crains bien, qu'on n'achete vne bapelourde, au lieu d'vn diamant, et que le livre des trois Impoſteurs ne ſoit vn etre de raiſon et vne Impoſture.* Vid. BVRCKHARDI *Hiſtor. Bibl. Aug. Parte III. p. 347.* Ante decennium circiter fraudulenter liber eſt recuſus, ac tamquam prima eſſet editio, *a. 1598.* foliis octo et quadraginta *in 8.* abſoluta, ſi credere fas eſt, viginti et pluribus aureis diuenditus a bibliopola lucri cupidiſſimo. Mox tamen detectum ſcelus ac Straubius, librarius olim Vindobonenſis, doli auctor. Brunſuigae propterea in carcerem fuit coniectus, vti quidem docent *die Hamburgiſchen Berichte von gel. Sachen, anno 1753. Parte XCV. p. 755. ſq.* itemque *die freyen Vrtheile eiusdem anni p. 784.* Addatur his docta Diſſertatio IOH. CHR. HARENBERGII V. C. in *Hiſtor. Eccleſiae Gandershemenſis diplomatica, Hanouerae a. 1734. in f. p. 729. ſq.* et

et FRID. GVIL. BIERLINGII Comment. *de Pyrrhoniſmo hiſtorico, Cap. V. p.* 157. vbi haec potiſſimum: *Credo exſtare hodie et circumferri ex hoc dicto* (Friderici II, nimirum, qua de re ſupra et actum,) *enatum librum ſceleſtiſſimum; at non verum, non antiquum, non ab Ochino, Aretino, vel aliis, qui tantae inſaniae rei peraguntur, compoſitum, ſed poſt tot anxia curioſorum deſideria ab vno vel altero confictum. Neque enim difficile eſſe poteſt homini profano, quum de argumento libri conſtet, aliquid eidem adfine conſignare litteris.* Caeterum ex deprauata quadam huiusmodi tituli imitatione compoſitus liber *de tribus nebulonibus*, Thoma Aniello, Cromwello, et Iulio Mazarino, videtur, qui anno 1655. in Belgio euulgatus, mox iuſſu Magiſtratus plane ſuppreſſus eſt. Memorant id ex *Nouvelles Lettres de feu Mr.* PATIN Collectores *Actor. Erud. Lat. anno 1718. p. 519.*

§. V.

Alterum, Atheiſmi grauiter accuſatum, habemus PETRVM POMPONATIVM, Mantuanum, ineunte ſaeculo XVI. magna Philoſophiae Peripateticae laude clarum. Scripſit is *de naturalium effectuum cauſſis, ſiue de incantationibus, opus abſtruſioris Piloſophiae plenum, et breuiſſimis hiſtoriis illuſtratum*, quod, iam ante annos quinque et triginta compoſitum, primum cum breuibus scholiis, *Baſil. a. 1556. in 8.* edidit GVIL. GRATAROLVS. Recuſus liber *ibidem a. 1567. eadem forma*, adiectis aliis eiusdem *de fato, de libero arbitrio, de praedeſtinatione*, ac *de prouidentia Dei.* Fuſius recenſetur in *den vnſchuldigen Nachrichten*, Diario illo Loeſcheriano, *anni 1702. p. 827. ſq.* in STRVVII *Biblioth. antiqua, anni 1705. p. 250. ſq.* et in *Actis philoſophor. Heumannianis, Vol. II. P. 9. p. 339. ſq.* Huc porro eiusdem Philoſophi Tractatus pertinet *de immortalitate animae, Bononiae a. 1516. in 8.* iterum-

iterumque, cum aliis eius Tractatibus, *Venetiis a. 1525. in f.* ac denuo ſeorſim *a. 1534. in 12.* loco non adiecto, diuulgatus. Bis haec ipſa poſterior editio repetita eſt, qua de re age! audiamus SAM. ENGELIVM in *Catal. libror. rariſſimor. p. 129.* Ita vero ille: *tres adſunt editiones, eundem titulum et annum prae ſe ferentes, vna in forma octaua, alterae duae in 12. ſed tamen diuerſo anno et loco editae vti ex charta, charactere, et aliis notis characteriſticis facile apparet, illa enim, forma octaua, edita ſub finem ſaeculi XVI. altera in 12. ſub medium XVII. et alia eiusdem formae ſub finem eiusdem ſaeculi prodiiſſe mihi videntur.* Forte poſtremum exemplar, cuius meminit hic loci Engelius, idem illud eſt, de quo STOLLIVS in *der Hiſtorie der philoſoph. Gelahrheit, p. m. 530. edit. nouiſſ.* diſſerit. *In meiner edition,* ait, *ſo in 12. iſt, ſtehet kein Druckort, ſondern nur das Iahr* 1534. *Ich vermuthe, ſie ſey eigentlich in dem Iahre in Sachſen herausgekommen, da ich ſie gekauft, nehmlich a. 1722.* Cf. HERM. VLR. VON LINGEN *kleine deutſche Schriften, P. III. p. 191. in fine.* Fraudulenter quoque, ante decennium circiter, fuit hic ipſe liber in Germania recuſus, eiusque editionis architectum Straubium, bibliopolam ſupra memoratum, ſuſpicantur Auctores *der Hamb. freyen Vrtheile a. 1753. p. 784.* Statim Venetiis vendi liber ille prohibitus eſt, ſimulque carnificis manu combuſtus, praeterea ſacri etiam Oratores publice declamarunt aduerſus eundem. Contendit enim Pomponatius, ſi ducem ſequi Philoſophiam placeat, animam aeque ac illius receptaculum, mortalem vbique eſſe, et vna cum corpore interire: minimum incertiſſimum eſſe, vtrum anima hominis moriatur, an ſit corpori ſuperſtes. Confert igitur hanc diſputationem cum quaeſtione de aeternitate mundi, et vtramque refert inter problemata, de quibus in hanc vel illam partem poſſit probabiliter

Ooooo diſpu-

diſputari. Addit autem, animae immortalitatem ſtatuendam eſſe ob teſtimonium diuinum, in Nouo Teſtamento obuium. At quum auctor eſſet γνησίως Ariſtotelicus, creditus eſt vulgo, cum ſuo Ariſtotele, negare animae immortalitatem. Haec ex NICERONII *Vitis Erud.* memorantur in *Actis Erud. Lat. a. 1736. p. 136.* vbi et plura eo de argumento notatu digna exſtant. De hisce libris iudicauit olim STRVVIVS in *Introduct. in Notit. rei Litter. Cap. IX. §. 5.* Atheiſmi notam Pomponatio nimium ſtudium Philoſophiae Ariſtotelicae inuſſiſſe, potiſſimumque ipſi ex libro priori obiici, quod miracula Chriſti atque Apoſtolorum ad naturales reducere effectus voluerit. Pergit deinde ſequentem in modum: *Dubia mouet, non negamus, eaque ad filum mentemque Ariſtotelis, vera tamen miracula eſſe ſatis teſtatur, cum Scriptura ſacra illa praeſcribat. Alias inconueniens non eſſe, duos effectus oriri poſſe; quorum vnus ex miraculo, alter vero factus per cauſſas naturales, quod exemplo magorum Aegyptiorum et Moſis confirmat. Obiiciunt Monachi, eum in libro de immortalitate animae ſenſiſſe, animas poſt mortem eſſe interituras. Verum ex mente Ariſtotelis loquitur, neque rationes, quae ex natura proferantur, ſufficere ait, ni verbo Dei fidem habeamus. Vt dicamus, quid nobis videatur, atheus non eſt Pomponatius, nimium tamen Philoſophiae ſtudium, atque argumenta, quae ex eadem petit, ipſum naturae reddunt nimium tribuentem. Vnicum addimus, Anton. Sirmondum de immortalitate animae ſcripſiſſe demonſtrationem phyſicam et Ariſtotelicam aduerſus Pomponatium et adſeclas, Pariſiis 1635. in 8. Acceſſit eiusdem appendix, ſiue particularis Pomponatii confutatio.* Hactenus Struuius, cuius a ſententia non diſcedunt homines longe doctiſſimi, v. g. BAELIVS in *Dict. hiſt. et crit.* voce: *Pomponace,* IOH. GOTTLIEB OLEARIVS in Diſſ. ſingulari *de Pomponatio, Ienae a. 1709.* excuſa,

iam-

iamque rariore, (quam in compendium redegit AYRMANNVS *Cap. XV. p. 168. ſq. der allerneueſten Acerrae philologicae*, nouo titulo a. 1748. productae, vt indicaui *Tomo I. p. 145.* IOH. FR. BVDDEVS in *Theſibus theologicis de Atheiſmo et ſuperſtit. p. 119. edit. primae Ienenſis*, nec non NICERONIVS *l. c. Tomo XV. p. 332. edit. Gallicae*, vt alios plures praetermittam ſilentio. At contradicunt etiam, et Pomponatium in atheorum coetu ac numero reponunt Viri non minoris in Republica litteraria auctoritatis, nimirum b. LOESCHERVS in *den Vnſch. Nachr.* loco ſupra iam adducto, HEVMANNVS *Act. Philoſ. Vol. II. p. 337. ſq.* vbi data opera de Atheiſmo Pomponatii agit, et IAC. BRVCKERVS in *Hiſtoria crit. Philoſophiae, Tomi IV. Parte I. p. 179. §. X.* his verbis: *Habes, Lector attente, ipſum Pomponatii Syſtema phyſiologicum,* (antea in compendium redactum,) *quod an impietate vllum vincat, dubii haeremus. Adeo vero aperte rem Chriſtianam omnem perditum iuit, vt ne colorem quidem reliquerit credendi, magis ſobria eum ſtatuiſſe.* Adſerit paullo poſt *p. 181.* Bruckerus, quandoque ſimulare Pomponatium, et rectiora profiteri, ſed iſta tantum ab eo ſcripta videri, vt Inquiſitorum oculos falleret, certeque nihil minus ipſi curae eſſe, quam religionis Chriſtianae veritatem. Alibi paſſim, vbi de homine iſto ſermo eſt, eadem repetit Vir doctus, ſimulque *p. 161.* de ſcribendi genere, quo vſus eſt Pomponatius, ita mentem exponit ſuam: *Ipſam vero melancholici temperamenti, quod naturalem ingenii vim apud Pomponatium ſuppreſſit, notam attentus Lector deteget in ſtilo barbaro, inepto, confuſo, et Scholaſticorum ſtabulum redolente, ex quo facile taedium legenti obrepit; quas dicendi ſcribendique ineptias comitatur methodus obſcura, Scholaſtica, ſpinoſa, et obiectionum atque reſponſionum catenis ita implicita, vt non niſi ſumma attentione adhibita auctoris mens perſpici queat.* Haec ipſa forſitan atra bilis, triſtisque

natura, in peruerſa rapuit hominem miſerum, ideoque, vt mea eſt opinio, meretur aliquid excuſationis. Interim facile adſentior celeberrimo WALCHIO, in *Bibl. theol. Tomo I. p.* 753. ſic ſcribenti: *At vero, ſi iſta* Pomponatii *inter libros atheorum haud referenda ſint; quodam tamen modo iis locus inter ingenii monumenta, a naturaliſtis relicta, recte adſignatur.* Plus certe, quam decet, naturae tribuit.

NICOLAVM MACHIAVELLVM, politicum illum Florentinum, a variis referri quoque inter atheos, notum eſt. De religione enim, cum primis Chriſtiana, non adeo recte ipſum ſentire, cum ex *Diſſertationibus in Liuium, ſiue Diſputationum de Republica libris III. ad Liuii Decadem primam*, tum ex libro eiusdem, *Princeps* inſcripto, ſatis, opinor, conſtat. Diſſertationes in Liuium Italice primum prodiiſſe legi *Venetiis a. 1530. in 8.* quamquam dubio caret, longe antiquiorem ſupereſſe editionem. Recuſae ſunt poſtea ſaepius partim eadem lingua, partim Latine, v. g. *L. B. 1649. in 12.* partim Gallice, vt *Amſtael. a.* 1691. *in 12.* de qua editione paucis agitur in *Actis Erud. Lat. a. 1692. p. 39.* quo ex loco ſequentia decerpere iuuabit: *Italico eum librum idiomate Nicol. Machiauellus a.* 1530. *primum ediderat, Vir famoſus, et qui in librorum prohibitorum et expurgandorum Indicibus quales vulgari in Romana eccleſia conſueuerunt, non alio, quam athei et pſeudo-politici elogio mactatur. - - Vtique et exceptus olim cum applauſu liber, et dignus poſtea habitus a viris non ineruditis fuit, qui non in Latinum tantum, ſub titulo Diſputationum de Republica, ſed Gallicum etiam atque Anglicum ſermonem transfunderetur.* Anglicas Operum omnium editiones binas, vtramque *in folio* ſcio proſtare. Altera *a.* 1675. altera *a. 1695.* dicitur abſoluta eſſe, at melior habetur prior. Cf. *Bibliotheca Iuris Imperant. quadripartita p. 111. ſq.* Princeps

ceps

ceps eiusdem, Italice itidem compoſitus, *Venet. a. 1515. ibidem*que *a. 1532. in* 4. ac deinde plus vice ſimplici excuſus eſt. Sylueſter Telius non ſatis feliciter Latine reddidit librum; praeſtantiorem igitur verſionem, Obſeruationibus ſuis exornatam, accepimus a CORINGIO, *Helmſt. 1660. et 1661. in 4.* quae repetita fuit *ibidem a. 1686. ead. forma.* Aliam poſt hanc interpretationem Latinam CASP. LANGENHERT *Amſtael. a. 1699. in 8.* exhibuit. Anglica verſio *Londini a. 1640. in 8.* Gallica, AMEL. DE LA HOVSSAYE auctore, *Amſtael. a. 1684. in 8.* et Germanica *Frf. a. 1580. ead. forma* lucem adſpexit. Taceo vtrumque librum inueniri etiam in *Operibus* MACHIAVELLI *omnibus*, Italice coniunctim editis. Nouiſſime eadem accepimus *Hagae Com. a. 1726. in 12. mai. Partibus IV.* Apertius autem in Principe propoſuit auctor, quae tectius antea ſcripſerat in libris de Republica. Scilicet adſeruit, nefas non eſſe, ſi princeps quacunque ratione dominatum, aut conſequatur, aut tueatur, imo eundem non tantum cuncta ſuum ad commodum, inſuper habita populi ſalute, referre docuit, verum ipſi etiam, pro virtute ſolida, ſimulationem virtutis commendauit, planeque ſuaſit, vt a regia virtutis via deflectat, ſi perpetua florere felicitate velit. Ob haec, et alia, atheum dixere Machiauellum IOVIVS, RAYNAVDVS, POSSEVINVS, BAELIVS, IOH. FRANC. BVDDEVS, CHRIST. AVG. HEVMANNVS, caet. Vid. laudatus BVDDEVS in *Theſib. theolog. de Atheiſmo et ſuperſtit. p. m.* 132. *ſq.* vbi et *pag.* 136. haec ſcribit: *Licet Machiauellus directe, quantum conſtat, exiſtentiam Numinis non negauerit, aut impugnauerit, hominem tamen profanum, nullius religionis, nullius fidei fuiſſe, taliaque quibus homines ipſi ſimiles redderentur, docuiſſe, ex hactenus dictis conſtat.* Parum etiam pie hominem obiiſſe, rumor olim ſparſit, narrantibus quippe non

 nullis,

nullis, profeſſum eum fuiſſe morti vicinum, malle ſe cum viris magnis apud inferos conſidere, quam cum hominibus ſimplicibus, Petro, Paulo, et mendicis aliis in coelo triumphare. Imo fuere, qui haec litteris mandaſſe Machiauellum contenderent. Sic enim FRANC. HOTMANNVS in *Epiſtola quadam ad Rudolph. Gualterum*: *Wolphius nuper Auguſtae mortuus teſtatur, Machiauellum quodam loco ſcripſiſſe, ſibi multo optabilius eſſe poſt mortem ad inferos et diabolos detrudi, quam in coelum adſcendere. Nam hic nullos reperturum niſi mendiculos et miſellos quosdam Monachos; Heremitas, Apoſtolos: illic victurum ſe cum Cardinalibus, Papis, Regibus et Principibus.* Vid. VIGNEVL MARVILLE *Melang. d' Hiſtoire et de Litterature, Vol. III. p. m. 239.* Impie iſta, et nullo excuſanda modo, ſi vera eſſent. Sed non temere iam vocata in dubium fuere a BVDDEO *l. c.* itemque a BRVCKERO in *Hiſt. crit, Philoſ. Tomi IV. Parte altera*, quae Volumen vltimum explet, *p. 786.* vbi recte, *in quibus narratiunculis*, ait, *merito fidem deſideres: non enim alio talo conſtant, quam opinione de Principe eius peſſima; nec ornari ſuſpicio et difficilis de Machiauello fama potuiſſet, niſi, vitae exitum fuiſſe impium, illi fuiſſet aſſutum. Veriſimile autem non eſt, ſi tantae impietatis reus fuiſſet Machiauellus, paſſurum fuiſſe inquiſitionis officium, vt libri eius ſine cenſura in Italia omnium manibus verſarentur.* Vides itaque, Lector, doctiſſimum Virum cauſſam egiſſe Machiauelli, quem deinde *p. 791.* ſequentibus verbis Atheiſmi crimine abſoluere ſtudet: *iuſtae ratiocinationis pondera et momenta maiora eos habere exiſtimamus, qui Principem Machiauelli pro ſatyra habent, laruam tyrannis detrahente, et libertatis amantibus exoſum imperium atque dominatum reddente; facileque nobis perſuaderi patimur, Mediceos eum clam petiiſſe, quamuis, ad occultandum huuc ſcopum, inſcriptionem libri Mediceae domui*

ſacram

ſacram eſſe voluerit. Hac quaeſtione facti ſuppoſita, adeo male, quam plerique clamant, Machiauellus egiſſe cenſendus non eſſe videtur. Neque tamen diffitetur paullo poſt, in iis ingenioſe exponendis et pingendis induſtriam ſuam demonſtraſſe Machiauellum, quae exponi ſine deteſtatione non debebant, praeterque haec alia occurrere, quae profanam in eo mentem, Dei reuerentia non ſatis munitam, prodere videantur. Iam pridem ante Bruckerum noxae hunc hominem exemerunt etiam FRANC. BACON. DE VERVLAMIO in libro *de dignit. et augment. Scientiar. libro VII. cap. 2. p. m. 550. edit. Leidenſis a. 1645. in 12.* adornatae et ABRAH. DE WICQVEFORT in *l' Ambaſſadeur, lib. I. Sect. 7. circa finem* ſcribens diſerte: *Je ne pretens pas faire l' apologie de ce Politique Florentin, et j' avoüe, qu' il y a des paſſages, qui ne ſont pas fort orthodoxes; mais je ſoutiens auſſi, qu' il y en a, qui peuvent ſouffrir vne explication plus favorable, que celle, que le Pedantiſme leur donne ordinairement. Il faut ſuppoſer qu' il dit presque par tout ce, que les Princes font, et non ce qu' ils devroient faire, et s' il y meſſe quelquès fois des maximes, qui ſemblent étre incompatibles avec les regles de la Religion Chrêtienne, c' eſt pour faire voir, comment les Tyrans et les Vſurpateurs en vſent, et non comment les Princes legitimes en doivent vſer.* REIMMANNVS porro in *Hiſtoria Atheiſmi, Sect. III. Cap. 4. §. 4. p. 356.* quamquam negare non audet, vulneratam eſſe, et multa tabe, et ſanie, et ſanguine corrupto refertam Machiauelli cauſſam; ingenue tamen concedit, nusquam in ſcriptis eius vel directe, vel indirecte oppugnari Numinis exiſtentiam. Conferatur *Biblioth. Angloiſe Tomo XIV. Parte I. p. 145. ſq.* vbi parum abeſt, quin excuſet doctiſſimus auctor Machiauellum, magisque damnet Naudaei librum: *Les Coups d' Etat,* quando *l. c. p. 146.* haec profert: *Les conſiderations politiques ſur les Coups d' Etat renferment tout ce, que l' on*

l' on peut conçevoir de plus infernales Maximes, et comment y ſontelles debitées? Comme des Loix; comme des préceptes; comme le fin et l' eſſentiel du Miniſtere et de l' art de regner. On ne ſauroit dire du Pariſien ce qu' on pu dire du Florentin, *qu' il montre ce, que les Princes font, et non ce, qu' ils doivent faire. Malgré tout cela Naude paſſe pour un Auteur ſans conſequence, - - et ſi Vous dites un mot de Machiavel ſans crier à* l' Infame, *et* à l' Athée, *vous courez visque de vous perdre d' honneur.* Nemo autem hac noſtra aetate plus curae ac diligentiae in defendendo Florentino adhibuit, quam IOH. FRID. CHRISTIVS, inſignis quondam Academiae Lipſienſis Profeſſor. Edidit is *Halae M. a.* 1731. *in* 4. de NICOL. MACHIAVELLO *libros III.* in quibus non ſolum de vita ſcriptisque huius Viri differit, verum etiam *libro II.* de traditis illius ſecundum argumenta aduerſariorum agit, et ad ſingula docte reſpondet, tandemque *libro III.* de Secta eiusdem iudicium expromit. Meminit labores Chriſtii HEVMANNVS in *Conſp. Reip. litt. Cap. VI. ſ. 33. nota u) p. m. 373.* at ita meminit, vt facile pateat, eum non admodum fauere Machiauello. Audiamus ipſum! *Chriſtii acumini, ait, an ſuccubitura ſit Conringii ſententia, qua nec pro viro eximiae prudentiae habetur Machiauellus, et Epicureorum, hoc eſt, diuinam prouidentiam non agnoſcentium, gregi adſcribitur, dies docebit. Ego quidem, etſi, quum aliquando legi illum Principem, clariſſima mihi viſus ſum deprehendiſſe impietatis veſtigia, tamen paratus ſum a Conringio deficere, imo a memet ipſo, vbi lectio Chriſtiani Operis prorſus alium mihi repraeſentauerit Florentinum illum. Interea referre liceat, doctiſſimo cuidam viro in Biblioth. raiſonnée, Tomo XI. p. 362. ſq. lauiſſe Aethiopem videri Chriſtium, virum alioqui acutiſſimum.* Ita quidem Heumannus. Valde tamen vereor, vt, quod ad Conringium attinet, ſatis recte in memoriam ſibi

ſibi reuocauerit eiusdem de Machiauello ſententiam. In ea certe ad Gebh. ab Aluensleben Epiſtola, quam Principi olim praemiſit, quamque hic ego loci de meliori commendandam Lectoribus eſſe puto, fatetur quidem, ſacrorum noſtrorum obtrectatorem illum paſſim fuiſſe, diuinaeque circa humanas res prouidentiae perexiguam hominem habuiſſe cognitionem, at paullo poſt ſubiicit: *Omnis Machiauellica iſthaec ſacrorum noſtrorum obtrectatio intra paucas voculas, hic aut alibi ſparſas, ſtetit, nec vsquam vel conatus aliquis eſt adhibitus, ſalutiferam de prouidentia diuina doctrinam ſpecioſa ratiocinatione conuellendi. Imo paſſim ita ſe gerit, vt nihil in eo quamuis acerrimus cenſor deſiderauerit.* Quodſi ergo ſine praeconceptis opinionibus doctrinam ac mores Machiauelli expenderimus, pronunciare rei conuenienter licebit, iniuria ipſum Atheiſmi accuſari; quamquam hoc ſit, non inuita veritate, concedendum; ſummae eundem pietatis exemplum haud prodidiſſe. Cf. WALCHIVS *Bibl. theol. Tomo I. p.* 755.

Succedat Machiauello BONAVENTVRA DES PERIERS, Margarethae, Reginae Nauarrae, Cubicularius, qui praecipue innotuit ob *Cymbalum mundi*, libellum *Pariſiis a.* 1537. *in* 8. ſumto THOMAE DV CLEVIER nomine editum, ſequentique *Lugduni* in Gallia recuſum. Latina eum lingua primum ſcriptum contendit in *Bibliotheque de France p.* 36. DE LA CROIX DV MAINE; at vero propius videtur, Gallice ipſum eſſe compoſitum, quamuis auctor, conuerſum de Latino in Gallicum ſimulauerit. Plerique olim eruditorum vbi de Perierio verba faciebant, Atheiſmi nefandaeque impietatis eundem reum dixere. Cf. GISBERT. VOETIVS *Diſſert. ſelect. Vol. I. p.* 199. *ſq.* Hoc autem ſaeculo mitiores nactus eſt iudices. Maxime PROSP. MARCHAND ſingu-

ſingulare et adcuratum libelli examen inſtituit, auctoremque a tanto ſcelere pronunciauit liberum. Factum id in *Epiſtola critica*, nouae *Cymbali* editioni *Pariſ. a, 1706. in 12.* praemiſſa. Tunc quidem FELICIS DE COMMERCY nomine vſus eſt Marchandus, poſtea tamen, quum *anno* 1711. *Amſtaelodami* libellus iterum prelo exiret, ſuſtulit velum, ſuumque nomen adiecit. Tertia Marchandi editio *Pariſiis*, non, vti adſeritur in titulo, Amſtaelodami *a.* 1732. notis variorum eruditorum locupletior abſoluta fuit. Quarta nouiſſime adornata *Amſtael. a.* 1753. *in 8.* plagulis decem et quinque. Acceſſerunt aliquot figurae aeneae, quae et in prioribus editionibus conſpiciuntur. Vltima, itemque Pariſienſis annum 1732. praeferens, ex ipſo eſt authentico adornata: in prima e contrario Marchandi editione exemplum Lugdunenſis manuſcriptum ſequi debuit typographus, quoniam inueniri non poterat alterum, ipſius Perierii cura euulgatum. Vnicum ſaltim huius editionis, omnium primae, ſuperfuiſſe noſtra aetate Pariſiis in Bibliotheca Boziana, docent *die Goetting. gel. Anzeigen anni 1755. Parte IX. p. 76.* Anglicam quoque verſionem *Londini a. 1723. in* 8. *mai.* emiſſam, ſibi obueniſſe aliquando, indicat VOGTIVS in *Catal. libror. rarior. v.* Cymbalum mundi, *p. m.* 231. Libellum autem hunc, Luciani methodo confectum, quatuor exhibere Dialogos, Marchandus docet. Primus tertiusque de Mercurio agit, ſecundus de Chymicis et lapidis philoſophici inueſtigatoribus, quartus denique de canibus Actaeonis. Explodi in his, pergit, Numina paganorum, Atheiſmi vero nullum occurrere veſtigium, eosque omnes, qui hac auctorem adſpergere macula voluerint, aliud argumentum non habuiſſe, quam rumorem publicum, et quod coecum coecus fuerit ſequutus. Cf. REIMMANN. in *Hiſtor. Atheiſmi p. 385. ſq.*

et

et BAELIVS in *Dict. hiſt. et crit. v.* Periers, *litt. B.* vbi et haec inter alia: *Il ne paroit point, que du Verdier Vauprivas* (cuius antea verba recitauerat) *ait trouvé aucun venin dans cet Ouvrage, mais ſeulement le ridicule dans la Religion Paienne caet. La plupart des autres Lecteurs ont prétendu, que ſous prétexte de ſe moquer du Paganiſme, Bonauenture des Periers avoit attaqué la veritable Religion. Le Pere Merſenne en a jugé de la ſorte. Cet homme-la, dit il, étale les Fables de Jupiter et de Mercure, caet. et ſe veut par lá fraier le chemin à tourner en ridicule la Foi Catholique, et à rejetter les plus grandes véritez, que nous diſions, et que nous croions de Dieu.* Per quas (fabulas) fidem catholicam irridere, et ea, quae de Deo veriſſima eſſe dicimus, et credimus, reiicere velle videtur. Vid. MERSENNVS apud VOETIVM *l. c. p.* 199. Addit ſub finem huius articuli Baelius ex HENR. STEPHANI *Apologie d'Herodote cap. XVIII.* de miſera hominis morte, quam circa annum 1542. obiit; ſequentia: *Je n' oublierai pas Bonav. des Periers, l' Auteur du deteſtable livre intitulé* Cymbalum mundi, *qui non obſtant la peine, qu' on prenoit à le garder, (à cauſe qu' on le voioit être deſeſperé, et en deliberation de ſe deffaire) fut trouvé s' etant tellement enferré de ſon epée, ſur la quelle il s' étoit jetté, l' aiant appuyée le pommeau contre terre, que la pointe entrée par l' eſtomac ſortit par l' eſchine.* WALCHIVS itaque in *Bibl. theol. Tomo I. p.* 759. poſtquam ſcripſerat, Opuſculum hoc a nonnullis Atheiſmi macula notatum fuiſſe, cuius tamen nulla ſigna in eo ineſſe, alii adcuratius iudicarint, id ipſum collocare mauult inter hos, qui Naturaliſmum redolent. Hac occaſione memorare iuuabit aliud, de quo REIMMANNVS *l. c. p.* 387. verba facit, Opuſculum homonymum quodque non niſi manu ſcriptum ſe vidiſſe aliquando teſtatur. En! titulum: *Cymbalum mundi, h. e. doctrina ſolida de Deo, Spiritibus, Mundo,*

reli-

religione ac de bono et malo, ſuperſtitioni paganae ac Chriſtianae oppoſita, Eleuteropoli a. 1668. In pagina auerſa legebatur: Prima editio prodiit 1617. haec altera eſt Manuſcriptis Autoris Itali aucta et correcta. Vtrumque hoc falſum eſſe, et ad palpum lectori impingendum confictum, putat laudatus Reimmannus, neque enim Italum eſſe auctorem credit; neque in lucem conſpectumque publicum exiiſſe vnquam librum, nedum bis excuſum eſſe, quum apud eruditos omnes, etiam diligentiſſimos librorum damnatorum collectores, altum de eo adhuc fuerit ſilentium. Pergit deinde Vir doctus: *Horret animus, eius enarrare argumentum: vsque adeo omnem Auctor poſuit frontem, et pudori cuiuis et pietati ac religioni indixit bellum, iuratus omnis Eccleſiae et ciuitatis bene conſtitutae hoſtis. Scilicet religionem omnem commentum putat eſſe politicum, fontemque eius ac radicem Imperium, regemque adeo ac ſacerdotem peſſimum eſſe hominis genus, bipedumque nequiſſimos. Moſen aliud nihil quaeſiſſe, quam imperium, et monarchiam ſuam* θεοκρατείας *vocabulo occultaſſe. Chriſtum excellentem Medicum iuxta ac Philoſophum Iudaeos tantum modo ſanare voluiſſe a praeiudiciis;* caet. - - - *nec quidquam fidei mereri Scriptores ſacros, qui teſtes fuerint in cauſſa propria, et nihil minus, quam* θεόπνευστοι. *Rationem potius pro norma fidei et vitae eſſe habendam, de Deo autem nec adfirmandum quidquam, nec negandum, ſed hanc materiam referendam ad incognita.* Sub finem addit Reimmannus, reliqua enim, ne ſit locus nimis longus, ſilentio placet praetermittere: *Ex hoc vngue leonem, et ex ſpurciſſimis hisce ſordibus. vnusquisque facile latrinam poterit agnoſcere, et per ſemet ipſum intelligere, dirum quam ſpiret odorem.*

Cf.

Cf. Viri laudati *Catal. Bibl. Tomo I. p. 1030.* Idem liber manu exaratus producitur in *Bibliothecae Hohendorfianae Tomo III. p. 262.* et in *Bibl. Vffenbachianae Tomo III. p. 682.* FABRICIVS etiam eius ſe vidiſſe apographum profitetur in *Syllabo Scriptorum de verit. relig. Chriſt. p. 475. prout* VOGTIVS docet *l. c. p. m. 229. voce*: Cymbalum mundi.

§. VI.

Qui fuit Pomponatij diſcipulus, SIMON PORTA, vel PORTIVS, Neapolitanus patria, ab alio, eiusdem nominis, quem Doctorem Theologiae Romanum exſtitiſſe noui, probe ſecernendus, tanta fide magiſtri ſui, ipſiusque Ariſtotelis, recepiſſe doctrinam dicitur, vt etiam in ſingulari tractatu *de anima et mente humana* demonſtrandum ſibi ſumſerit, animas eſſe cum corpore interituras. Lucem adſpexit haec Diſputatio *Florent. a. 1551. in 4.* et paginas 98. explet. Recuſa deinde cum IAC. ANTON. MARTAE, Neapolitani, *Apologia de animae immortalitate*, caet. *et digreſſione, quod intellectus ſit multiplicatus, Neapoli a. 1578. in f.* teſte VOGTIO *l. c. v.* Sim. Portius. Libellum impium, et porco, non homine auctore, dignum iudicat CONR. GESNERVS in *Bibliotheca vniuerſali*, quod repetiere NICOL. TOPPIVS in *Biblioth. Napolit.* STRVVIVS in *Introd. in notit. rei litterariae*, (cuius integrum de Portio §phum fide non optima ſuos in vſus conuertit IENKIN. THOMASIVS PHILIPPS in *Hiſtor. Atheiſmi p.* 158. *edit. primae*,) NICOL. COMNENVS PAPADOLVS in *Hiſtor. Gymnaſ. Patauini, Venet. a. 1726. in f.* Tomis II. edita, *p. 203.* aliique. Sed pauci forte in manibus habuerunt eundem, rariſſimus eſt enim, praecipue editio illius prima, quam recenſet GOETZIVS in *den Merkwürdigk. der Königl. Biblioth. zu Dresden, Vol. II. p. 419. ſq.* ſimulque adſerit, nimis obſcure, quid ſentiat, exponere aucto-

auctorem, clara vero eſſe verba *p. 88.* obuia: *intellectus paſſiuus, qui eſt facultas animae connata, marceſcit, quia ſubiectum, et anima ipſa, aboletur.* Neque tamen condemnare audet hominem, cum quod ſcriptum eius in nullo librorum prohibitorum Indice reperiatur, tum quod ſcribat ipſe, Ariſtotelis vnice principia ab ſe fuiſſe adoptata. Nemo ignorat, quanta tunc temporis Philoſophi huius fuerit auctoritas, ideoque dicta Portii, caeteroqui minime probanda, quadam ſectae excuſatione leniri poſſe videntur. In hanc certe partem iam propenſus fuit THVANVS *Hiſtoriar. libro XIII. ad a. 1554. p. m. 617.* vbi ſic: *Sequutus eſt Sim. Portius, Neapolitanus, in patria anno aetatis 57. mortuus, olim P. Pomponatii, Mantuani, celeberrimi aetate ſua philoſophi, diſcipulus, nequaquam praeceptore ſuo inferior, ſed in eo ſuperior, quod ad Peripateticae ſcientiae, a doctoribus barbaris hactenus tractatae, cognitionem linguae graecae et bonarum litterarum ornamenta attulit. Non nihil,* dum Ariſtotelicae doctrinae plus iuſto tribuit, *in diſputationibus de anima et mente humana Pomponatii ſui culpae affinis creditus, plerisque aliis in eo genere opuſculis, quae exſtant, magnum nomen adeptus.* Reliqua Portii ſcripta enarrat GE. ABRAH. MERCKLINVS in *Lindenio renouato, p. 974.* Cf. BRVCKERVS in *Hiſt. crit. Philoſ. Tomi IV. Parte I. p. 183.*

GODOFREDVS VALLEE, Aurelianenſis, Pariſiis anno 1573. ob Atheiſmi crimen combuſtus eſt. Compoſuit enim libellum, ſine loci anniue mentione vnica ſaltim plagula editum, cuius haec eſt inſcriptio, ſatis abſona: *La beatitude des Chrêtiens, ou le Fleo de la Foy, par* GEOFFROY VALLEE, *natif d'Orleans, fils de Geoffroy Vallee, et de Girarde le Berruyer, aux quels noms de Pere et Mere aſſemblées, il s'y trouve. Lerre Geru Vrey Fleo de la Foy bigarrée, et au nom du*

fils

fils. Va Fleo Reglè Foy: autrement Guerre la fole Foy. Heureux, qui ſait, ou ſavoit au repos. Sunt, qui ex male intellecto IOH. MALDONADI, Ieſuitae Hiſpanici, loco *Commentar. in Euangelium Matthaei cap. XXVI.* alium adhuc Valleo librum *de arte nihil credendi* adfinxere. Sed vnicum eius ſcriptum eſt tantum, quod antea memoraui, idque ad rariſſimos pertinet. Non niſi vnum exemplum, typis impreſſum, ſupereſſe in Bibliotheca Abbatis d'Eſtrées, quae, vt *Tomo I. p. 228.* obſeruaui, hodie in Bibliotheca S. Germani apud Pariſinos exſtat, ſub finem Epiſtolae ſuae ſuper libro de tribus Impoſtoribus, *Menagianorum Tomo IV.* inſertae, MONNOIVS confirmat. BAELIVS in *Dictionario*, v. Vallée, de hocce foetu ita iudicat: *C'eſt vn livre plein de blaſphémes et d'impiétez contre Ieſus-Chriſt.* Sed in longe aliam diſceſſit ſententiam SALLENGRIVS in *Memoires de Litterat. Tomi I. Parte 2. art. 2.* qui exhibet *Memoires ſur Geoffroy Vallée, p. 227. Cela eſt ſi peu vrai,* ait, *que dans tout le livre il n'eſt pas ſeulement fait mention de Jeſus Chriſt, directement ou indirectement.* Paullo tamen poſt addit idem: *Vallée fait parler dans ce livre le Papiſte, le Huguenot, l'Anabaptiſte, le Libertin, l'Athée caet. et leur fait dire des impietez mêlées avec beaucoup de paroles, entiérement deſtituées de ſens.* Cf. PETRI FRID. ARPII *Feriae aeſtiuales p. 125.* vbi adſentitur Monnoio, ſcilicet auctorem non Atheiſmum proprie ſic dictum profiteri, ſed Deiſmum aliquem. Agnoſcere ipſum Numen, at, Epicuri more, tranquillum, nullam rerum humanarum ſuſtinens curam, adeoque huius cauſſa, eundem nec poenarum nec mortis ſollicitudinem habere. Pergit deinde Arpius: *Errauit, ſtulta aſſeruit; an igitur ſtatim ad triremes? ad rogum? ad leones? Morbo laborat, mentis deliquium patitur, an accuſaſſe ſufficiet? Qui ſtatuit aliquid parte inaudita altera, aequum licet ſtatuerit, haud*

haud aequus eſt. NICERONIVS quoque in *Vitis Eruditor. Tomo XXIX. edit. Gallicae.* Virum hunc, quem ego deſertum plerumque a ratione credo, ex atheorum numero eximere non dubitat.

De religione IORDANI BRVNI, qui a patria vocatus eſt Nolanus, diſputatur itidem in vtramque partem. Nonnulli quippe atheum omnino fuiſſe hominem, nonnulli contra mitius cum eo agi debere, contendunt. Noſtra praecipue aetate ſurrexit contra eundem, tantique ipſum ſceleris coarguere multis argumentis ſtuduit MATVRINVS VEISSERIVS LA CROZE, Berolinenſium quondam decus. Factum hoc in *Entretiens ſur divers ſujets d' Hiſtoire, de Litter. de Religion et de Critique*, Coloniae ſeu *Amſtael.* potius, *a.* 1711. *in* 12. *mai. p. 284. ſq.* Ei vero reſpondit HEVMANNVS *Actor. Philoſoph. Vol. II. Parte 9. p. 380. ſq.* vbi Obſeruatio: *Iordani Bruni Vnſchuld in puncto der Atheiſterey.* In ea Vir doctus adſerit, Brunum Romae anno 1600. combuſtum eſſe non propter Atheiſmi crimen, ſed quod a ſacris Pontificiorum defecerit, et Lutheri doctrinam fuerit amplexus. Modeſte autem Lacrozius Heumanni dicta refellere conatus eſt ſingulari ad eum Epiſtola, quae *Actorum Philoſoph. Parte XI. p. 792. ſq.* conſpicitur, hancque mox *p. 810.* excipit reſponſio Heumanniana, in qua, vt alia praetermittam, haec *p. 812.* occurrunt: *Tu Brunum habes pro homine aſtuto et improbo, pro ingenioſo nequam, ab eoque ſententias impias tectiſſime propoſitas fuiſſe cenſes, atque adeo eius verba interpretanda tibi videntur in partem longe peſſimam. Ego contra iudico, fuiſſe hominem non malum, ingenio praeditum ſimplici, et eius ſapientiae, cuius opinione inflatum gerebat animum, oſtentatorem minime callidum. Hinc arbitror, non eſſe durius interpretanda ipſius verba, quippe cum bonus vir nec circum-*

ſpecte

ſpecte ſatis ſcripſerit, nec omnes peruiderit abſurditates, quae prono quaſi alueo ex eius doctrinis deriuari queunt ab acutioribus. Sequitur ad hancce Epiſtolam *p. 818. Adpendix* Heumanni, quaedam Bruni loca, quibus Lacrozius opinionem ſuam corroborauerat, adcuratius examinans. Nunc etiam Heumanni Epiſtola recuſa exſtat in *Theſauro epiſtol. Lacroziano, Tomo I. p. 153.* Lacrozii autem litterae in *Tomo III. p. 138. ſq.* locum ſunt nactae. Plerique eruditorum, quantum ego quidem ſciam, Lacrozii probarunt de Bruno iudicium, et non blaſphemiae tantum conuitiorumque, in religionem reuelatam iactorum, eundem accuſant, ſed et Spinoziſmum ipſi ſine haeſitatione tribuunt. Sunt inter hos BAELIVS in *Diction. v.* Brunus *litt. d)* IOH. FR. BVDDEVS in *Theſibus de Atheiſmo, Cap. I. §. 24. p. m. 114. ſq.* CAROL. STEPH. IORDANVS in *Diſquiſit. hiſt. litter. de Iordano Bruno, Nolano, Primislauiae, ſine anno adiecto, in 8.* excuſa, iterumque, ob raritatem, edita in SIMONETTI *Sammlung vermiſchter Beytraege, Lipſ. et Frf. ad Viadr. 1749. ſq. in 8. Vol. II. p. 273. ſq.* item Auctor *Spectatoris*, qui gentis ſuae cenſorem apud Britannos egit, *Tomo IV. Diſc. 27. p. 157.* Hos adducit BRVCKERVS in *Hiſtor. crit. Philoſ. Tomi IV. P. 2. p. 55.* Addo IOH. GE. WALCHIVM in *Bibl. theolog. Tomo I. p. 678.* et IOH. CHRIST. WOLFIVM in *Theſ. epiſt. Lacroziano, Tomo II. p.* 135. et *p. 143. in fine,* vbi ſic: *Iordani Bruni ſcripta non intelligo, nec ſatis mihi vel ingenii, vel otii eſt, vt in vero ſcriptorum eius ſenſu ex abdito eruendo occupari poſſim. Hoc tamen aperte videre mihi videor, hominem non fuiſſe ſimplicem, quem Heumannus ſibi perſuadet. Ingenio enim apprime valuiſſe, vel Rhetorica eius euincit, vt de caeteris non dicam.* NICERONIVS quoque in *Vitis Erudit. P. XIII. p. 106. edit. Germ.* et AVG. BEYERVS in *Memoriis hiſt. crit. libr. rar. p. 229.* eandem cum Lacrozio ſen-

Ppppp ten-

tentiam ſunt amplexi. E contrario a partibus Heumanni ſtant MORHOFIVS *Polyh. Tomo I. lib. 1. cap. 8. §. 22. p. m. 74.* ac *Tomo II. lib. 2. parte I. cap. 15. p. 244.* illuſtris KAHLIVS in *Bibliotheca philoſ. Struuiana, Tomo I. p. 142. ſq.* et IOH. IAC. ZIMMERMANNVS in Diſſert. *de Atheiſmo, Iordano Bruno Nolano impacto,* quae inſerta *Muſeo Heluetico, Tomo V. P. 20. p. 557. ſq.* et cui adiunxit non nihil in *Parte 21. artic. 1.* Recuſa haec in Auctoris *Opuſculis, theolog. hiſtor. et philoſophici argumenti, Tomo I. Turici anno 1751. in 4.* edito, *num. XI.* Germanice autem reddita exſtat eadem in WINDHEMII *philoſoph. Biblioth. Vol. V. P. 2. p. 97. ſq.* BRVCKERVS denique, admodum copioſe ac diligenter de Bruno diſſerens, *l. c. p. 62. Certe paradoxa,* inquit, *et a placitis Chriſtianis multis nominibus diſcedentia ſomnia Brunum fouiſſe, quale eſt praeadamitarum fabula, negare non audemus, et ipſum eius ſyſtema philoſophicum attentis ſuadet. Quae ab improbitate Brunum liberari non poſſe, ſatis quidem certo ſunt teſtimonia, at atheiſmum tamen non euincunt, forte mitiorem quoque et benigniorem interpretationem admittunt, de quo illi ſtatuent, quibus ipſius libelli* (de quo mox) *legendi copia occurrit; multo minus ad excuſandam Romanae inquiſitionis ſaeuitiam ſufficiunt.* Putat etiam cum Heumanno, ideo ſupplicio tam terribili exſtinctum hominem miſerum fuiſſe, quod Pontificiorum ſacris deſertis ad haereticos, quos vocant, ſeceſſerit: colorem autem ſententiae atrociſſimae ab impietate ac blaſphemia eſſe petitum. Scripta Bruni, quae magno numero reliquit, obſcuro plerumque et inſuaui dicendi genere compoſita ſunt, interque rariora occurrunt rariſſime. Ego ea tantum in medium hic proferam, quae carbone notarunt omnes. Primum huc ſpectat *Spaccio della Beſtia trionfante, propoſto da* Gioue, *effettuato*

dal

dal conſeglio, *reuelato da* Mercurio, *recitato da* Sophia, *udito da* Saulino, *regiſtrato dal* Nolano. *Diuiſo in tre Dialogi, ſubdiuiſi in tre parti. Stampato in Parigi 1584. in* 8. plagulis 16. Vere autem librum hunc non eſſe Pariſiis, ſed in Anglia, forte *Londini*, excuſum, poſt CASP. SCIOPPIVM et BEYERVM *l. c. p.* 219. recte ſuſpicatur BRVCKERVS *l. c. p.* 61. imo nondum extra controuerſiae aleam poſitum eſſe ait, quod ab ipſo Bruno liber, teſte Baelio ineptus et confuſus, ſcriptus fuerit: ipſum Brunum in nullo, quod eius genuinum eſſe conſtet, ſcripto ad illum prouocare, qui frequenter tamen et edita, et adfecta, vocare in partes ſoleat. (Idem dubium ſiam in mentem venerat HEVMANNO *Act. Philoſ. Vol. II. p.* 405. cui tamen contradixit ENGELIVS in *Biblioth. ſelectiſſ. P. I. p.* 28. Nec aliter ſentit CLEMENT in *Bibl. de livr. dificiles à trouver*, *Tomo V. p.* 306.) *Viderint itaque*, addit Bruckerus, *qui curioſius arcana litteraria ſcrutantur*, *an non libellus ipſe ab homine aliquo nequam Bruno ſuppoſitus ſit*, *cum percrebuiſſet*, *Beſtiae triumphantis titulo*, (*id quod ex Scioppii relatione nouimus*) *acerbiſſimam in Pontificem Romanum et eius coetus ſequaces ſatyram euulgaſſe*, *ut hoc titulo auidius cariusque emeretur liber*, *quo ſimili artificio Tolandum in vulganda libelli verſione Anglica*, *vſum fuiſſe narrat* MOSHEMIVS in *Vita Tolandi ſ. XXXII. p.* 173. *Suppoſitum quoque cenſet auctor diſſertationis*, *qua Cl. Monetae de tribus Impoſtoribus reſpondetur*, *p.* 4. *ſq.* Immani ſaepe pretio liber eſt redemtus, ex quo potiora decerpſit CHAVFEPIE' in *Nouveau Dict. hiſtor. et crit. Tomo II. p.* 455. *ſq.* Ioh. Beſſerum pro exemplari ſuo, quod nunc eſt in Bibliotheca Dresdenſi-Regia, trecentos florenos Belgicos perſoluiſſe, indicant *die Leipz. gel. Zeitung. a.* 1726. *p.* 278. et GOETZIVS in *den Merkwürd. der Königl. Bibl. zu Dresd. Vol. I. p.* 371. BVNEMANNVS in *Catalogo*

talogo ſuo libr. rariſſ. p. 13. pro centum Imperialibus vendidiſſe, quam habuerit, editionem libri teſtatur. NICERONIVS in *Vitis Erudit. Parte XIII. p. m.* 111. vix quinquaginta nummis aureis Gallicis, (*Louis d'or*) illum ſuo tempore venalem fuiſſe, confirmat. In quadam etiam venditione publica apud Anglos octo et viginti libris eundem eſſe comparatum, referunt Collectores *Actor. Erud. Lat. a. 1721. p. 490.* IOH. TOLANDVS, vt ſupra ex Bruckero relatum, Anglicam interpretationem *Londini a.* 1713. *in 8.* hoc titulo edidit: *The expulſion of the triumphant Beaſt. Translated from* IORDANO BRVNO's *Spaccio della Beſtia triomfante.* Pauca tantum exemplaria, (quorum pars et ſic inſcripta conſpicitur: *Spaccio della Beſtia triomfante, or the expulſion of the triumphant Beaſt. Translated from the Italian of* IORDANO BRVNO,) curauit excudenda, vt pretium eorum amplificaretur, teſtante NICERONIO in *Vita Tolandi, P. II. p. 58. edit. Halenſis.* Omiſit autem interpres impius Epiſtolam Bruni explicatoriam. Quod ad ipſius huius libri argumenta attinet, plerique fatentur, non Pontificem Romanum ibidem perſtringi, ſed ſatyram enthuſiaſtico-atheiſticam exhiberi, quae omnem cultum Dei et ſacra quaecunque licentius eludat. Iouem enim, Momum et Conſtellationes inuicem ſermones miſcere atque conſilia, Ioue quidem conquerente, quod omnis Deorum cultus apud mortales intercidat; Momo culpam rei in Deorum amores, et regiminis diuini peruerſitatem reiiciente, Conſtellationibus tandem decernentibus, religiones omnes poſthac abolendas eſſe, earumque in locum ſubſtituendas virtutes morales: vbique fabulas Poetarum ſacris hiſtoriis, Moſen et Chriſtum Mahomedo aequari, Deumque ſemper adpellari naturam. Haec ex libro Anglico: *Diſcourſes concerning the Everbleſſed Trinity,* decerpta legun-

leguntur in *Actis Erud. Lat. l. c. p. 491.* BEYERVS *de libris rarior. p. 220.* adſerit, perluſtraſſe ſe libellum, et obſtupeſcere coepiſſe ad verba, quibus fidei Chriſtianae praecepta rideat Brunus: Impoſtoris vocem ſaepius eum repetere, adplicatione ad tres Legislatores inſulſe ac impie facta: Religionum genera exſibilari, virtutes in coelum inter tot gentilium ficta numina euehi, vt hominum circa virtutes ſtudium prorſus inutile pronunciari poſſet. Et quibusdam interiectis ſubiicit: *Euoluenti libellum ipſum occurrerunt loca nonnulla, in quibus vitam aeternam et immortalitatem deriſui habet;* idque binis ſpeciminibus ex Dialogo ſecundo, hac enim vſus eſt methodo auctor, comprobare ſtudet. Plura de libro iſto notatu digna congeſſit perdiligenter CLEMENT *l. c. p. 304. ſq.* Alter Bruni liber, isque malae farinae, eſt, quem *de l'infinito vniuerſo et Mondi* inſcripſit. Prodiit *a. 1584. in 8. Venetiis,* vti patet ex titulo: at factum id etiam *Londini* fuiſſe, vbi tunc Brunus commorabatur, ſatis videtur ſimile vero, ſi ea perpenderis, quae CLEMENT *l. c. p. 303.* differit. Poſtrema eiusdem verba haec ſunt: *Diſons donc, que le Bruno a fait imprimer à Londres ces livres paradoxes, et qu' il a emprunté les noms des Villes de Veniſe et de Paris, pour mieux cacher le lieu de leur origine; et prévenir par ce moien la deſtruction, dont ils etoient menacés.* Ex quinque ſcriptum Dialogis conſtat, in quibus plures dari mundos, eosque aeternos, docuit. Sequebatur ſtatim *La Cena de le Ceneri, deſcritta in cinque Dialoghi, per quattro Interlocutori, con tre Conſiderationi circa doi ſuggetti 1584. in 8.* Non dubitandum, *Londini* etiam hunc librum exiiſſe prelo. Paucis agit de illo BEYERVS *l. c. p. 273. ſq.* nec erubeſcit fateri, Philoſophum, tot verborum ampullis, tamque inſipidis aenigmatibus turgentem, intelligere ſe haud potuiſſe. Hoc tamen

men bene perſpici, libellum non ſaniora, quam ipſum τὸ *Spaccio* cognominatum, dogmata fouere, quin imo auctorem mentem in eo ſuam pluribus corroboraſſe. Addo ex aliorum relatione, Brunum et hic mundorum ſtatuere multitudinem, noſtro quem incolimus, ſimillimorum, plantisque et animalibus, ratione praeditis, abundantium. Denique ſuccedant *de triplici Minimo et Menſura, ad trium ſpeculatiuarum ſcientiarum et multarum actiuarum artium principia, libri V. Frf. ap. Ioh. Wechelium a.* 1591. *in* 8. itemque *de Monade, Numero et Figura liber conſequens quinque de Minimo, Magno et Menſura: item de Innumerabilibus, Immenſo et Infigurabili, ſeu de Vniuerſo et Mundis libri octo, ibid. eodem*que *anno et forma.* Vtrique Operi, Lucretii exemplo, verſibus heroicis compoſito, figurae quaedam ligno inciſae paſſim acceſſerunt. Poſterius fuſe recenſetur ab HEVMANNO in *Act. Philoſ. Vol. I. P. 3. p. 501. ſq.* et *P. 5. p. 869. ſq.* librosque de Vniuerſo et Mundis valde immutatos diuerſosque ab exemplari Italice ſcripto, quod ſupra memoraui, ENGELIVS eſſe dicit in *Bibl. ſelectiſſ. P. I. p.* 28. Priorem etiam librum de triplici Minimo et Menſura deſcripſit HEVMANNVS *l. c. Vol. II. P. 9. p. 436. ſq.* vbi ſimul, fide typographi, certiores reddimur, figuras ipſa Bruni manu fuiſſe ſculptas. Atque hi ſunt hominis infelicis labores, prae caeteris rari, multoque veneno et opinionum prauitate infecti. Omnia, quae crimini danda eſſe credidit LACROZIVS, in has redegit propoſitiones: *Iordanus*, ait, *naturam unam, ſeu vniuerſum vnum, eſſe Deum ſtatuit: Adamum neque protoplaſten fuiſſe, neque omnium hominum patrem: Religionem Chriſtianam fabulam eſſe. rectae rationi contrariam: nihil aliud adfirmari poſſe de Moſaica, caeterisque religionibus: nullam eſſe creationem rerum, imo quicquid in infinitum exſtat, id aeternum eſſe, et ne-*

ceſſario

ceſſario exſiſtere: animas hominum reliquorumque animalium e corporibus in corpora migrare. Vid. HEVMANN. *l. c. Vol. II. P.* 11. *p.* 794. Haec et alia, quae ex SCIOPPII *ad Rittershuſium Epiſtola* refert NICERONIVS *Parte XIII. p. 106. edit. Halenſis* an veritate nitantur prorſus, examinent peritiores. Legimus enim ibidem, Brutum adſeruiſſe, quod Moſis miracula non niſi artibus magicis tribuenda ſint, in quibus longe multumque excelluerit prae reliquis Aegyptiis, eundem fuiſſe legum ſuarum inuentorem: ſacrum Codicem narrationes continere plane fictas; gentem tantum Ebraeorum ab Adamo et Eua originem trahere, reliquos contra populos a binis hominibus aliis, quos Deus pridie eius diei condiderit; Ieſum Chriſtum non Deum eſſe, ſed magnum inſignem, caet. Cf. BAELIVS v. Brunus, *litt. B.*) et, quem ſupra laudaui, CLEMENT *Tomo V. p. 290. ſq.* vbi miro ſtudio omnia Bruni ſcripta, quae ipſi innotuerant, recenſet. Commentationem *de Vita et fatis* IORD. BRVNI ſuis in ſchedis reliquit IOH. NICOL. FROBESIVS, Mathematicus Helmſtadienſis, ſed, quantum ſuſpicari licet, vltimam ei manum non admouit Vir doctiſſimus. Vid. STOSCHII *Neues gelehrt. Europa, Parte XV. p.* 794.

§. VII.

De LVCILII, ſeu vt poſtea ſe nominauit, IVLII CAESARIS VANINI, Neapolitano in regno nati, *Vita, fatis, ſcriptis et opinionibus* IOH. GOTTLIEB OLEARIVS Differt. duabus egit *Ienae anno 1708.* moxque idem factum ab IOH. MAVRITIO SCHRAMMIO in Tractatu ſingulari *de Vita et ſcriptis famoſi Athei,* IVLII CAES. VANINI, edito *Cuſtrini a.* 1709. *in* 4. auctiusque et correctius recuſo *ibid. a. 1715. in* 8. Admixta ſunt autem non pauca ab argumento aliena, ideoque Commentarios hosce aptum in com-

pendium redegit, neque tamen vbique digreſſiones euitauit, Anonymus, quem DAVIDEM eſſe DVRANDVM conſtat, in *La Vie et les Sentimens de* LVCILIO VANINI, *Roterod. a. 1717. in 12.* Vid. de libello hoc *Hiſtoire de la Republ. des Lettr. Tomo XIV. p. 361.* et *L' Europe Savante, Tomo IV. P. 1. p. 77. ſq.* Et iſti quidem Viri, quibus adiungendi LACROZIVS in *Entretiens ſur diuers ſujets d' Hiſtoire* caet. *p. 337. ſq.* BVDDEVS *de Atheiſmo p. m. 124. ſq.* HEVMANNVS in *Actis Philoſ. Vol. I. p. 585.* et alii plures, quos adducit REIMANN. in *Hiſtor. Atheiſmi, p. 370. ſq.* iſti, inquam, Viri haud poſtremum Vanino locum inter eos adſignarunt, qui religionis ſacra impuriſſime teterrimeque violare auſi ſunt. Sed patronum is nactus eſt praecipuum PETR. FRID. ARPE in *Apologia pro* IVLIO CAES. VANINO, *Neapolitano,* dicendi genere parum perſpicuo conſcripta, et ἀνονύμως, forte ne diſſentientium odio premeretur, *Cosmopoli,* i. e. *Roterodami, a. 1712. in 8. mai.* edita, de qua ita iudicatur in *Actis Erud. Lat. a. 1713. p. 173* : *nobis videtur Cl. Auctor magis functus eſſe officio declamatoris, quam hiſtorici, aduocati, quam iudicis.* Subque recenſionis finem haec occurrunt: *Nos eo minus miramur, Cl. Auctorem ab atheiſmi crimine abſoluiſſe Vaninum, quod diſerte ſtatuit, non dari atheum, id eſt, hominem, qui ſerio ſentiat, nullum eſſe Deum.* Add. *die Neue Hälliſche Biblioth. Vol. III. Parte 21. p. 64. ſq.* et IOH. HERM. AB ELSWICH Diſſ. *de recentioribus de Atheiſmo controuerſiis, Vitemb. 1716, §. IV. p.* 5. quem locum iuuabit integrum proferre. *Non merebatur*, ait, *homuncio, ex impietate faſtuque totus fere conflatus compoſitusque, talem Apologiam, qui paſſim atheorum impia contra religionem Chriſtianam, eiusdemque auctorem, dogmata incruſtat, et reſponſione minus ſufficienti, quam tamen ne quidem ſemper affert, refellit, qui naturam pro Deo habuit, qui tandem, vt de aliis taceam, de immortalitate*

tate animarum tum demum ſe viſurum dixit, ſi quando ſenex, diues, aut Germanus fieret. Poſt multas tergiuerſationes Moshemio confeſſus eſt aliquando Arpius, animi tantum et exercendi ingenii gratia ſe, quae pro nefario hoc homine ſcripſerit, litteris tradidiſſe, neque ſe propterea litem cuiquam intentaturum eſſe, - - quibus ſubiicit MOSHEMIVS: *Neſcio vero, quid viri docti mentem tam ſubito mutauerit, qui alias eruditis hominibus non ſemel fuerat profeſſus, ſe nihil in Apologia illa ingenio, nihil ioco, cuncta vero veritati dediſſe.* Vid. *Theſaurus epiſtolic. Lacrozianus, Tomo I. p. 276.* Ipſe Auctor in *Feriis aeſtiualibus p. 30.* diſertis adfirmat verbis, ſancteque et per Deum teſtatur, nullum alium in defendendo Vanino ſcopum fuiſſe propoſitum, quam inueſtigationem veritatis, ſuperſtitionis autem deſtructionem, cuius radices, niſi pullulare prohibeantur, penitus euelli nequeant. In adornanda libelli ſui editione altera ſecundis curis politiore, nouisque auctiore acceſſionibus, Arpium fuiſſe occupatum, *ibidem p. 32.* legimus, idque paullo clarius exponit MOSHEMIVS in *Theſ. epiſt. Lacroziano l. c. p. 282.* vbi ſignificat, eum aliorum doctorum virorum Diſſertationes, ad ipſum miſſas, adiuncturum, Buddeum, Durandum, qui ſaepe contradixit Arpio, Schrammium, aliosque refutaturum, quin in martyrem Lutheranum Vaninum ſuum transformaturum eſſe. Sed euentu quidem proſpero caruit hicce conatus, quod omnino dolendum, quoniam hodie difficulter comparatur Apologia Arpiana. Hauſit exinde varia, vt ipſe haud infitiatur, multa, quae ad rem pertinere non videbantur, omiſit, nonnulla quoque, ab Arpio non obſeruata, adiecit, nec, vbi diſſentiendi cauſſas inuenerat, eas retiouit ELIAS FRID. HEISTERVS, Laurentii filius, in aetatis flore bonis litteris Ordinique ſuo ereptus, *Apologiae pro*

Medicis caet. *Amſtael. a. 1736. in 8. mai.* excuſae, *Sect. XVIII. p. 93. ſq.* Tandem lucem viderunt in *den Schriften der prüfenden Geſellſchaft zu Halle*, *Vol. I. Specim. 3. p. 193. ſq.* Scriptoris cuiusdam anonymi *Vnſchuldige Nachrichten von dem berufenen Vanino, nebſt ſeinem Leben und Schriften*, quam Commentationem eruditam paſſim notis illuſtrauit Editor. Scripta Vanini, propter quae Atheiſmi eſt accuſatus, duo ſunt libri ſingulares. Prioris hic eſt titulus:

Amphitheatrum aeternae prouidentiae diuino-magicum, Chriſtiano-phyſicum, nec non aſtrologico-catholicum aduerſus veteres Philoſophos, Atheos, Epicureos, Peripateticos, Stoicos. Prodiit *Lugduni Gallorum a. 1615. in 8. plag. 24.* LACROZIVS *l. c.* BVDDEVS *de Atheiſmo p. m. 124.* et praeter hos alii clanculum impietatis hic ſemina ſparſiſſe Vaninum, exiſtimant. Buddeus v. g. ſic de iſto libro diſſerit: *Facile colligere licet, quo animo in Amphitheatro, reiectis, aut exploſis, euidentiſſimis exſiſtentiae Dei demonſtrationibus, elumbes et nugatorias probationes in earum locum ſubſtituerit; item, quo conſilio obiectiones atheorum tam diligenter recenſeat, nulla aut ieiuna admodum iis addita reſponſione., vt victoriam data opera illis concedere videatur.. Haud neſcio, ex eo quod aliquis parum accurate ad rationes atheorum reſpondeat, non poſſe quenquam atheiſmi argui, cum et ingenii, non autem voluntatis, hoc vitium eſſe queat. Meminiſſe tamen et eius oportet, quod vulgo dici ſolet, duo cum faciunt idem, non eſt idem. Sed plura non addo, cum Dn. Lacroze ex ſcriptis Vanini luculenter iam euicerit, eum atheiſmi ſuſpicionem neutiquam declinare poſſe.* Data opera ſibi recenſendum ſumſit hunc librum Vanini in Societate conantium, quae Helmſtadii floruit quondam, IOH. WERLHOFIVS, qua de re vid. omnino *Annales Acad. Iuliae, Semeſtri II. p. 165. ſq.* Abſoluta recen-

recenſione *p. 181.* hoc fert Ictus doctiſſimus de ſcripto iſto iudicium, nempe non eſſe dignum fama: neque ita impium, vti quidem Durandus crediderit, ſed tale fere, quale Morhofius et Diecmannus (in Diſſert. *de Naturaliſmo* BODINI *ſ. IV. p. 25.*) fecerint, nempe tolerabile: quod patrocinari ſtudeat atheis, non ſatis liquere. Sed pleraque argumenta eſſe miſera. Modo Aſtrologiam ineptam dici, modo laudari. Arpium ioco defendiſſe videri, caet. MORHOFIVS, ad quem prouocatur, in *Polyh. Tomo I. lib. 1. cap. 8. p. m. 73.* ſcribit, Amphitheatrum Vanini ſanum eſſe, ac ſubtiliter in eodem pro animae immortalitate diſputari. Quod vero deinde legitur, praeceptorem ſcilicet Vanini Pomponatium fuiſſe, id ab omni eſt veritate remotiſſimum, vti quidem luculenter oſtendit HERM. VLR. VON LINGEN *Parte III. der kleinen deutſchen Schriften, p. 183. ſq.* REIMMANNVS pariter, quamquam in *Catalogo Biblioth. Tomo I. p. 989.* non diffitetur, reperiri in hoc Amphitheatro quaedam non laudanda prorſus ſpectacula, hypotheſes inſolentiores, ſubtilitates inutiles, probationes frigidas, limitationes meticuloſas, Philoſophemata ſcholaſtica; adcuratam tamen et quodammodo factam eſſe ſubiungit Auctoris dictionem, acumen praeclarum, lectionem non quotidianam: et in prouidentia Dei explicanda, probanda, vindicanda, tantum ſtudium, vt ſi praeter hunc foetum alia non fuerint Atheiſmi indicia, parum abſit, quin cum Thomaſio, Arnoldo, Oleario, Arpio et Scriptorem et ſcriptum immerita damnatione adfectum pronunciet. Add. BAVMGARTENII *Nachrichten von ſeiner Biblioth. Vol. IV. P. 24. p. 519. ſq.* vbi liber ille ſimiliter ex impiorum numero eximitur.

Succeſſit mox *a. 1616. Lutetiae in 8.* alterum Vaniniani ingenii monumentum, quod ita inſcriptum

eſt:

eſt: *de admirandis Naturae reginae, Deaeque mortalium; arcanis libri IV.* ex Dialogis conſtantes. Recudere Belgas anno 1660. eos voluiſſe, at interdicto Magiſtratus conatum eſſe ſuppreſſum, ex *Patinianis* indicant ECCARDI *Monathliche Auszüge, anno 1702. m. Martio p. 8.* Puduit Cenſores adprobationis et priuilegii Regii, quo muniti prodiere hi libri, ideoque non ita multo poſt vltricibus eosdem flammis traditos fuiſſe, ex FRANC. ROSSETI *Theatro tragico* memorat SCHRAMMIVS *l. c. p.* 191. *edit. ſec.* Imo ipſe auctor, in ius raptus, impietatisque ac magiae incuſatus, Toloſae ad rogum damnatus eſt anno 1619. qua de re copioſius actum ab GABR. BARTHOL. GRAMONDO, Parlamenti Toloſani Praeſide, *Hiſtoriar. Galliae libro III. p. m. 210. ſq. edit. Elzeuir.* Audiamus poſtrema ipſius verba! *Antequam,* ait, *rogo ſubderetur ignis, iuſſus ſacrilegam linguam cultro ſubmittere, negat, neque exſerit niſi forcipum vi; apprehenſam carnifex ferro abſcindit; non alias vociferatio horridior, diceres mugire ictum bouem; reliqua abſumſit ignis: in aërem ſparſi cineres.* Sed cauſſam omnem, poſthabitis aequitatis iuſtitiaeque legibus, actam eſſe, fine moleſtia cognoſcitur. Falſus id BVDDEVS *l. c. p. 126.* qui alias Vaninum atheum fuiſſe, idque ex eius quoque ſcriptis, maxime Dialogis de Naturae arcanis, eluceſcere, contendit. Ita nimirum ſcribit: *Modum procedendi, quo aduerſarii eius aduerſus eum vſi ſunt, vitio non caruiſſe exiſtimo, nec omnibus, quae Gramondus, aut alii, ex aduerſariorum eius relatione narrarunt, fidem adhibendam cenſeo. Fieri etiam potuit, vt, cum coram iudicibus exiſtentiam Dei probaret, ad meliorem iam mentem reuerſus eſſet, deinceps vero, cum nihil ſe proficere videret, per deſperationem ſummam ad vomitum rediret.* Cf. HEISTERVS *Apologiae pro Medicis p.* 104. *ſq.* LEIBNITIVS *Epiſt. a Kortholto editar. Vol. I. p.* 310.

et

et in primis ARPIVS, libro ſupra nominato, atque BRVCKERVS, qui perdiligenter de Vanino et eius ſcriptis diſſeruit, in *Hiſtor. crit. Philoſ. Tomi IV. Parte 2. p. 675. ſq.* Placent mihi, quae inter alia *p. 677.* occurrunt. Ibi enim Vir doctus concedit iis, qui Vanini cauſſam impietatis ſuſpicione onerant, de recta non nunquam via declinaſſe hominem, ineptae Philoſophiae nutantisque ingenii vitio corruptum; ſed, quod ad ſupplicii iuſtitiam attinet, eum omni aequitate proſcripta fuiſſe peremtum, tamque horrendo mortis genere tollere Vaninum, iniquum debere dici, etiamſi impietatem aperte fuiſſet profeſſus, quum eius impudentia alia modo, ne noceret, potuiſſet coërceri. Et *p. 682. iu principio* adiicit, male quidem Vaninum de Theologia naturali ac reuelata meritum, flammis indignum tamen fuiſſe, meliusque iudices conſuluiſſe miſero, ſi eundem in ergaſtulum, vt ſapere diſceret, conieciſſent. Addatur his WALCHIVS in *Bibl. theol. Tomo I. p.* 754. qui ſic de Vanino, et eius ſcriptis: *exiſtimo, non ſatis eſſe firmam atque euidentem cauſſam, cur libri hi ſcriptis atheorum, proprie ſic dictorum, adiungantur. Id tamen ex iſtis perſpicue patet, Vaninum fuiſſe hominem ineptum: facultate diiudicandi deſtitutum: mente impium, atque a religione Chriſtiana plane alienum, quam in rem non obſcura documenta in libris eius habentur. In libro* de Naturae arcanis *contemtim de Chriſtiana diſciplina loquitur ac ſtatuit, requirere iſtam homines ſtupidos ſimplicesque. Imo de variis Seruatoris noſtri actionibus tam impudenter diſſerit, vt iſtas deridendas proponat, ac tandem per deteſtabilem ironiam concludat:* Sapientiſſima haec ſunt Chriſti acta. *Quae et alia declarant, ſcripta haec auctorem ſuum quodammodo atheiſmi ſuſpectum reddere; locum autem ipſi inter naturaliſtas omni iure facere.*

Nimis

Nimis acres etiam durique permulti fuere in inurenda THOMAE CAMPANELLAE Atheiſmi nota. Ortus eſt anno 1568. in Calabria, et poſt varios caſus, poſt tot diſcrimina rerum, grauiore correptus febri Lutetiae Pariſiorum anno 1639. e vita exceſſit. Ad eius hiſtoriam et ſcripta cognoſcenda ipſius facit *de libris propriis et recta ratione ſtudendi* Syntagma, de quo iam actum ſupra *Tomo II. cap. 7. §. 42.* ERNEST. SALOM. CYPRIANVS ſingulare etiam de eodem Programma *Helmſt. a. 1700. in 4.* publicauit, quod poſtea, in libri redactum formam, longe auctius *Amſtael. a. 1705.* iterumque, quatuor Adpendicibus adiectis, *anno 1722. in 8.* recuſum eſt. Optima, nec tamen hodie frequenter obuia, poſtrema haec editio. Non plane immunem ab Atheiſmi culpa Campanellum credidit Auctor eruditus, quod aegre omnino ECHARDVS tulit *Scriptorum Ordinis Praedicator. Tomo II. p. 505. ſq.* vbi Vita Campanellae exponitur, ſub examen ſimul vocatis Cypriani argumentis. Inter alia Sodalis ſui excuſandi cauſſa monet, quod is Gaſſendum a deſcribenda Epicuri Philoſophia retrahere ſtuduerit, ideo quidem, ne dogmata eius pluribus eſſent exitio, peſſumque darent religionem. Vid. *Acta Erud. Lat. a. 1722. p. 480.* Obſeruat autem Cyprianus in Praefat. nouiſſimae libelli ſui editioni praefixa, ea, quae de Campanellae Vita collegerit, Echardum de induſtia exſcripſiſſe, nec potuiſſe mentionem auctoris iniicere ſine contumelia. Libros complures, partim editos, partim in Bibliothecis adhuc latentes, Campanella reliquit, quos inter praecipue notari debet.

Ad D. Petrum, Apoſtolorum principem, triumphantem, Atheiſmus triumphatus, *ſeu reductio ad religionem per ſcientiarum veritates*, F. THOMAE CAMPANELLAE, *Stylenſis, Ord. Praedicat. contra Antichriſtianiſmum*

niſmum Achitophelliſticum. Prima, eademque rariſſima, editio *Romana* eſt, *anno 1630. in fol. min.* paginis 182. parata, quam fuſius recenſet BAVMGARTENIVS in *den Nachr. von einer Hälliſchen Biblioth. Vol. VII. p. 512. ſq.* Prodiit iterum *Pariſ. a. 1636. in 4.* adiectis aliis quibusdam auctoris Opuſculis. Hiſtoriam huius libri, qui manu exaratus in Bibliotheca Academiae Ienenſis reperitur, STRVVIVS olim inſeruit *Actor. litterarior. Faſcic. II. cap. 2. p. 38. ſq.* vbi et indicauit, quid de eodem ſit ſentiendum. Credit nimirum, atheum non fuiſſe Campanellam, ſed naturae tantum tribuiſſe nimium: ingenio hominem plurimum valuiſſe, proque modulo eius examinaſſe religionem: multa egregie, multa peſſime, ab ipſo eſſe dicta: abuſus mortalium in religione ſtatuque ciuili notare eum, ſed vanitate potius et naturae ſpiritu ductum, quam diuino: Machiauelli principia proponere ad nauſeam vsque, ſed ipſum eſſe metaphyſicum, peruerſum contra politicum: in rebus ſacris ſe transformare in atheum, ac dubia mouere contra religionis veritatem, quae a recta deducere via eos poſſint, qui ad libri lectionem accedant non ſatis praemuniti: ſoluere haec dubia quidem Campanellam, ſed vt mente ſemper aliquid repoſitum maneat: Clericorum vitia et abuſus eundem ante oculos ponere, inſectatorum crudelitatem exaggerare, Lutheroque et Caluino falſa paſſim dogmata adfingere. LACROZIVS pariter in *Entretiens ſur div. ſujèts d'Hiſtoire p. 382. ſq.* et cum eo BVDDEVS *de Atheiſmo p. m. 131.* exiſtimat, Campanellam inter atheos, qui directe Numinis impugnarunt exſiſtentiam, referri non debere, neque tamen prorſus poſſe negari, hominem profanum, religionisque expertem, et ad abſona quaeuis defendenda paratiſſimum fuiſſe. His accedat BRVCKERVS *Hiſt. crit. Philoſ. Tomo IV. Parte 2. p. 126.* vbi

vbi adſerit candide, ineſſe ſcriptis Campanellae quaedam, quae et pie et caute magis poſſent dici, animumque prodant, Numinis metu ac religionis reuerentia non ſatis impletum, plura eſſe, quae, ſi conſequentias, vt vulgo dicunt, vrſeris, malam facile ſententiam euincant. Ferri autem debere in homine, tot calamitatibus iactato, (quinquaginta enim carceribus clauſus per annos plurimos, extremam perpeſſus miſeriam eſt, et quaeſtionem aliquando quinque ac triginta horis ſuſtinuit, ERYTHRAEO teſte, in *Pinacoth. I. cap. 21.*) tot ingenii praecipitiis tentato, tot librorum lectione et ſcriptione obruto, et inde iudicii deliquium paſſo, iſtas anomalias, et infirmitati magis, quam malitiae, adſcribenda ea eſſe, quae a vera regula, ſenſuque pietatis, recedere videantur. WALCHIVS etiam in *Bibl. theol. Tomo I. p. 711.* his Campanellam verbis excuſat: *Sunt, qui benigniorem ſententiam de eo ferunt, atque exiſtimant, illum coluiſſe Deum, atque odium aduerſus impietatem prodidiſſe; ingenio autem ac ſciendi cupiditate luxuriari ac quandoque peccare; nec ita, vt opinor, male iudicant.*

§. VIII.

Maiorem ſine dubio cenſuram meretur BENED. SPINOZA, parentibus Iudaeis Luſitanis Amſtaelodami a. 1632. natus, Hagaeque Comitum a. 1677. numero ereptus viuentium. In circumciſione Baruchi nomen acceperat, poſt autem, relicta Synagoge, Benedictum ſe vocauit. Magnam ſibi homo, propter ingenii acumen, ac diſciplinarum philoſophicarum peritiam, laudem acquiſiuit: vixiſſe eundem etiam ſobrie ac frugaliter, omnibusque facilem, adfabilem et honeſtum ſe probaſſe, fatentur omnes. At animi dotibus ita vſus eſt, vt furioſus telo, vnde ſiniſtrae de rebus, ad Deum et religionem

nem ſpectantibus, opiniones aeternam eius memoriae labem adſperſerunt. Atheiſmi certe aperta reliquit in ſcriptis ſuis veſtigia. Primum illi vulgo tribuitur *De iure Eccleſiaſticorum liber ſingularis*, caet. qui ſub ficto LVCII ANTISTII CONSTANTIS nomine prodiit *a. 1665. in 8. Alethopoli*, loco ibidem commentitio. Explet libellus, paginas 162. praeter Praefationem, et in duodecim titulos, ſiue capita, diuiſus eſt. Denegato iure, quod Eccleſiae, harumque miniſtri, vindicare ſibi ſolent, omnis poteſtas, ea quoque, ad doctrinam quae pertinet, magiſtratui politico adiudicatur hic; quumque multa ſint ſimili modo tradita, et iisdem pene verbis repetita, in Tractatu theologico - politico non pauci Spinozam huius eſſe partus parentem credidere. Sed, non ſolum ipſe Spinoza id eſt olim infitiatus, verum IOH. COLERVS etiam, in *Vita Spinozae*, *p. 88.* et CLERICVS in *Biblioth. choiſie*, *Tomo XXXI. p.* 37. dubium reddunt. Aliorum iu ſuſpicionem venerunt Ludov. Meyerus, Lambert. Velthuyſen, et quidam VAN DEN HOOFT, quem poſtremum hodie adcuratiores verum fuiſſe architectum coniiciunt. Vid. hac de re, deque libello rariſſimo, BAVMGARTENIVS in *den Nachr. von einer Häll. Bibl. Vol. III. p. 25. ſq.* Cf. *Theſaur. Bibliothecalis Vol. I. p. 260. ſq.* Parum itidem recte ſtatuerunt nonnulli, a Spinoza profectum eſſe librum, qui ſic eſt inſcriptus:

Philoſophia Scripturae interpres, Exercitatio paradoxa, in qua veram Philoſophiam infallibilem S. litteras interpretandi normam eſſe, apodictice demonſtratur, et diſcrepantes ab hac ſententiae expenduntur ac refelluntur, Eleutheropoli, i. e. Amſtaelodami, *a. 1666. in* 4. pag. 115. Tribuendum enim hocce ſcriptum Ludov. Meyero, Medico Amſtaelodamenſi, ac Spinozae, cui et adfuit morienti, amico. Belgica quoque verſio proſtat, hoc titulo: *De Philoſophie d' Vytlegh-*

ſter der H. Schrifture, te Vryſtadt 1667. in 4. Praecipuum argumentum, quod auctor impius proponere ſtuduit, eſt adſertio, non eſſe credendum, quicquid aduerſatur rationi. Ex quo facile ſequitur, vt omnia religionis myſteria, omnia miracula diuina reiiciat. Cf. MICH. LILIENTHALI *theologiſche Bibl. Vol. I. P. 2. p. 214.* Ipſe vero Spinoza certiſſimus eſt auctor, quamquam anonymus, *Tractatus theologico-politici, continentis Diſſertationes aliquot, quibus oſtenditur, libertatem philoſophandi non tantum ſalua pietate, et Reipublicae pace poſſe concedi, ſed eandem, niſi cum pace Reipublicae, ipſaque pietate, tolli non poſſe, Hamb. a. 1670. in 4.* Ita quidem titulus mentitur. Exploratum enim eſt, librum *Amſtaelodami* exiiſſe in lucem. Recuſum eundem *a. 1674. in 8.* ſine loci mentione, cum Exercit. *de Philoſophia, Scripturae interprete,* (vnde factum haud dubie, vt poſterior hic foetus Spinozae etiam tribueretur,) dicit VOGTIVS in *Catal. libr. rarior. v.* Spinoſa, *p. m. 640.* idque confirmat *Catal. Bibl. Vffenbach. Tomo I. p. 768. in fine.* IOH. CHRISTOPH. WOLFIVS *Biblioth. Ebraeae Tomo I. p. 240.* hanc ipſam editionem in Anglia, curante Henr. Oldenburgio, paratam eſſe teſtatur. Gallice deinde redditus, ter, ac diuerſis quidem titulis, comparuit *anno 1678. in 12.* Primum ſcilicet vocabatur: *La Clef du Sanctuaire, par vn ſavant homme de nôtre ſiecle*; tum, hoc titulo excitante omnes: *Traité des Cêremonies ſuperſtitieuſes des Juifs, tant anciennes, que modernes*; denique, quum nondum vendi ſatis tuto liber poſſet, ita fuit inſcriptus: *Reflexions curieuſes d'un eſprit dés intereſſé ſur les matiéres les plus importantes, au ſalut tant public, que particulier.* De altero exemplari copioſius diſſeritur a BAVMGARTENIO *l. c. Vol. I. p. 69. ſq.* Auctor huius verſionis multorum ex ſententia LVCAS eſt, Medicus olim Hagenſis; at plures contendunt, quen-

quendam DE ST. GLAIN, centurionem Batauum, confeciſſe eandem, ipſiusque Spinozae non nihil acceſſiſſe adnotationum, quas exemplari ſuo Latino adſcripſerat. Vid. REIMMANNI *Catalog. Bibl. Tomo I. p. 1029.* et BAVMGARTEN. *p. 70.* Belgico ſermone partum, irata Lucina editum, exhibuit IOH. HENR. GLASEMACHERVS. Factum id *anno 1693. in 4. Amſtaelodami*, non Hamburgi, vt legitur in titulo, qui talis eſt: *De rechtſinnige Theologant of Godgeleerde Staatkundige Verhandelinge.* Imo exſtant editiones Latinae, altera *in 8.* altera *in 4.* quae annum 1673. praeferunt, ac prima ſunt vtique emendatiores, at mira inſcriptione ſua fallere huius rei ignaros queunt. Si quis enim poſſideat DAN. HEINSII *P. P. Operum hiſtoricorum Collectionem I. Lugduni Bat. ap. Iſaac Herculis*, vel. FRANC. HENRIQVEZ DE VILLACORTA, *M. Doctoris, a cubiculo Philippi IV. et Caroli II. Archiatri, Opera chirurgica omnia, ſub auſpiciis potentiſſimi Hiſpaniarum Regis, Caroli II. Amſtaelod. ap. Iac. Paulli*, is certe Spinozae Tract. theologico-politicum poſſidet. Cf. NICERONIVS in *Vit. Erud. P. I. p. 279. edit. Germ.* Rariſſime tamen eiusmodi editiones occurrunt. Totus in hocce Tractatu quum eſſet Spinoza, vt magna fiducia contenderet, vatibus diuinis non adfuiſſe θεοπνευστίαν, ſed vaticinandi donum ex imaginationis foecunditate prouenisse, eosque doctrinas et religionem ingenio hominum, tunc temporis viuentium, adcommodaſſe, et hanc eſſe clauem explicandae Legis diuinae; mirum non eſt, concurriſſe ad hoc lolium exſtirpandum, quotquot religionis amor atque cura ceperat. Nimis longa foret eorum omnium recenſio. Vid. de his BAELIVS v. Spinoza, *litt. M.*) quem articulum integrum FRANC, HALMA Belgice *Vltraiecti a. 1698. in 8.* recudendum curauit; NICERONIVS in *Vit. Erud. l. c. p. m. 280. ſq.* BVDDEVS *de Atheiſmo p. m.*

171. *ſq.* et BRVCKERVS in *Hiſt. crit. Philoſ. Tomi IV. Parte 2. p. 691.* aliique ibidem laudati. Singulos, qui quidem innotuere, ordine alphabetico nuper etiam nominauit IOH. ANTON. TRINIVS in *dem Freydenker-Lexico, Lipſ. et Bernburgi a. 1759. in 8. p. 424. ſq.* Prae caeteris impietatem in hoc Spinozae libro latentem detexiſſe, ac fortiſſime proſtrauiſſe creditur, mirantibus autem omnibus, tantam iudicandi aciem homini litteris leuiter tincto ineſſe, IOH. BREDENBVRGIVS, ciuis Roterodamenſis, qui, vt nonnulli adſerunt, linteo fuit. Vſus in componendo ſcripto ſuo lingua Belgica erat; eius igitur inſtinctu Latine id non nemo reddidit, quo facto *Roterod. a. 1675. in 4.* lucem adſpexit hoc titulo: *Eneruatio Tractatus theologico-politici, vna cum demonſtratione geometrico ordine diſpoſita, naturam non eſſe Deum, cuius effati contrario praedictus Tractatus vnice innititur.* Cf. *Lexicon Erudit. Ioecher v.* Bredenburg et BVDDEVS *l. c.* De ipſo autem libello, iam rarius obuio, BAVMGARTENII *Nachr. von einer Häll. Bibl. Vol. I. p. 117. ſq.* Ex noſtratibus IOH. MVSAEVM in Diſſert. *de libertate philoſophandi contra* SPINOZAE *Tract. theolog. politicum, Ienae a. 1674.* excuſa, reliquis omnibus in hoc ce genere palmam feciſſe dubiam, poſt IOH. COLERVM in *Vita Spinozae,* et BVDDEVM *p. 172.* arbitratur REIMMANNVS *l. c. p. 984.* et *p. 1014.* vbi de noua huius Opuſculi editione, *Vitemb. a. 1708.* adornata, breuiter diſſerit. Addi poſſunt CHRISTIAN. KORTHOLTVS in libello *de tribus Impoſtoribus magnis, Kiloni* primum *a. 1680. in 12.* iterumque, cura filii, SEBASTIANI, *Hamb. a. 1701. in 4.* euulgato, *Sect. III. p. 75. ſq. edit. poſterioris*; IAC. STAALKOPF Diſſ. tres *de Atheiſmo* BENED. SPINOZAE, *Gryphisw. a. 1707.* quae memorantur in *Catalogo Biblioth. Bunauianae, Tomo I. Vol. 2. p. 1621*; et IOH. WOLFG. IAEGERI *Spinoziſmus*, ſeu Diſſert. *de*

BENED.

BENED. SPINOZAE, *vita et doctrina, Tubingae, a. 1710.* in qua de vita quidem hominis nihil dixit, quod ab aliis non iam dictum ſit antea, doctrinam tamen abundantius expoſuit, quam reliqui Biographi, eamque ex ipſis Spinozae ſcriptis hauſtam. Quo ſane iis maxime rem gratam fecit, qui monumenta eius vel non compararunt ſibi, vel non lectitarunt, vti REIMMANNVS cenſet in *Catal. Bibl. Tom. II. p. 281.* Tectius tamen in eo libro, de quo hactenus egi, Syſtematis pudendi venenum praebuit Spinoza, quam iis in ſcriptis, quae eo conſilio elaborauerat, vt poſt fata ipſius excuderentur. Prodierunt enim *Amſtaelodami*, hoc autem loco non adiecto, *anno* 1677. *in* 4.

B. D. S. *Opera poſtuma*, nomenque auctoris ſiglis tantum, vt ipſe iuſſerat, indicatum eſt. Haec, praeter editoris Praefationem amplam ſatis itemque peruerſam, quinque complectuntur libros ſingulares. Prior eſt *Ethica*, *ordine geometrico demonſtrata*, in qua totum, quod ſibi formauerat, Syſtema impium panditur; (quaeque germanice conuerſa, cum refutatione CHRISTIANI WOLFII, *Frf. et Lipſ. anno 1744. in 8.* typis impreſſa eſt, et paucis indicatur a BAVMGARTENIO, *Vol. I. der Nachr. von einer Häll. Bibl. p.* 115. cui addendus KRAFTIVS in *der theol. Biblioth. Vol. IX. p. 339.* docens, huius editionis architectum dici, a quo profecta ſunt Biblia Germanica Werthemenſia, IOH. LAVRENT. SCHMIDIVM;) alter *Tractatum politicum* exhibet, in quo demonſtratur, quomodo Societas, vbi imperium monarchicum locum habet, ſicut etiam ea, vbi Optimi imperant, debet inſtitui, ne in tyrannidem labatur, et vt pax, libertasque ciuium inuiolata maneat; tertius agit *de intellectus emendatione, et de via, qua optime in veram rerum cognitionem dirigitur*, neque tamen is eſt ad finem perductus; in quarto *Epiſtolae* occur-

runt, quatuor et ſeptuaginta numero, *doctorum quorundam Virorum ad B. D S.* (i. e. Benedictum de Spinoza) *et auctoris reſponſiones, ad aliorum eius Operum elucidationem non parum facientes;* quintus denique offert *Compendium grammaticae Ebraeae.* Eodem anno 1677. eademque forma GLASEMACHERVS Opera haec poſtuma ſermone Belgico edidit, deſideratur tamen Grammatica Ebraea et Index. Ipſum exemplar Latinum repetitum typis eſt, anno 1677. ſeruato, *Hagae Comitum* circa annum 1730. Recenſetur admodum diligenter in BAVMGARTENII Diario laudato, *Vol. I. p. 103. ſq.* In ſcribendo ſubtilis eſt Spinoza, imo obſcurus, ideoque pauci conſtanti animo perlegent, pauciores omnino erunt, qui intelligant eiusdem libros. Cf. STOLLII *Hiſt. der philoſoph. Gelahrheit, Parte III. cap. 4. ſ. 21. p. 707. edit. nouiſſ.* Ipſum autem Syſtema, quod de rerum vniuerſitate, quam Deum vocauit, Spinoza fabricatus eſt, reapſe non eſſe nouum, ſed paſſim iam eius veſtigia reperiri apud veteres, oſtenderunt varii, inter quos BAELIVM *v.* Spinoza *litt. A.*) et BVDDEVM nominaſſe ſufficiat. Is de *Spinoziſmo ante Spinozam Halae M. a. 1701.* diuulgauit Diſſertationem ſingularem, recuſam *anno* 1706. in eiusdem *Analectis Hiſt. philoſoph. p. 308. ſq.* Perfecit igitur, quod inchoarant antiqui, Spinoza tantum, ac, praeter alia, iuſtitiam, ſanctitatemque et ipſam infinitatem Dei, nec non omnem actionum moralium, poenarum et praemiorum rationem euertere conatus eſt. Plura hac de re inſpiciantur apud KORTHOLTVM *l. c. p. 80. ſq.* itemque BRVCKERVM *Tomi IV. Parte 2. p. 693. ſq.* qui Vir doctiſſimus de Spinoza generatim a *pagina* 682. veluti in compendio profert, quae notatu de eodem digna ſunt. Add. etiam IOH. CHRISTOPH. WOLFII *Biblioth. Ebraea, Tomo I. p. 239. ſq.* WALCHII *Biblioth. theol. Tomo I. p. 679. ſq.* nec non BALTH.

MÜN-

MÜNTERI Diſſertatio, in qua legitur *hiſtoria, dogmata et refutatio ſyſtematis illius, quod a Bened. de Spinoza nomen habet, Ienae 1759. in 4.* Dicendum adhuc de libro non nihil, Bruxellis, ſi locus hic verus eſt, quod negant quidam, et Amſtaelodamum ſubſtituunt, *anno* 1731. *in* 12. emiſſo, cuius en! titulum: *Refutation des erreurs de Benoit de Spinoſa, par M.* DE FENELON, *par le* P. LAMI, *et par le Comte* DE BOVLAINVILLIERS,; *avec la Vie de* Spinoſa, *écrite par Mr.* JEAN COLERVS, *augmentée de beaucoup de particularités, tirées d'une Vie manuſcrite de ce Philoſophe, faite par un de ces Amis.* Verus auctor eſt NICOL. LANGLET DV FRESONI, teſte FRERON in *Année littéraire a. 1755. Tomo III. p.* 125. Sed ego quidem crediderim pluribus adfirmantibus, hunc editorem fuiſſe tantum, et Boullainvillerium omnino ſcripſiſſe, quae hic ipſi tribuuntur. Diu ante eiusmodi librum, praefixo eius nomine, manuſcriptum in ſcriniis habuiſſe non nullos, docet clare REIMMANNI *Catal. Bibl. Tomo I. p. 982.* qui locus inſpici meretur. Ideo autem falſus libro titulus datus eſt, vt eo facilius poſſent dogmata impia proponi. Loco enim refutationis acriter defenditur Atheiſmus Spinozae, quaeque inſerta ſunt ex FRANC. LAMII, Theologi Galli, *nouvel Atheiſme renverſé*, et ex Epiſtola quadam FENELONII Excerpta, ea non niſi dolo malo acceſſiſſe videntur, quum vterque Spinozae opiniones haud euertat data opera, ſed alia, iis contraria, neque tamen ſatis clara et demonſtrata, proferat. Quod vero *p. 387. ſq.* occurrit ISAACI OROBII, Iudaei *certamen philoſophicum aduerſus Ioh. Bredenburgium, Amſtael. a. 1684.* Latine ac Belgice, atque iterum *a. 1703. in 12.* editum, eius nulla fit in titulo libri mentio, ideoque credendum, editorem tum demum de adiiciendo hoc opuſculo cogitaſſe, poſtquam caetera iam prelo erant ſubiecta; idque

Qqqqq 4 dicen-

dicendum etiam de aliis, quae ſuccedunt, Orobii ac Bredenburgii ſcriptis eriſticis. Vberiorem de hoc Boulainvillerii libro, qui ſtili ſuauitate ac lepore admirabili ſeſe commendat, at, ſi argumentum ſpectes, aeternis tenebris digniſſimus erat, ſuppeditant notitiam *Acta Erud. Lat. a. 1732. p. 120.* item *Germanica Vol. XV. P. 173. p. 305.* et BAVMGARTENIVS *l. c. p. 132. ſq.* vbi de praemiſſa Volumini IOH. COLERI *Vita Spinozae*, quae cum ipſius Oratione ſacra de veritate reſurrectionis Chriſti, primum Belgice *Amſtael. a. 1705.* annoque ſequenti *Hag. Com. in* 8. gallice, ac germanice WIGANDI KAHLERI ſtudio, *Lemgouiae a. 1734. ead. forma* prodiit, agitur etiam, et obſeruatur, eandem admodum eſſe mutatam, intermixtis ex LVCAE deſcriptione, quae Spinozae laudes continent, deletis contra quibusdam, a Colero antea memoratis. De alio BOVLAINVILLERII *La Vie de Mahomed* inſcripto libro, quo religioni Chriſtianorum mortiferam infligere plagam conatus eſt, extollendo Mahomedem, quod eius auſpiciis falſa religio diruta, et purior introducta ſit, legenda omnino, quae BAVMGARTENIVS *l. c. p. 26. ſq.* congeſſit. Patet ex his, Opus impium *Londini anno* 1730. ac deinde *Amſtaelod. a.* 1731. *in 8.* exiiſſe in lucem, denuoque germanice redditum, peruerſo conſilio recuſum eſſe *Lemgouiae a.* 1747. *ead. forma.* In Praefatione interpres monet, ſe adhibuiſſe editionem Amſtaelodamenſem, eodem, anno 1731. *in* 12. a Petro Humbert repetitam, itemque proſtare translationem Anglicam, quae neſcio, quo anno ſit exhibita, cuiusque calamo debeatur.

§. IX.

Fuit ergo Boulainvillerius Spinoziſticae impietati maxime addictus, quam et alii bene multi aperte profeſſi ſunt. Enumerare hic loci potiores tantum

tantum licebit. Inter hos vero, Spinoza ſuperſtite adhuc, innotuit

FRANCISCVS CVPERVS, a quo Res publica litteraria *Roterod. a. 1676. in* 4. accepit *Arcana Atheiſmi reuelata, philoſophice et paradoxe refutata, examine Tractatus theologico-politici.* Fuit auctor primum amicus Bredenburgii, poſt autem in ſuſpicionem ab eo eſt adductus, ac ſi ex huius *Eneruatione Tract. theolog. politici*, ante editionem communicata cum ipſo, clanculumque deſcripta, ſua vnice deſumſerit, vnde alter alterum variis libellis Atheiſmi arguit. Cf. BAELIVS *v.* Spinoza, *litt. M.* Spinozae ſplendido libri titulo frigidam ſuffundere voluiſſe Cuperum, ludicramque contra eundem iniiſſe velitationem, et ſimulatam oſtentaſſe pugnam, vt eo melius falleret, IOH. WOLFG. IAEGERVS in Diſſ. *de Fr. Cupero mala fide, aut ad minimum frigide Atheiſmum Spinozae oppugnante, Tubingae a.* 1710. edita, probare ſtuduit. Prouocatur ad eam a BVDDEO *l. c. p.* 173. et a BRVCKERO *Tomi IV. P. 2. p. 699.* qui duum viri conſulendi. BVDDEVS, poſt alia vitio ipſi data, ſic tandem ſcribit: *Cum reiectis argumentis ſolidioribus, quibus exſiſtentia Dei probari ſolet, leuia et omni fere robore deſtituta in eorum locum ſubſtituat, non video, quo pacto cauſſae, contra Spinozam deſtinato conſilio male actae, ſuſpicionem euitare queat.* Atque haec REIMMANNVS confirmat in *Catal. Bibl. Tomo I. p. 987.* quo ex libro potiora ſubiungere iuuabit. *Fumos,* ait, *vendit Cuperus, et prodigioſam rerum magnarum ſpem oſtentat quidem ſatis arroganter; verum nihil praeſtat. - - Libro primo Spinozam ita refutat, vt appareat, aruſpici rem eſſe cum aruſpice, et mulum ſcabere mulum. Et tantum abeſt, vt libro ſecundo atheorum cauſſam impugnet, vt potius eorum partes ſequatur, et atheiſmi ſemina ſpargat, ſub ſpecie ea euellendi. Atque hinc illae, quibus totum opus turget, praeſti-*

 giae,

giae, ſcilicet 1) *ſtudio obfuſcat dictionem interdum, et tenebris ſe inuoluit, vt, quid dicere, vel non dicere voluerit, conſtet parum.* 2) *Reſponſiones ſuas cum atheorum obiectionibus ita miſcet et confundit, vt multi laboris res ſit, ea adcurate inter ſe diſcernere.* 3) *Argumenta Theologorum noſtratium ſugillat, et in eorum locum alia leuidenſia ſubſtituit.* 4) *Telis atheorum ferreis reſponſiones plumbeas et ſtramineas opponit.* 5) *Ipſe ſe iisdem vitiis coinquinat, quae in Spinoza reprehendit.* Tum docere Cuperum adfirmat Reimmannus, locis adcurate productis, nihil eſſe, quod cogat credere, Deum eſſentiam habere infinitam; non poſſe ſciri aliunde, dari Deum, niſi ex traditione; peccati originis auctorem eſſe Deum; animae immortalitatem reſurrectioni mortuorum directe eſſe contrariam; Angelos ante mundi huius ortum cum alio vniuerſo eſſe creatos, caet. Ipſe Cuperi liber ſtudioſe recenſetur in BAVMGARTENII *Nachr. von einer Hall. Bibl. Vol. I. p. 122. ſq.* vbi et ſtatim ſub initium videmus, auctorem, Amſtaelodami tandem librorum negotio per aliquot tempus occupatum, vitam cum morte commutaſſe anno 1695. Negatur autem *p.* 131. Cuperum fuiſſe atheum, quum ſtatuerit ſaltim, Deum ex operibus, quae effecerit, cognoſci nunquam poſſe, niſi acceſſerit reuelatio; interim paradoxum omnino eſſe librum, ideoque, et propter raritatem, in pretio haberi eundem, adſeritur. ARNOLDVS etiam in *der Kirchen- und Ketzerhiſtorie Parte II. lib. 17. cap. 16. ſ. 45.* hominis huius patrocinium ſuſcepiſſe videtur.

Ordinis chronologici ductu deueniendum nunc eſt ad FRIDERIC. GVIL. STOSCHIVM, Regi Boruſſorum quondam a conſiliis aulicis epiſtolisque ſecretis, qui Berolini exeunte anno 1646. natus eſt, ibidemque a. 1707. e vita diſceſſit. Ingentes excitauit motus

motus libellus eius, non niſi plagulas duodecim cum dimidia implens, atque hoc inſignitus titulo: *Concordia rationis et fidei, ſiue harmonia philoſophiae moralis, et religionis Chriſtianae, Amſtael. 1692. in 8.* Nec adiecit nomen ſuum Auctor, nec Amſtaelodami prodiit ſcriptum, ſed *Gubenae* potius, oppido Luſatiae inferioris. Duplex Adpendix et charta et typis differt a libello ipſo, atque hoc longe eſt rarior. Priorem Berolini fuiſſe excuſum, contenditur in BAVMGARTENII *Nachr. von merkwürd. Büch. Vol. II. p. 125.* Atque hinc ſine dubio aliorum orta coniectura, omnia in hac vrbe lucem adſpexiſſe. Quid ſentiat Stoſchius de religione, ex libelli peſſimi lectione haud difficulter cognoſcitur. *Pagina* enim *7. et 8.* doctrinam de Angelis ac Daemonibus inter figmenta refert; *p. 26.* libertatem hominis negat; *p.* 33. omnem moralitatem tollit; *p. 66.* pias fraudes non eſſe contemnendas docet; *p. 69.* autochiriam probat; *in Adpendice p.* 72. *et p.* 77. animum ſpiritualem eſſe et immortalem infitiatur; *p. 81. et 85.* cum Spinoza credit, Deum vnicam eſſe et ſolam ſubſtantiam, res autem creatas modos eſſentiae diuinae; *p. 85.* Deum, quia ſit amor, non poſſe iraſci, putat; *p.* 98. *et 99.* in ſacrum Codicem eſt iniurius; *p. 104. et p. 106.* hiſtoriam conditi mundi, lapſusque humani, ſugillat; *p. 112.* de trinitate ac diuinitate Chriſti profane ſentit. Haec notauit olim LILIENTHALIVS in *der theolog. Bibliotb. Vol. I. p. 260.* paullo ante ſignificans, Auctorem Theologorum Berolinenſium inſtinctu, a munere publico ſubmotum, librumque ipſius ea ſollicitudine et induſtria ſuppreſſum eſſe, vt vix vnum alterumue exemplar inquirentium effugere oculos potuerit. Hinc tanta eiusdem raritas. Cf. VOGTII *Catal. libr. rarior. v.* Concordia. Imo illum, auctoritate ſuperiorum, combuſtum carnificis manu fuiſſe, ANDR. WEST-

PHA-

PHALIVS ait in *Centuria libror. publice combuſtorum, num. 81. p. 47.* Apologia quidem duplici, Vogtio teſte, innocentiam ſuam planam facere ſtatuit Stoſchius; ſed operam perdidit oleumque, ac tandem, euitandi mali grauioris cauſſa, palinodiam canere coactus eſt, quod anno 1694. menſe Maio in ſuggeſtu templorum Berolinenſium a Sacerdotibus fuit indicatum, vti ex IOACH. LANGII *Cauſſa Dei aduerſus Atheiſmum p. 138.* memorat Lilienthalius. In eo conſentiunt omnes, qui adcuratius inſpexere dogmata Stoſchiana, libellum totum nil niſi peruerſa et paradoxa theologica complecti. Nonnulli vero Auctorem in claſſe naturaliſtarum, quam atheorum, reponere malunt, quo inclinat maxime WALCHIVS in *der Einleit. zu der Hiſt. der Relig. Streitigkeiten auſſer der Luther. Kirche, Parte V. p.* 151. Poſt alios, qui de Stoſchio eiusque libello damnato egerunt, Anecdota collegit, haud ſane vulgaria, GE. GODOFR. KVSTERVS in *Marchiae litteratae Specimine III. Paralipomena ad notitiam Concordiae rationis et fidei, a Stoſchio editae, exhibente.* Sic v. g. *ſ. 11.* reperitur breue curriculum vitae, quod auctor ipſe ſcripſit, in quo haec num. 7. exſtant: *ab anno ſexto et quadrageſimo ob veritatis et pacis ſtudium ab aſinis calcitratur,* (ad quos duriſſima haec formula ſpectet, nemo non intelligit,) *et dente maligno impetitus parum abfuit, quin martyrii gloria mactarer.* Et *ſ. XV. p. 13.* haec lego Küſteri verba: *Caeterum, quum libri, de quo hactenus egi, exemplum oculis vſurpauerim, quo* STOSCHIVS *ipſe vſus eſt, non potui non addere, quae obſeruaui. Nimirum Epigramma libro inſcripſit, huius argumenti:* Ad librum a Miniſterio damnatum.

Q. Parue liber, quid enim peccaſti, dente ſiniſtro
  Quod te diſcerptum turba ſacrata velit?
Reſp. Inuiſum dixi verum, propter quod et olim
  Vel dominum letho turba ſacrata dedit.

Pagi-

Paginae, titulum antecedenti, haec inſeruit: Libri, per quos in veritatis ſtudio, et ſolida ſcientia, plurimum profeci, ſunt GROTII de verit. Relig. Chriſt; eiusdem de iure belli et pacis; PVFENDORFII moralia; HOBBESII Ciuis et Leuiathan; SPINOSAE libri. - - in theologicis LIBERIVS DE S. AMORE, RVARVS. Cf. OELRICHII V. C. *Beytraege zur Geſchichte vnd Litteratur, Berol. a. 1760. in 8. p.* 303. *ſq.*

Strepitum quoque maximum fecit, vt verbis BRVCKERI vitar, *l. c. p.* 697. et Eccleſiam Batauorum valde turbauit FRIDER. VAN LEENHOF, Eccleſiaſtes Swollenſis, qui virus Spinoziſmi infudit libro Belgice *anno 1703. Zwollae in 8.* emiſſo, atque ita inſcripto: *Dee Hemel op Aarden* caet. i. e. coelum in terra, ſiue veri et conſtantis gaudii breuis et luculenta deſcriptio, ſecundum rationis et Scripturae ductum omnis generis hominibus, et omnibus fortunae caſibus attemperata. Germanica interpretatio *Amſtaelodami*, niſi hic fictus eſt locus, ſucceſſit *a. 1706. ead. forma*, quam paucis memorant REIMMANN. *Catal. Bibl. Tomo I. p. 1059.* et LILIENTHALIVS *l. c. p. 1106.* Nouam editionem Germanicam *Lipſiae a. 1752. in 8.* comparuiſſe, TRINIVS *im Freydencker-Lexico p. 336,* teſtatur. Occurrit mihi talis in Catalogis librariorum, quantum tamen meminiſſe licet, locus annusque prioris editionis eſt adiectus. Aliam obſeruaui, quae, niſi ſolus mutatus titulus, *Frf. et Lipſ. a. 1758.* venum expoſita fuit. Variis Theologorum ſcriptis illico impugnatus liber iſte commouit Ordines Belgii foederati praepotentes, vt eundem ex Synodorum eccleſiaſticarum decreto damnarent. Plura hac de re diligenter congeſſit GOTTLOB FRIDERIC. IENICHEN in *Hiſtoria Spinoziſmi Leenhofiani, publica in Belgio auctoritate nouiſſime damna-*

damnati, ex authenticis Documentis collecta, *Lipſ. a.* 1707. *in* 8. Recenſetur hocce Opuſculum in *Actis Erud. Lat. a. 1707. p. 328. ſq.* REIMMANNVS *l. c. p.* 1059. dolet ſaltim, Auctorem huic ſuo Chronico non addidiſſe Paralipomena, et bene coeptos annales vsque ad vltimum controuerſiae exitum deduxiſſe. Ibidem quoque iudicium de Leenhofii libro, eiusque doctrinis, expronit. Orationem dicit adfectatam, moleſtam, aſperam, ſubobſcuram. Res eſſe paradoxicas, ſed oſſibus et neruis deſtitutas, et ſexcentis Paralogiſmis implicitas. Adſeri ab Auctore, *nec coelum, nec ſedem inferorum dari, vt vulgo credatur*; *ſpectra, ſagas* caet. *eſſe fictiones mentis, triſtitiam omnem eſſe malam, tunc etiam, ſi quis redire ad frugem velit,* (ſiue, vt conſueta eſt Theologis formula, in conuerſionis actu) *ideoque cane peius et angue vitandam;* contra quam ſententiam ſingularis exſtat *de temperamento laetitiae ac triſtitiae* IOH. FRANC. BVDDEI Proluſio in *Meditat. ſacrar. Decade, Ienae 1713. in 4. num. 3.* Pergit Reimmannus, atque contendit, dicta diuina, quae hac de re agunt, male explicata, probationes ieiunas, obiectionesque frigide ſolutas eſſe. BRVCKERVS in *Hiſt. crit. Phil. Tomi IV. Parte 2. p.* 697. totam doctoris maleſani doctrinam hoc adſertionum quaternione ſcribit comprehendi. I.) *Neceſſarium eſſe, vt homo eſſentiam ſuam mutabilem ita perficiat, vt ab iſta mutabilitate, quantum licet, ſit immunis, ideoque gaudii et perfectionis gradum eum quaerat, in quo conſtanti et firma animi tranquillitate in immutabili et aeterna Dei voluntate et ordine fundata et acquieſcente fruatur; ſic enim fore, vt et viuus, et moriens, profunda et rationali pace in ente ſummo quieſcere poſſet.* II.) *Cuncta certis legibus, ordine cauſſisque concatenata eſſe et fluere.* III.) *Deum improprie regem, legislatorem, dominum, iudicem, vocari.* IV.) *Omnes actiones eſſentiales mundi*

eſſe

eſſe effectus cauſſarum proximarum, quae ex aeterno naturae ordine neceſſario conſequantur, et huic immutabili voluntati Dei magna animi tranquillitate et conſtantia, ſine murmure vel triſtitia, ſe ipſum permittendum eſſe. Quibus Vir doctus ſubiicit, facile intelligendum, non potuiſſe non ex his adſertis Spinoziſmi ſuſpicionem oriri. Vt itaque ſerpenti peſti, etiam ob eccleſiaſticam auctoris dignitatem periculoſae, occurrerent, calamum arripuiſſe Florentin. Blomble, Taconem Haionem van den Honert, Ioh. Creyghton, Ioh. d' Outrein, Theologos Batauos, et quae in his theſibus impietas lateat, demonſtraſſe. Plura de his, et aliorum, ſcriptis vid. apud TRINIVM *p.* 337. *ſq.* et *p.* 588. Magnam ſane in homine hoc fuiſſe peruerſitatem, dubio caret, at vix, mea quidem ſententia qualicunque, referendus inter atheos erit, iamque IOH. BALTH. LÜDERWALD in *den Abhandlungen zur richtigen Beurtheilung der Religion, Guelpherb. a.* 1749. *in 8. p.* 110. ſe in libro Leenhofiano nulla Spinoziſmi veſtigia obſeruaſſe ſignificat.

Nouum detexit huius generis Scriptorem, ac de eodem diligenter egit, HEVMANNVS in *Actis Philoſ. Vol. II. P.* 7. *Obſ.* 4. *p.* 115. *ſq.* Eſt ille HENR. WIRMARSIVS, quem apud Belgas in conclaui mercatoris cuiusdam (*Comtoir*) opus feciſſe dicunt, nec vacaſſe litterarum ſtudiis, libros tamen diligenter legiſſe, cum primis atheos. Scripſit lingua Belgica ediditque *Amſtael. a.* 1710. *in 8.* plagulis quatuor fere ac decem *den ingebeelde Chaos* caet. i.e. *Chaos imaginarium de ortu mundi, ſecundum veteres et recentiores Philoſophos*, quo in libello videtur quidem auerſari Spinozae doctrinas, quam ob cauſſam de exſiſtentia et eſſentia Dei fuſe differit, et quandoque Spinozam refutat. At facile perſpicitur, non niſi ſophismata adhibere Auctorem, iuſtitiaeque metu, inuoluiſſe

uiſſe quodammodo animum impium. Nihil enim reuera tentauit aliud, quam vt religionem naturalem euerteret, et Codicem diuinum ludibrio haberet, eiusque imminueret auctoritatem. Luculenter id *l. c.* oſtendit HEVMANNVS, ſimulque refert, hominem temerarium in ergaſtulo poenam luiſſe.

Ex Boruſſorum gente huc et pertinet THEODOR. LVDOV. LAV, qui olim in aula Ducis Curlandiae Conſiliarius Status, inque ſecretiori conſultationum conclaui Director fuit, poſt obitum vero Principis ſui, inde ab a. 1711. priuatam egit vitam, variisque in locis commoratus eſt, donec tandem Altonauiae anno 1740. prope ſeptuagenarius diem obiret ſupremum. Euulgauit *Francof. ad M. a.* 1717. *in 8. Meditationes philoſophicas de Deo, mundo et homine*, itemque *Freyſtadii*, ſiue eadem in vrbe, *a.* 1719. *in 8. Meditationes, theſes, dubia philoſophico-theologica, placidae eruditorum diſquiſitioni religionis cuiusuis, et nationis, in magno mundi Auditorio ſubmiſſa a veritatis electicae amico.* Vtrumque ſcriptum deteſtabile, (Spinoziſmi enim quam maxime ſe ſuſpectum reddiderat Auctor, abiecto omni pudore ac Numinis ſenſu aperte ſcribens, ſe non alium quam naturam, admittere Deum,) non ſolum iuſſu Magiſtratus Francofurtani fuit ſuppreſſum, verum ipſi etiam conſilium abeundi indicatum; quod quum in contumeliam acciperet, transmiſſa Specie facti, vt vulgo dicunt, ab Ictorum Halenſium Ordine reſponſum petiit, quod calamo exaratum CHRIST. THOMASII, rationibusque dubitandi ac decidendi inſtructum, ſic rem tandem dirimit: *Daß des Titii philoſophiſches Tractaetgen* (ſermo eſt autem de priori libello) *auch nach ſeiner dabey geführten intention allerdings für eine ſo ſcandaleuſe Schrift zu achten ſey, darinnen böſe vnd atheiſtiſche principia enthalten, daß es nothwendig eine confiſcation, Titius aber eine viel haertere*

haertere Beſtrafung, als das ihm gegebene conſilium abeundi, verdienet habe; vnd die Geiſtlichkeit des Orts recht vnd wohl gethan, daß ſie auf den Cantzeln ſelbiges für ein Teufelsbuch, vnd Titium für einen Atheiſten ausgerufen caet. [3] Longe plura, quae ad eiusdem ſcripti hiſtoriam ſpectant, copioſe reperies apud laudatum THOMASIVM in *den ernſthaften, aber doch muntern vnd vernünftigen Gedancken über allerhand auserleſene juriſtiſche Haendel, P. I. art. 24. p. 233. ſq.* Ibidem *p. 349.* adfirmatur, alterum huius hominis Opuſculum, anno 1719. publicatum, priori eſſe multo deteſtabilius, inque iſto varia Codicis ſacri dicta ita inuerti ac deprauari, vt omnes, cuiuscunque religionis Chriſtianae, non poſſint non exſecrari eiusmodi interpretationis modum. Poſtea, formula ſingulari, quae exſtat in *den Leipz. Beytraegen zur critiſch. Hiſtor. der deutſchen Sprache, Vol. IV. p. 144. ſq.* profeſſus eſt Lauius, adhaerere ſe ſanae doctrinae; ex quo colligas, eum ſibi interdum non ſatis conſtitiſſe, quae ſunt BRVCKERI verba *l. c. p.* 702. In eadem fuiſſe ſententia NEMEITZIVM, adparet ex iis, quae *Parte III. p. 77. der vernünftigen Gedancken* litteris mandauit. Caeterum alia lectu digniſſima de Lauio, eiusque dogmatibus, memorant LILIENTHALIVS *Vol. I. der theolog. Biblioth. p. 261. ſq.* STOLLIVS in *den Nachrichten von den Büch. ſeiner Biblioth. Vol. I. p. 368. die vnſchuld. Nachr. anni* 1719. *p.* 1095. ac TRINIVS *l. c. p.* 333. vbi teſtatur, Auctorem in *Meditationibus de Deo, mundo et homine* docere, quod fieri non queat, vt hic terrarum orbis ad nihilum reducatur aliquando, alias ipſum, qui hunc effecerit, Deum eſſe ſimul interiturum; quod homini brutorum animalium more viuere liceat, legesque ſint omnes reiiciendae; quod neque coelum exſiſtat, neque receptaculum malorum geniorum; quod amari, non item timeri, debeat Deus. Addit

Rrrrr Tri-

Trinius, de libris eundem diuinis nefarie loqui, ac propterea CORN. DIET. KOCHIVM, Theologum olim Helmſtadienſem, *Defenſionem Scripturae ſacrae, ab iniuriis Scriptoris nuperi Meditationum de Deo, mundo et homine* paraſſe, quae inſerta eſt ipſius *Fructibus theolog. Faſc. I. Helmſt. a.* 1723. *in 4. edito, artic. 7.* Solide Lauio contraxit etiam IOH. CONR. SCHWARTZIVS in Differt. binis *Coburgi anno* 1717. *et* 1718. *de contemtione Euangelicae veritatis, aditu ad inſanias atheorum*, vti obſeruatur in *den Leipz. Beytraegen*, cuius Operis eſt ſupra mentio iniecta, *Vol. I. p.* 231. Quae vero ibidem indicatur Meditationum philoſophicarum de Deo caet. in forma quadruplici editio, eam quidem ab aliis non inueni memoratam. Forte totum diſcrimen poſitum eſt in magnitudine chartae, cui aliquot exemplaria fuere impreſſa.

§. X.

Inter eos, qui aperte, et citra ambages, Atheiſmum ſunt profeſſi, vel maxime MATTHIAM KNVTZENIVM, Holſatum, eminere, contendit BVDDEVS *de Atheiſmo p. m.* 198. Degenerauit plane hic Theologiae ſtudioſus, ſchedisque aliquot blasphemis et inficetis, Ienae, Coburgi, et Altorfii a. 1674. clam ſparſis, defendere Atheiſmum ac diſſeminare auſus eſt. Conſtant autem hae ipſae ſchedae ex *Epiſtola amici ad amicum*, Latine exarata, quam LACROZIVS integram Lat. Galliceque recudendam curauit in *Entretiens ſur divers ſujets d'Hiſtoire*, caet. *p. 402. ſq.* nec non ex duobus Dialogis germanicis, quorum alter *Geſpräch zwiſchen einem Lateiniſchen Gaſtgeber, vnd drey Gäſten vngleicher Religion*; (P. Vrſino, einem Päbſtler, Brummer, einem Lutherſchen, vnd Bähr, einem Reformirten,) *zu Altona, nicht weit von Hamburg, gehalten*; alter *Geſpräch zwiſchen einem*

Feld-

Feldprediger, *vnd einem Lateiniſchen Muſterſchreiber* inſcribitur. In his nouae *Conſcientiariorum*, quam vocat, Sectae ſe auctorem mentitur, qui homines nihil credant aliud, quam quod ratio et conſcientia dictitet. Ipſe tamen ea vocat in dubium, quae ratio ſatis euidenter intelligit, et quae, ſi tollantur, conſcientiae quoque locum omnem denegant. Verbis enim diſertis cum Dei, tum cacodaemonis exſiſtentiam, mortuorum item reſurrectionem, vitam beatorum pariter ac damnatorum aeternam infitiatur, Codicis ſacri auctoritatem impugnat, narrationesque, ibi obuias, meras clamitat fabulas eſſe, praeterque haec illepida PEYRERII de Praeadamitis commenta admittit, aduerſus clericos et magiſtratum ciuilem inſurgit, nullum denique inter coniugium legitimum et ſcortationem ſtatuit diſcrimen. Iactitauit quoque peſſimus nebulo, innumerabiles per vniuerſam Europam ſe habere ſectatores, inque ſolo oppido Ienenſi ſeptingentos eſſe, qui eidem ſententiae addicti ſint, ciues ac litterarum ſtudioſos. Inde motus eſt IOH. MVSAEVS, celeberrimus ea aetate in Academia Salana Theologus, vt haſce nugas exploderet in *der Ableinung der abſcheulichen Verläumdung*, *als wenn in der Vniuerſitaet Iena eine neue Secte der Gewiſſener wäre entſtanden*, *Ienae a.* 1674. *in* 4. Alteri editioni, quae anno poſt eſt ſubſequuta, vindiciae ſacri Codicis contra ſceleratum hunc hominem acceſſere, cum ipſis Knutzenii ſcriptis atheis.' Haec plerumque verbis laudati Buddei. Cf. V. C. IOH. CAROL. HENR. DREYERVS, Lubecenſis Reipublicae decus, in *Notit. libr. Mſtor. Hiſtoriae Cimbricae, Periculo I. Roſt. et Wiſmar. a.* 1759. *in* 4. *p.* 114. vbi relatum legimus, deliteſcere adhuc IOH. OLEARII, Theologi Lipſienſis, *Animaduerſiones* nondum editas *in errores famoſi Knutzenii*, duabus Partibus abſolutas, quarum

 prior

prior ſit hiſtorica, de vita et fatis eiusdem agens: altera dogmatica, qua impiae huius hypotheſes, adcurate inſtituto examine, ſolide refellantur. Mirum profecto, hunc librum, niſi quidem vltima manus deſideratur, in lucem adhuc non fuiſſe productum. Iam pridem id optaſſe b. VALENT. ERN. LOESCHERVM in *den vnſchuld. Nachr. a.* 1703. *p.* 572. docet IOH. MOLLERVS *Cimbriae litteratae Tomo I. p.* 305. quo loco congeſſit omnia, quae in promtu habebat de atheo iſto, qui, vt TOB. PFANNERVS in *Syſtem. Theologiae gentilis p.* 35. iudicat, omnium improbitatem aequauit et vicit.

De CASIM. LYSZYNSKIO, nobili Polono, REIMMANNVS ſcribit in *Hiſtor. Atheiſmi p.* 436. eum Atheiſmi accuſatum, et in vincula coniectum, cauſſaque in ipſis regni Comitiis cognita, dextram primum eius, deinde et caput amputatum, corpusque exſangue, vna cum ſcriptis, rogo impoſitum, et in cineres redactum eſſe. Factum id Varſouiae menſe Martio anni 1699. de quo actu tragico data opera commentatus eſt GE. DANIEL. SEYLERVS in LILIENTHALII *Preuſſiſchen Zehnden, Vol. I. Parte* 7. *p.* 579. *ſq.* vbi quippe exſtant *Acta Lysczynskiana, oder ausführl. Nachricht von dem Leben, Schriften und Schickſalen des berüchtigten Pohlniſchen Atheiſten,* CASIMIR LYSCZYNSKI. Vidi etiam in quodam librorum Catalogo relationem hanc ſeparatim excuſam *Regiom. anno* 1740. *in* 8. Cf. DE LA CROZE *Entretiens ſur divers ſujets d' Hiſtoire, de Litter. de Religion et de Critique p.* 417. *ſq.* vbi copioſe hominis miſeri cauſſam egit Auctor doctiſſimus.

Inſano famae adipiſcendae ardore inflammatus Atheiſmum pariter ac Naturaliſmum, in animo latitantem, ſcriptis turpiſſimis prodidit IOH. TOLANDVS, patria Hibernus, qui anno 1722. ex hac vita euocatus ad tribunal coeleſte fuit. Editus ab eo

primum

primum liber *Londini anno 1696. in 8.* lingua Anglica hoc titulo: *Chriſtianity not myſterious*, ſeu *Chriſtiana religio myſteriorum expers*, qui liber ob hanc et alias doctrinas impias, Dublini a. 1697. publice, manu carnificis, eſt in ignem coniectus, auctore ſimul ad carceres damnato, quod tamen, quo minus fieret, arrepta fuga impediuit, ſumma interea temporis omnium rerum inopia preſſus, quum nemo eum admittere ad conuictum auderet, ita, vt vendere aut oppignorare ſupellectilem quamcunque cogeretur. Dicto adhuc *anno 1696. Londini* alteram parauit editionem, non nihil auctiorem, nouaque Praefatione inſtructam. Tertia *ibidem, a. 1702. in 8.* abſoluta eſt, ſed inſcio plane ipſo. Fuſam recenſionem inuenies in BAVMGARTEN. *Nachr. von einer Häll. Bibl. Vol. III. p. 311. ſq.* Redintegrabat turbas *Adeiſidaemon ſiue Titius Liuius, a ſuperſtitione vindicatus*, cui Opuſculo, *Hagae Com. a. 1709. in 8.* excuſo, adnexae ſunt *Origines Iudaicae*. In prima Diſſertatione, vbi Liuii, Hiſtorici nobiliſſimi, cauſſam agit, docet etiam, eos, qui Deum negant exſiſtere, ſuperſtitioſis potiores ac meliores eſſe; quod poſſet quodammodo tolerari. Altera vero Diſſertatio, qua Origines Iudaicas euoluere voluit, complura proponit paradoxa. Praeter alia enim contendit, Moſen, ſanctiſſimum hunc virum, a ſententia Spinozae de diuinitate huius vniuerſi haud admodum remotum fuiſſe. Secus item, ac Moſes tradiderat, Palaeſtinam, horridam terram ſterilemque dicit. Quod quidem num quid aliud ſit, quam apertum in religiones bellum moliri, prudentiores iudicent. Non eſt negandum, ita eum interdum loqui, tamquam aliorum, non ſua, cogitata exponeret. Idem tamen nimis temere de rebus diuinis ab eo decerni, nemini, qui librum inſpexerit ipſum, poterit obſcurum eſſe. Longe apertior foret improbitas, niſi

conſulto, vt videtur, neglexiſſet ordinem, mentemque ſuam recondito quodam ſcribendi genere veluti occultaſſet. Ita MOSHEMIVS, cuius hic verbis vſus ſum, iudicat in Comment. *de vita et ſcriptis* TOLANDI, praemiſſa *Vindiciis antiquae Chriſtianorum diſciplinae*, quae *Hamb. a.* 1722. *in* 8. prodiere. Adornauit Auctor immortalium in Rempublicam litterariam meritorum librum hunc aduerſus Tolandi *Nazarenum*, Anglice *Londini a.* 1718. *in* 8. excuſum. Varia et hic opinionum portenta. Turcas e. g. non ignobilem Chriſtianorum ſectam eſſe ſtatuit; Iudaeos haud nimis remotos a Chriſtianis eſſe adfirmat; Hiſtoriam ſacram vllum vnquam diligenter, ac ſine partium ſtudio, inſpexiſſe negat; quae de libris diuini Foederis ferantur, parum habere certi defendit, nec adduci rationes poſſe, quibus poſtponendum eſſe ſanctis Scriptoribus doceatur foetum, qui Barnabae a credulis tribuitur. Vid. MOSHEMIVS *l. c. p.* 160. et BAVMGARTENII *Nachr. von einer Hälliſch. Biblioth. Vol. III. p.* 320. *ſq.* Tandem commemorari debet libellus eius, profana plenus impudentia, quem ſuſpecta et inſolita inſcriptione *Pantheiſticon* nominauit, et ficto *Coſmopoleos* loco *anno* 1720. *in* 8. euulgauit, at, more ſuo, non niſi paucis exemplaribus, vt eo carius venderetur. Teſte VOGTIO, in *Catal. libr. rar.* voce: *Pantheiſticon*, paginas tantum nouem et octoginta explet. Totum hic pandi Syſtema atheiſticum, plerique, ſaniora edocti, tradunt. Vid. e. g. *Bibliotheque Angloiſe, Tomi VII. P.* 2. *p.* 285. *ſq.* quae recenſio, germanice reddita, occurrit in *Actis Erud. Germ. Vol. VII. p.* 196. *ſq.* Plura de ipſo hoc libello, quem olim poſſedit LILIENTHALIVS, quemque omnium inter Tolandi ſcripta foediſſimum dicit, inueniuntur in illius *Theologiſchen Bibliothec, Vol. I. p.* 290. *ſq.* quibus addi queunt BAVMGARTENII *Nachr. von merckwür-*

digen Büch. Vol. VIII. p. 26. ſq. et MOSHEMIVS *l. c. p.* 172. vbi legimus, Tolandum animi ſui ſenſa de Deo trino et vno, de ſanctitate, libertate, veritate, aliisque doctrinis, ita expreſſiſſe, vt hanc religionis ſuae declarationem dignam exiſtimarit, quam Liturgia, ex Horatio et Iuuenali conſarcinata, veluti obſignaret. Sunt etiam, qui eundem precationis deteſtabilis architectum adſerunt, cuius haec eſt ſumma: *O, ſempiterne Bacche, qui reficis et recreas vires deficientium, adſis nobis propitius in poculo poculorum. Amen.* Quo ipſo ſacris Chriſtianae Eccleſiae hymnis petulanter eum illuſiſſe fama eſt. Sed Auctor *Vitae Tolandi*, quae *Londini a. 1726. in 8. mai.* inſerta eſt Opuſculis eiusdem poſtumis, *a Collection of ſeveral pieces of Mr.* IOHN TOLAND inſcriptis, teſtatur ſancte, ſe in huius criminis, Tolando obiecti, veritatem ſollicite admodum inquiſiuiſſe, nec vllum tamen inueniſſe tanti facinoris veſtigium. Alium potius, quem ob reuerentiam muneris, cui tunc admotus erat, prodere dubitauit, cantilenam hancce accepit compoſuiſſe, forſitan, vt ſuſpicatur, ad ridendos Tolandi Philoſophos Pantheiſtas, quos habet omnes in ebriorum numero; fatetur autem, has ad Bacchum preces longe magis eſſe profanas, quam vllum Pantheiſtici locum. Vid. *Acta Erud. Lat. a. 1729. p. 318.* De aliis huius hominis ſcriptis, in quibus paſſim dogmata peruerſa conſpiciuntur, itemque de iis, qui religionis, dementi ratione violatae, contra eundem vindices egerunt, adeat Lector TRINII *Freydencker Lexicon p. 481. ſq.* et LILIENTHALIVM *l. c. p. 274. ſq.* Nec enim inſtitutum patitur, vt vberiore ſermone de Tolando agam, quem BVDDEVS *de Atheiſmo Cap. I. §. 3. p. m. 8.* atheorum, quos noſtra aetas tulit, facile impudentiſſimum vocat.

Huc porro ſpectat, (quamquam WALCHIVS *Bibl. theolog. Tomo I. p.* 771. ei locum inter naturaliſtas attribuere malit,) famoſus ille IOH. CHRISTIAN. EDELMANNVS, patria Weiſſenfelſenſis, quem adhuc anno 1758. Berolini vixiſſe adſerit TRINIVS *l. c. p.* 247. Data opera hominis huius fata et impia dogmata expoſuit venerabilis Ducatus Bremenſis Theologos, IOH. HENR. PRATIE, in *den hiſtoriſchen Nachrichten von Ioh. Chr. Edelmanns, eines berüchtigten Religionsſpötters, Leben, Schriften und Lehrbegriff, wie auch von den Schriften, die für und wider ihn geſchrieben worden.* Prodiit liber hic vtiliſſimus *Hamb. a.* 1753. *in* 8. *ibidem*que *anno* 1755. recuſus auctior eſt. In compendio eundem exhibent *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1755. *p.* 226. *ſq.* Praecipua Edelmanni ſcripta, quorum pars maxima, iuſſu Caeſareo, Francofurti ad Moenum die nona m. Maii a. 1750. per manum carnificis publice combuſta fuit, ſunt ſequentia:

Vnſchuldige Wahrheiten, Geſprächsweiſe abgehandelt zwiſchen Doxophilo *vnd* Philaleto, caet. ab *anno* 1735. vsque ad *a.* 1743. *in* 8. Partibus XV. Recenſetur liber cum a LILIENTHALIO *l. c. Vol. II. p.* 366. tum a BAVMGARTENIO in *den Nachr. von merckwürd. Büch. Vol. II. p.* 218. *ſq.*

Moſes mit aufgedeckten Angeſicht, von zween vngleichen Brüdern, Lichtlieb *vnd* Blindlieb *beſchauet, nach Art der vnſchuldigen Wahrheiten in einem freymüthigen Geſpräch abgehandelt,* caet. *in* 8. *a.* 1740. Partibus III. Vid. LILIENTHAL. *l. c. p.* 368. et BAVMGART. *l. c. Vol. III. Parte* 22. *p.* 337. *ſq;*

Chriſtus vnd Belial, wie ſolche nie zuſammen ſtimmen, in einem theologiſchen Briefwechſel zwiſchen ihm vnd Bruder Ludwig von Zinzendorf *vor*

Augen geleget, *anno* 1741. *in* 8. quae ſchedae quidem ſunt Zinzendorfio, et eius ſectatoribus, oppoſitae, at hac occaſione non pauca immiſcentur, religioni Chriſtianae infeſta;

Die Göttlichkeit der Vernunft in einer kurtzen Anweiſung zur weitern Vnterſuchung der älteſten vnd vornehmſten Bedeutung des Worts λόγος, 1742. *in* 8.;

Abgenöthigtes, iedoch andern nicht wiederum aufgenöthigtes Glaubensbekänntniß, aus Veranlaſſung vnrichtiger vnd verhuntzter Abſchriften deſſelben dem Druck übergeben, und vernünftigen Gemüthern zur Prüfung vorgelegt von dem Auctore, *anno* 1746. *in* 4. itemque, ab alio, in ſumma capita redacto hoc ſcripto, Gallice *in* 8. ſequenti titulo: *Idée generale de la Confeſſion de Foi, publiée nouvellement par Mr. I. Chr. Edelmann.* Vid. BAVMGARTEN. *l. c. Vol. III. P.* 17. *p.* 404. *ſq.*;

In his certe ac reliquis, quae ſunt ab ipſo profectae, ſchedis permulta occurrunt impietatis nefandae ſpecimina. Adſerit enim Deum a mundo non eſſe diuerſum: omnes res creatas dici debere Deum: hunc non eſſe poſſe, ſine mundo, ideoque mundum nec originem habuiſſe, nec finem habiturum vnquam: negat diuinitatem Seruatoris noſtri, negat natum eum fuiſſe ex virgine, negat poſt mortem rediiſſe ad vitam tumque in coelum; concedit ſaltim, hunc ipſum hominem exſtitiſſe, prudentia et aliis virtutibus admodum illuſtrem, qui tamen nihil fecerit viribus humanis maius: credit nec miracula generatim, nec malos genios, nec damnationem ſceleratorum: omnem hominis felicitatem pendere ex vſu rerum procreatarum quieto, et rationi conueniente, arbitratur: deridet horrendumque

que in modum eludit ſacras litteras, vt plura taceam, quae ex impio Syſtemate Edelmanniano decerpſit V. C. GE. FRID. MEIERVS in *der Vertheidigung der chriſtlichen Religion wider Edelmannen, Halae 1748.* iterumque ſine vlla mutatione, *ibid. 1749. in* 8. *p. 279. ſq.* Prouocat hunc ad locum TRINIVS *l. c. p. 252.* paulloque poſt eos copioſe recenſet, qui vel cauſſam nebulonis huius tueri conati ſunt, vel contra eundem arma ſumſere. Noui parum in re peſſima Edelmannus attulit; praecipua quippe Spinozae dogmata repetiit ſaltim, in hoc vno duci ſuo ſuperior, quod confuſe petulanterque, et ruſtice magis, animi ſenſa exprimat.

Claudat atheorum hic agmen IVLIVS OFFREY DE LA METTRIE, patria Gallus, qui Berolini gratia Regis floruit, inque Academiam ſcientiarum receptus eſt, at iam anno 1751. in ipſo aetatis robore e vita diſceſſit. Multa de eo congeſta reperies in DVNCKELII. *Nachrichten von verſtorbenen Gelehrten Vol. III. p. 343. ſq.* Ex ſcriptis illius ad argumentum praeſens pertinent:

Nouvelles libertés de penſer, à Amſt. 1743. in 12. Quinque ſunt Diſſertationes, de quibus fuſe agitur in BAVMGARTENII *Nachr. von einer Häll. Bibl. Vol. II. p. 152. ſq.* Contendit autem auctor, ſtatum hominis futurum non niſi ſomnium eſſe; idem dici debere de animae immortalitate; nullam ineſſe homini poteſtatem viuendi vt velit; id praeconceptas opiniones redolere quam maxime, ſi quis exſiſtere Deum putet, abreptos enim philautia homines finxiſſe ſibi Deum, cuius ignorent originem; religionem cum veram, tum falſam, quam ſuperſtitionem vocare ſolemus, pernicioſam eſſe aequali modo, quum vtraque doceat exſiſtere Deum, ideoque eiicien-

eiiciendos e Republica doctrina tam peruerſa imbutos.

Hiſtoire naturelle de l' ame, *traduit de l' Anglois de Mr.* CHARP, *par feu M. H.* *** *de l' Academie des Sciences*, *à la Haye* (potius Pariſiis) *a.1745. in 8.* Succeſſit, niſi mentitur titulus, *Oxonii a. 1747. ead. forma Nouvelle edition revüe fort exactement, corrigée, de quantité des fautes, qui s' étoient gliſſées dans la premiere, et argumentée de la lettre critiqve de Mr.* DE LA METTRIE *à Mad. la Marquiſe du* Chattelot. Manu carnificis hocce ſcriptum, in quo praecipue contra immortalitatem animae diſputat auctor, combuſtum eſt Lutetiae Pariſiorum anno 1746. menſe Iulio. Recenſetur idem, interſperſis nonnullis Obſeruationibus in *den Leipz. zuverläſſig. Nachr. Volum. X. P.* III. *p. 188. ſq.*

L' homme machine, *à Leide 1748. in 12.* plagulis fere ſex. Anglica verſio *Londini anno 1749.* prodiit. Cf. *die Götting. gel. Zeit. a.1749. Parte LXXVIII.* Haud noua ſunt, ſed ex omni conquiſita antiquitate, argumenta, quibus euincere ſtuduit Gallus, hominem eſſe meram machinam, atque hac occaſione non erubeſcit *p. 61. ſq.* profiteri, quod veri quidem ſimile ſit, eſſe Deum, at propterea cultus diuinus nequaquam requiratur; quod homines ſine certa cauſſa certoque fine diſſeminati ſint in terra veluti fungi, nihilque referat noſſe, vtrum exſiſtat Deus, nec ne. Et *p. 106.* addit, omnino eſſe incertum, ad quid potiſſimum deſtinetur homo poſt mortem: forte eundem papilionem fieri. Vid. BAVMGARTENII *Nachr. von einer Häll. Biblioth. Vol. I. p. 75. ſq.* In Belgio prohibitus eſt infamis hic foetus, multumque, eius cauſſa, moleſtia-

leſtiarum adlatum, qui ſumtus ad eundem excudendum ſuppeditarat, librario, litterarum ſtudiis non leuiter tincto, Eliae Luzac, qua de re vid. STOSCHII *neues Gelehrt. Europa, P. XII. p.* 953. Vt igitur ſuam purgaret innocentiam, edidit *a.* 1748. *in* 12. *l' Homme plus que machine*, qui libellus, Londini loco ficte ſimulateque adiecto, indicatur ac paucis deſcribitur in *den Leipz. gel. Zeit. a.* 1748. *p.* 425. Praeter alios, qui hunc de la Mettrie conatum ac furorem ſcriptis publicis repreſſere, memoratos a TRINIO *l. c. p.* 356. *ſq.* mentionem tantum iniiciam BALTH. LVDOV. TRALLES, Medici Vratislauienſis, a quo quippe *Vratislauiae a.* 1749. *in* 8. accepimus Commentationem *de machina et anima humana, prorſus a ſe inuicem diſtinctis, libello latere amantis Autoris Gallico,* homo machina *inſcripto, oppoſita.* Ita ſuo perfunctus eſt labore Tralleſius, vt Latino Galli cogitata ſermone exprimeret, et quum parum adcurata atque ordinata cuncta inueniſſet, ea in certa, quae vocant, penſa diſtribueret, hisque ſtatim ſuas ſubiungeret adnotationes. Cf. *Acta Erud. Lat. a.* 1749. *p.* 315.

Traité de la vie heureuſe par Seneque, avec un Diſcours du Traducteur ſur le même ſujet, à Potsdam 1748. *in forma minima.* Idem ſcriptum, titulo tamen ſic mutato: *Anti-Seneque, ou le ſouverain Bien, Potsdami a.* 1750. *in* 8. *mai.* recudendum curauit auctor, at non niſi duodecim exemplaribus. Vera et vnica hominis felicitas, eius ex ſententia, eſt corporis voluptas, talis maxime, quae libidinem incitat. Virtutem nullam agnoſcit, nec vitam aeternam. Conſcientiam educationi originem debere, mortem ne cogitandam quidem eſſe, contendit. Vid. KRAFTII *theolog. Biblioth.*

Biblioth. Vol. IV. p. 851. et BAVMGARTENIVS *l. c. Vol. III. p. 266. ſq.*

Coniunctim pleraque haec Opuſcula cum aliis quibusdam, prodierunt non *Londini*, vt mentitur titulus, ſed *Berolini a. 1751. in* 4. ſic inſcripta: *Oeuvres philoſophiques. Deus nobis haec otia fecit. Virgil.* Sex ſunt Tractatus, quos generatim vocauit *Memoires pour ſervir à l' Hiſtoire naturelle de l' ame.* Recenſet Volumen BAVMGARTEN. *l. c. Vol. VII. p. 76. ſq.* Idem denuo *L. Bat. in forma minori* Tomis II. opera Luzaci, ſupra memorati, prelo exiiſſe, cum aliis acceſſionibus, in Berolinenſi editione haud obuiis, ſcilicet *L' Anti-Seneque,* atque *L' art de jouis*, (qui libellus iam *a.* 1748. *in 8.* titulo *L' école de la Volupté* inſignitus lucem adſpexerat, hic vero non nihil mutatus eſt,) DVNKELIVS teſtatur *l. c. p. 348.* Haec de homine deteſtabili, qui, ne id ſilentio praetermittam, veram adfectauit Philoſophiam, ſed quaecunque ſcripſit, ſine vllo ordine, ſine rationibus idoneis effudit, ingenioque inſolenter abuſus eſt.

§. XI.

Atheis proximi ſunt, et multum cum iis commune habent, qai plerumque coniungi ſolent, DEISTAE AC NATVRALISTAE, i. e. tales homines, qui agnoſcunt quidem, at reiecta prouidentia diuina, ſummum Numen, quique rationem ſolam ſequuntur ducem, et Chriſtiana myſteria fabulas dicunt, adeoque omnem ſacri Codicis reuelationem plane adſpernantur. Primum hic locum tribuo

IOHANNI BODINO, Gallo, ſaeculo XVI. clariſſimo, quem naturaliſtarum gregi, praeter alios, adiunxit IOH. DIECMANNVS, ſummus olim Ducatus Bremenſis Theologus, in erudito Schediaſmate *de Naturaliſmo cum aliorum, tum maxime Ioh. Bodini,* quod *Kiliae* primum editum *a. 1683. in* 4. ſtatimque

recu-

recuſum *Lipſiae a. 1684. in 12.* ac demum cum ADAMI TRIBBECHOVII *Hiſtoria Naturaliſmi*, Opere poſtumo, *Ienae a. 1700. in 4.* Imo non doctrina tantum, ſed et moribus, Iudaeum fuiſſe Bodinum, data opera demonſtrandum ſibi ſumſit WOLDEBRAND. VOGTIVS in Specimine IV. *de Ioh. Bodino, Iudaiſmi poſtulato*, quod exſtat in *Collect. I. p. 66. ſq. Apparatus litterarii Vitembergenſis*, de quo libro repete, ſi placet, dicta *Tomo II. huius Bibliotb. cap. 8. §. 16.* Sunt etiam, qui parentibus Crypto-Iudaeis eundem eſſe natum adſerunt; ſed id quidem firmiora et certiora teſtimonia requirit. Liber eius, *vniuerſae naturae theatrum* inſcriptus, *in quo rerum omnium effectrices cauſſae et fines contemplantur et continuae series quinque libris diſcutiuntur*, quodammodo animi indolem prodit, in Auctore conſpicuam. Primum lucem vidit *Lugduni a. 1596.* iterumque *Francof.* 1597. et *Hanouiae a. 1605. in 8. ap. Wechel.* ex qua editione multa leguntur excerpta in *den Nachr. von Büch. der Thomaſiſchen Bibliotb. Vol. II. P. 17. p. 359. ſq.* Cf. BAVMGARTEN. *Nachr. von einer Häll. Bibl. Vol. III. p. 398.* vsque ad *p. 414.* Binae priores editiones ſunt hodie rariſſimae, teſte CLEMENT in *Bibl. de livres dificiles à trouver, Tomo IV. p.* 411. *ſq.* Addenda interpretatio Gallica, a FRANC. DE FOVGEROLLES *Lugd. a.* 1597. *in 8.* adornata, quae paucorum itidem oculis occurrere ſolet. Oculo tandum fugitiuo inſpexiſſe videtur VOGTIVS Catalogum Bibl. Vffenbachianae, quum in *Catalogo libr. rar. v.* Io. Bodinus, *p. m.* 131. ſcribat, *ibidem Tomo I. p. 764.* libris atheiſticis hunc eſſe Bodini librum adnumeratum. Recenſentur enim dicto loco non atheiſtica tantum, ſed profana etiam et religionem euertentia, item naturaliſtarum ac deiſtarum ſcripta. Id certum eſt interim, in *Indice libror. prohibit. et expurg.* BERN. DE SANDOVAL *et* ROXAS iuſſu *Madriti a.* 1612. *in f.* edito,

edito, *p. 57.* et *p. 366.* hunc ipſum librum notari. Cf. *Index libr. prohib. et expurg.* ANT. A SOTOMAIOR, *ibid. 1640. in f. p. 701.* Cauſſa rei facile poteſt perſpici. Scilicet auctor de variis naturae argumentis ſub forma Dialogi diſſerit, vt hac ſtili forma eo commodius paradoxas monſtroſasque opiniones ſuas, ope obiectionum, proponeret, in quibus plus ſaepe theſeos eſt, quam vbi veram theſin ſuam oſtendit, quae ſunt verba MORHOFII *Polyhiſt. Tomo II. lib. 2. Parte I. cap. 2. p. m.* 154. Clarius adhuc mentem explicat ſuam NICERONIVS in *Vitis Erud. Parte XIII. p.* 155. *edit. Germ.* Docet nimirum, adferre Bodinum paſſim, quae verum Naturaliſmum indicent. Colloqui inter ſe Theodorum et Myſtagogum: illum argumentis vti, quae ad euertendam religionem Chriſtianam ſpectent, hunc autem tam leuiter iisdem ſe opponere, vt nihil aliud reſpondeat, quam hoc: nefas eſſe, de rebus eiusmodi tam proterue diſputare. Audiamus etiam REIMMANNVM in *Hiſtor. Atheiſmi p. 393.* vbi refert ex DIECMANNO *l. c.* Bodinum notitiam Dei naturalem, omnium cordibus inſcriptam, ad ſalutem procurandam, aut ſaltim arcendam damnationem, ſufficientem crediſſe, eumque errorem iam in aliis ſcriptis, Daemonomania nimirum, et libris de Republica, eſſe ſparſum. Sed haec quidem, ipſi crimini data, poſſent ideo tolerari, quoniam obſcurius quandoque animi ſui ſenſa aperuit. Magis e contrario perſpicua ſunt eadem ac manifeſta, ſi quis Bodini attente perlegerit *Colloquium heptaplomeres de abditis rerum ſublimium Arcanis*, libris VI. digeſtum. Perfecit illud ſcriptum anno 1588. aetatis ſuae circiter ſexageſimo; neque tamen editum fuit vnquam, tantumque manu exaratum deliteſcit in Bibliothecis. Autographum Henr. de Mesmes, in ſuprema Senatus Pariſienſis curia Praeſidi, a Bodini haeredibus

bus inſpiciendum datum eſt, isque exinde apographum accepit, ex quo caetera, quae exſtant, exemplaria manaſſe, facile credendum, vt Patino Naudaeus narrauit. Cf. *Nouvelles de la Republ. de Lettres, Amſt.* 1684. *p.* 344. *menſe Iunio.* Multa olim cura quaerebatur liber, et, ſi REIMMANNVS in *Catal. Bibliotb. Tomo I. p.* 986. vera tradidit, a Chriſtina, Suecorum Regina, centum aureorum pretio eſt redemtus. Poſtea vero ſatis frequenter apud Gallos obuius fuit, quod vel ex Huetii demonſtratione Euangelica patet, vbi ſaepius refutatur. Nec Germania caret exemplaribus. Fuit certe liber olim in Bibliothecis Pufendorfiana, Maſtrichtiana, vt Struuius hoc loco obſeruauit, item in Conringiana, teſte ipſo Conringio in *Apparatu litterar. Vitemb. l. c. p.* 75. nec non Reimmanniana, . Engeliana, ex qua Bunauianae illatus eſt, atque Baumgartiana. Vid. *Nachr. von einer Hälliſch. Bibl. Vol. III. p.* 382. *ſq.* vbi copioſe recenſetur, quibus addendus ARPIVS in *Feriis aeſtiualibus p.* 124. quo loco *mihi duplex*, inquit, *Codex ad manus eſt, alter in folio, alter in quarto, vt vocant, forma, cum variis lectionibus, ex VII. aliis Codicibus MSſ. Chriſtinae ſcilicet Reginae, Mothii, Roſtgardi, Arnaei Magnaei, Herm. Conringii, Ger. Molani, et Leibnitii*, caet. Add. etiam *die Arbeiten einer vereinigten Geſellſchaft in der Oberlauſitz, Vol. II. p.* 186. *ſq.* Idem Bodini liber, at mancus, peruenit ex Wagenſeiliana in Bibliothecam Senatus Lipſienſis, et ex Hackebergiana in Helmſtadienſem Academicam, qua de re ſupra dictum *Tomo I. cap.* 4. *de Biblioth. Germ. p.* 496. Quicquid dici de eodem poterat, id omne in medium protulit DIECMANNVS *l. c.* Heptaplomeres autem inſcriptus eſt foetus hic impius, non, quod ex ſeptem conſtat libris, vt Sarrauius exiſtimauit: ſed quod ſeptem viri, Paulus Coronaeus, Frid. Podamicus, Hieron. Senamus, Diegus Toralba, Anton.

Anton. Curtius, Salomo Barcaſſius et Octauianus Fagnola, operis inter ſe partitis, perpetuo confabulantes introducuntur. Primo Pontificiorum, alteri Lutheranorum, tertio omnium Sectarum, quarto Naturaliſtarum, quinto Caluinianorum, ſexto Iudaeorum, poſtremo Mahomedanorum cauſſam defendendam commiſit, hique omnes ita de ſacris controuerſiis inuicem agunt, vt Chriſtiani, ſiue Caluiniani ſuccumbant ſempet, reliqui vero, Iudaei in primis et Naturaliſtae, triumphent. Fingit autem Bodinus, ſe litteris tantum conſignaſſe iſthaec variorum colloquia: ſibi, praeter id, nihil deberi. Singularia vtique, ſi vera ſunt, narrat DIECMANNVS *l. c. p. 6. edit. vlt. Ien.* En! ipſa eiusdem verba: *Non ita pridem ex Scheda cuiusdam manuſcripta Gallica intellexi, qui Guidonem Patinum, Medicum Pariſienſem, et Profeſſorem Regium, ex Gabr. Naudaeo, quo familiariſſime vſus eſt, audiuiſſe commemorabat, fuiſſe omnino Venetiis quatuor homines, qui ſingulis hebdomadis, inſtituendarum ſuper variis religionibus Diſſertationum Philoſophicarum cauſſa, bis conuenerint, in iis Coronaeum Rothomagenſem, et, quem dixi, Guil. Poſtellum, cuius chartae, poſtquam ipſe a. 1584. Pariſiis obiiſſet, ad manus Bodini peruenerint, et huic ſcripto conficiendo fuerint adhibitae.* Editionem huius operis, Commentario ſuo illuſtrati, pollicitus aliquando eſt Polyc. Lyſerus, Polyhiſtor Helmſtadienſis, vti vberius indicatur in *Nouis litter. Lipſ. Krauſianis, a. 1720. p. 9.* et in *Annal. Acad. Iuliae, Semeſtri I. p. 81.* Exitu tamen deſtitutum fuit conſilium, ob rationem, quam SEBAST. KORTHOLTVS ad Lacrozium perſcripſit. Verba eius *in Theſ. epiſtol. Lacroziano, Tomo I. p. 220.* ſunt ſequentia. *De Bodino, cuius proximis litteris mentionem intuleras, proxime ad me Abbas Fabricius: Lyſero, inquit, prohibita eſt editio colloquii Bodiniani, ab vna quidem aula abſolute,*

Sssss *ab*

ab altera conditionate, (ſcilicet tunc temporis Vniuerſitas Iulia vtrique aulae, et Hanoueranae, et Guelpherbytanae, ſubiecta erat,) *niſi videlicet animaduerſiones addat, easque prius cenſurae ſubmittat. Sed credo eas aeternis tenebris, ſi miſerit, mancipatum iri.* Reſpondit haecce Kortholtus Lacrozio, qui antea ſic ad illum: *Bodini colloquium a clar. Leiſero edi nollem: ſatis habemus eiusmodi librorum, quibus homines impii et ſtulti in perniciem ſuam et alienam abutuntur. In muſeo meo habeo* librum Luſitanicum manuſcriptum, opus Iudaei eruditiſſimi contra religionem Chriſtianam, *de quo iam ter vel quater abolendo cogitaui. Id quo minus facerem, partim obſtiterunt amici quidam, partim quod ipſa lingua, qua ſcriptus liber, haud ita multis cognita eſt.* Vid. dictus *Theſ. epiſtol. Lacrozianus, Tomo III. p.* 192. Interim CHRIST. THOMASIVS, qui recenſionem libri Bodiniani ab amico paratam, inſeruit *Parti I. ſeiner Gedancken und Erinnerungen über allerhand gemiſchte philoſ. vnd juriſt. Haendel, Halae a.* 1723. *in* 8. *p.* 80. *ſq.* fuſe diſquirit, num is ipſe tam ſit pernicioſus vt plane non debeat typorum ope diuulgari. Negat hoc, et varias adfert rationes ſuae opinionis, cautiones tamen quasdam ſuppeditat *p.* 94. *ſq.* obſeruandas ab eo, qui edere hunc librum voluerit. Sed hae quidem leuioris mihi videntur momenti eſſe. Caeterum legi tota illa Commentatio meretur, in laudari Voluminis Thomaſiani principio obuia. Cf. *die vnſchuld. Nachrichten anni* 1710. *p.* 230. *ſq.* et IAC. BVRCKHARDI *Hiſt. Biblioth. Auguſtae, P. III. p.* 332. *ſq.* itemque REIMMANN. in *Catal. Bibl. Tomo I. p.* 986. vbi licentioſa illa et nefaria, et blaſphema in Chriſtum et religionem Chriſtianam dicta improbat merito, ſubiiciens tamen, tanti ea non eſſe, vt Lectori cordato ſcrupulum iniicere queant; quia 1) pleraque ab aliis iam ſint occupata, fracta, et repreſſa, 2) ieiuna

iuna et ruinoſa, et plus habentia temeritatis, quam ponderis, 3) non ea ratione propoſita, vt facile in animos influere queant, dictionem enim eſſe incultam, methodum indigeſtam, ſexcentis excurſionibus impeditam, et quae ſint alia huius generis, quibus ita imminuatur fama huius Colloquii, vt ſola ſuperſit raritas et caritas, quibus ſe ſuſtentare poſſit.

Sub idem tempus innotuit FRANC. PVCCIVS, patria Fidilinus in Magno Ducatu Florentino, quem plurimi Romae combuſtum eſſe tradunt. In primis hoc eſt loco memoranda *Adſertio* eius *catholica de efficacitate Seruatoris Chriſti in omnibus et ſingulis hominibus, quatenus homines ſunt, Goudae anno 1592. in 8.* Septem hic plagularum libellus dogma proponit, quod vnus quisque, rationi conuenienter, atque erga alios humanum ſe ac beneficum gerens, etſi non baptizatus, nec in Eccleſiam ingreſſus fuerit, nec de Chriſto notitiam habeat, ad felicitatem peruenire aeternam queat. Vid. IOH. GOTTLIEB HAVSII Diſſert. *Lipſ. a. 1712.* Praeſide Ioh. Schmidio defenſa, *de Puccio in naturaliſtis et indifferentiſtis rediuiuo*, itemque *die vnſchuld. Nachr. a. 1730. p. 556. ſq.*

Inter eos etiam, qui ſaeculo ſuperiori impia Deiſmi et Naturaliſmi ſemina ſparſere, non immerito referendus, imo dux potius ac ſignifer adpellandus eſt EDVARDVS HERBERTVS, Baro DE CHERBVRY, Anglus. De vita eius et ingenii monumentis data opera diſſeritur cum in CHAVFEPIE' *Nouveau Diction. hiſtor. et critique*, v. HERBERT tum a CHRISTOPH. GOTTLOB GRVNDIG in *der Geſchichte der heutigen Deiſten vnd Freydencker, beſonders Herberts de Cherbury, als deren Vorgängers vnd Anführers. Cöthenii a. 1748. in 8.* Reuelationem omnem, et cum ea vniuerſam religionem Chriſtianam, euertere Herbertum ſtuduiſſe, patet ex libris eius ſe-

quentibus. Edidit quippe *Pariſiis*, vbi antea Legati Anglici dignitatem ſuſtinuerat, *anno 1624. in 4.*

Tractatum *de veritate*, *prout diſtinguitur a reuelatione, a veriſimili, a poſſibili et falſo.* Recuſus idem *Londini anno 1633.* et *anno 1645. ead. forma*, quae ſatis dicitur pulchra editio; tandem hoc factum eſt *anno 1656. in 12.* loco quidem non adiecto, forte tamen *Amſtaelodami*, vt GRVNDIGIVS *l. c. p. 26.* opinatur. Gallica interpretatio *anno 1639. in 4.* hoc titulo prodiit: *De la verité, en tant qu'elle eſt diſtincte de la revelation, du vraiſemblable, du poſſible, et du faux par* Eduard Herbert *Baron* de Cherbury; *traduit du Latin, et augmenté par lui-même.* Male haec verſio authenticum exemplar credita fuit a Carolo Lloydio, quem ſequi videtur GRVNDIGIVS *l. c.* Cf. FREYTAGII *Analecta litteraria p. 238.* Memoraſſe iuuabit REIMMANNI de Opere iſto Herberti iudicium in *Catal. Bibl. Tomo I. p. 1123.* Ita vero ille: *Multa hic acuta, ſingularia, minimeque communia, logica, phyſica, anthropologica. Primus enim Auctor facultatum humanarum terminos et metas diſpoſuit. Primus veritatem a reuelatione, veroſimili et poſſibili diſtinxit. Primus ex notitiis communibus nouum Philoſophiae et Theologiae Syſtema condidit. Sed ſtilus inamoenus, moroſus et ſubobſcurus eſt. Res pleraeque nouae, paradoxae, et a ſenſu communi Doctorum abhorrentes. Et totum Opus ita eſt comparatum, vt ad Theologiam reuelatam euertendam, et naturalem ſolam ſuſtinendam, adornatum videri queat.*

Succeſſit *Londini anno 1645. in 4.*

De cauſſis errorum Opus, vna cum tractatu de religione Laici et adpendice ad Sacerdotes; nec non quibus-

quibuſdam poematibus. Secunda editio *anno 1656. in 12.* cum libro priori *de veritate,* cuius eſt continuatio et quaſi Pars altera, eiusdem quoque farinae, fuit exhibita. - Cf. GRVNDIG. *l. c. p. 27.* et REIMMANN. *Hiſtor. Atheiſmi p. 443.* quo loco mentionem libelli de religione Laici, Gallice redditi, et manuſcripti, his verbis iniicit: *Eſt penes nos, praeter edita, etiam religio Laici, in Msto Gallico idiomate conſignata, et in fine ſubſcripta Milord Herbert. In qua reiecta religione Ethnicorum et Chriſtianorum id agitur praecipue, vt demonſtretur, nec reuelationi, nec miraculo, nec prophetiae vlli fidem adhiberi poſſe, ſine formidine oppoſiti: nec vlla alia ratione in tanta religionum multitudine ad tranquillitatem poſſe perueniri, niſi admiſſo hoc quinquarticulari ſuo Syſtemate* 1) *eſſe Deum,* 2) *coli debere,* 3) *virtutem pietatemque eſſe praecipuas partes cultus diuini,* 4) *dolendum eſſe ob peccata, ab iisque reſipiſcendum,* 5) *dari ex bonitate iuſtitiaque diuina praemium, vel poenam, tum in hac vita, tum poſt hanc vitam.* Quae quidem egregia vtique dicenda eſſent, niſi altum hic foret de Chriſto, eiusque meritis in genus humanum, ſilentium. An hocce Mstum Gallicum quodammodo differat ab exemplari Latino nec ne? ego decernere non auſim. REIMMANNVS certe in *Catal. Biblioth. Tomo I. p. 992.* illud ſummarium quoddam iſtius Operis maioris, quod de religione Gentilium inſcribitur, adpellat, idque anecdotum adhuc, et idcirco eruditis plerisque inuiſum iuxta et inauditum.

Tandem huc pertinet liber modo memoratus

De religione Gentilium, errorumque apud eos cauſſis, Londini a. 1645. et *Amſtael.* 1663. *in 4.* ac

 denuo

denuo *ibidem a. 1700. in* 8. Dubiae videntur aliae, quae a nonnullis adduci ſolent, editiones: neque concedit CLEMENTIVS in *Bibl. de livres dificiles à trouver*, *Tomo IX.* vbi copioſiſſime de hiſce libris Herberti egit, *p.* 429. primam ſaltim Partem in editione Londinenſi exhiberi, alteram vero Amſtaelodamenſi, annum 1663. praeferenti, fuiſſe adiectam. Adfirmat id interim, neſcio an ſatis recte, FREYTAGIVS *l. c. p. 239.* Anglica verſio in READING *Bibliotheca Cleri Londinenſis*, atque in *Biblioth. Vffenbach. Tomo I. p.* 831. *Londini a. 1705. in* 8. dicitur exiiſſe; plerique contra ſubſtituunt *annum* 1708. Vid. e. g. WALCHII *Biblioth. theologica*, *Tomo I. p. 747.* Altera editio Amſtaelodamenſis, anno 1700. producta, recenſetur in *den vnſchuldig. Nachr. anni* 1702. *p. 901. ſq.* Cf. etiam REIMMANN. in *Catal. cit. p. 1033.* vbi repetit Syſtema Herberti, quinque abſolutum articulis, ſupra iam indicatis, ac poſtea ſubiungit, quae ſequuntur: *Haec, ſi Auctorem audias, omnium religionum prima ſunt elementa, reliqua cuncta fabulae, et ſacerdotum inuenta; illa ſufficiunt ad beatitatem conſequendam; quae vero ex Oraculo, vel ſcripto diuino, proferuntur additamenta, admodum ſunt ſuſpecta; opera ſubſidiaria ſalus obtineri non poteſt; Ethnici iisdem virtutibus ſunt vſi, quibus Chriſtiani*, caet. Animaduerſiones in hunc librum HERBERTI, Deorum hiſtoriam ex nummis illuſtrantes, beneficio Ioh. Ludov. Vhlii V. C. primum edidit FR. OTTO MENCKENIVS *Miſcellan. Lipſ. nouor. Vol. IV. p. 138. ſq.* Sunt hae ab EZECH. SPANHEMIO profectae, neque tamen Herberti dogmata refutant, vt falſo ſibi, poſt GRVNDIGIVM *p.* 70. et 72. *ſq.* vbi ſine cauſſa mouet dubium, et Ezech. Spanhemium cum Fride-

Friderico permiſcet, perſuaſit TRINIVS *im Freydencker Lexico p. 303.*

Inter eos potius, qui peragere id ipſum ſtuduerunt, et praecipue librum de religione Gentilium examinarunt adcuratius, omnium conſenſu eminet IOH. MVSAEVS, alibi iam laudatus, cuius Diſſ. *de luminis naturae et ei innixae Theologiae naturalis inſufficientia ad ſalutem*, primum *Ienae a.* 1667. deinde *a.* 1668. loco non addito, tum *Vitemb. a.*1708. *Examen Cherburianiſmi* inſignita, poſt *Ienae a.*1711. ad extremum *ibidem* eademque inſcriptione *a.* 1730. *in 4.* euulgata eſt. Lectu non indignam ſcripti huius hiſtoriam litterariam reperies apud GRVNDIGIVM *l. c. Cap. VIII. p.* 108. *ſq.* REIMMANNVS in *Catal. Bibl. Tomo I. p.* 1015. hoc expromſit iudicium: *Auctor doctus*, ait de Muſaeo, *ſubtilis, modeſtus in dicendo et diſputando, cuilibet eorum, qui contra Herbertum de Cherbury ſcripſerunt, comparandus, plerisque etiam anteferendus.* Ex Anglorum viris eruditis Muſaeo adiungi meretur THOMAE HALYBVRTON's *Natural Religion inſufficient*, qui liber, *Edimburgi anno* 1714. *in 4.* excuſus, maxime Herbertum oppugnat. Vid. LILIENTHALI *theolog. Bibl. Vol. I. p.* 217. *ſq.* Add. CHRISTIAN. KORTHOLTVS *de tribus Impoſtoribus magnis, Sect. I.* quae agit de Edoardo Herbert, itemque ADAM. TRIBBECHOVIVS in ſupra laudata *Hiſtoria Naturaliſmi, Cap. X. p.* 49. *ſq.* quem elegantem quoque libri Herbertiani de religione Gentilium refutationem compoſuiſſe, adhuc tamen manuſcriptam, STRVVIVS hoc loco teſtatur. Alios, qui ſuſcepere idem negotium, Herbertique dogmata impia deſtruxere, nominat TRINIVS *l. c. p.* 302. *ſq.*

Is ipſe Auctor *p.* 305. *ſq.* de THOMA etiam HOBBESIO diſſerit, quod autem longe copioſius et elegantius factum a BRVCKERO *Hiſt. crit. Philoſ. Tomo*

IV. Parte altera, cap. 6. p. 145. Fuere, qui Atheiſmi crimen obiicerent Hobbeſio, quo et inclinat ſententia WALCHII *Bibl. theol. Tomo I. p. 682.* at hanc tamen maculam abluere admodum dextre ſtuduit NICOL. HIERON. GVNDLINGIVS *Obſeruat. ſelectarum Tomo I. Obſeru. 2. p.* 37. et in *Gundlingianis, Parte XIV. p. 304. ſq.* itemque *p. 358. ſq.* Interim apertum eſt, vt et Gundlingius concedit, paradoxa plurima, nullo probanda modo, adſeruiſſe Anglum. KORTHOLTVS certe *l. c. Sect. II. p. mi. 50. ſq.* ingenium eius Herbertiano in multis fuiſſe perquam ſimile profitetur, praecipue quod ad animum pertinet euertendae religionis Chriſtianae. Exemplo eſſe poteſt *Leuiathan* ipſius, ſiue *de Republica* Opus, quod primum Anglice, *Londini a.* 1651. *in f.* poſt ab Auctore Latine redditum *Amſtael. a. 1668. in* 4. cum aliis eiusdem Operibus philoſophicis, itemque Belgice *ibid. a.* 1678. *ead. forma* prodiit. Locum et nouiſſime nactum in *the moral and political Worcks of* THOM HOBBES, *Londini a.* 1750. *fol.* Talia occurrunt ibidem, quae a viro, Chriſtianae legi vere addicto, proficiſci minime poſſunt et leuitatis in religione reuelata Hobbeſium magnis argumentis arguunt. Certe in Capite tertio ac triceſimo dicti libri de numero, antiquitate, ſcopo, auctoritate et interpretibus Voluminum ſacrorum ita diſſerit, vt a profano animo parum abfuiſſe, ac pleraque, quae reuelatio tradit, ad ſacerdotum inuentiones retuliſſe merito videatur. Sunt haec BRVCKERI verba *l. c. p.* 171. vbi prolatis variis ſpeciminibus, addit periculoſas vtique et exitiales eſſe ciuitati Chriſtianae hypotheſes Hobbeſii, quibus innumera ſuperſtruxerit, vehementer ſuſpecta v. g. non habendos in prophetis illos, qui religionem aliam docent, quam quae ab eo, qui perſonam Dei in ciuitate gerit, legibus permittitur, multaque praeter id, alia para-

doxa

doxa et profana iſto in libro eſſe obuia. Refert ſimul Bruckerus, ideo abreptum in peruerſa Hobbeſium fuiſſe, quod complura per abuſum irrepſiſſe obſeruarit in rem ſacram, ipſis Dei praeceptis, ab Apoſtolis propoſitis, contraria, atque hinc factum eſſe, vt adfirmarit odio Cleri, quae tolerari a Chriſtianis minime poſſint. Idem patet etiam luculenter ex *Hiſtoria eccleſiaſtica carmine elegiaco concinnata*, et ipſius poſt obitum *Londini a. 1688. in.* 8. euulgata. Diligenter Opuſculum hoc, rariſſimum hodie, recenſetur in *den Nachr. von Büch. der Thomaſiſchen Biblioth. Vol. I. p.* 314. *ſq.* quibus hoc loco dictis adiungi merentur BAVMGARTENII *Nachr. von merckwürd. Büch. Vol. X. Parte* 57. *p.* 222. *ſq.* Trinius *l. c. p. 308.* decerpſit exinde ſequentia; *Der Augenſchein kan iedermann leicht überzeigen, daſs der Verfaſſer ſowohl, als der vngenannte Herausgeber, gegen die gantze geoffenbarte Religion vor vnd nach Chriſti Geburt feindſelige Abſichten gehabt: indem der erſtere dieſelbe vnter dem Vorwande, den Aberglauben anzugreifen, wofür er ſie ausgiebt, als eine Quelle alles Vnheils vorſtellet, welches inſonderheit die Chriſtenheit überſchwemmet hat; der letztere aber gleiche Geſinnungen deutlich genug äusſert.*

§. XII.

Venerabilis WALCHIVS *Bibl. theolog. Tom. I. p.* 755. iis, qui ſcripturae ſacrae ac religionis Chriſtiane dignitatem labefactare, adeoque viam ad naturaliſmi prauitatem parare tentarunt, inſerit etiam ISAACVM PEYRERIVM. Gallus ille, cum Reformatis primum viuens, lecto Epiſtolae Paulinae ad Romanos Capite quinto, eiusque v. 12. 13. et 14. in animum induxerat, ex dicto colligi poſſe loco, quod iam ante Adamum fuerint homines, a quibus Gentiles exorti ſint, adeoque Adamum

 exſti-

exſtitiſſe tantum Iudaeorum parentem. Eo quidem conſilio tamquam promulſidem, proferebat *Praeadamitas; ſiue Exercitationem ſuper verſibus 12. 13. et 14. Capitis quinti Epiſtolae Pauli ad Romanos, quibus inducuntur primi homines, ante Adamum conditi.* Tres habemus libelli huius editiones *in 4. in 8. et in 12,* quae omnes *annum* 1655. praeferunt, non adſcripto tamen loco, Auctoris ue nomine. In Belgio id eſſe factum, docent FREYTAGII *Analecta libr. rarior. p.* 672. Minoris formae exemplar paginas ſeptuaginta complet. Belgicam interpretationem, hoc titulo *a.* 1667. *in* 8. emiſſam: *Praeadamiten, waarin geleert werd, dat er Mennſchen voor Adam zyn geweeſt,* memorat FREYTAGIVS *l. c.* Sequebatur ſtatim *eodem anno in* 4. ipſum eiusdem *ſyſtema theologicum ex praeadamitarum hypotheſi,* ex libris quinque conſtans. Acceſſit etiam libelli prioris editioni *in* 8. quae, praeter argumenta capitum, paginas 294. exhibet. Nec ignotum eſt mihi exemplar Syſtematis *in* 12. adiectum ſimiliter habens *annum* 1655, quod cum pagina 317. finitur, ſi prooemium, capitumque argumenta exceperis. Publice in Gallia combuſtum eſſe hunc librum, teſtatur WESTPHALIVS in Diſſ. Gryphiswaldienſi *de libris publica auctoritate combuſtis, num. LXI. p.* 39. Neque tamen hanc ſolam hypotheſin defendere voluit Peyrerius, verum etiam ex dicta ad Romanos Epiſtola ſalutem extra Eccleſiam, et vniuerſalem Iudaeorum reditum ad frugem elicere conatus eſt. Imo de omnibus Teſtamenti Veteris libris abiecte ſentit, eosque negligenter ſcriptos, et excerpta tantum antiquorum Commentariorum eſſe opinatur. Vid. *ſyſtematis theologici lib. IV. cap.* 1. *p. ſq.* WALCHIVS *l. c. p.* 756. adiicit alia eiusdem dogmata, ſcilicet ortum mortis ac prauitatis, qua homines laborant, naturalis a primo Adami

lapſu

lapſu haud eſſe repetendum; myſteria exhibere fictiones ſacras; interque gentes ſuperſtitioſas eos ad ſummam perueniſſe felicitatem, qui virtuti operam dederint, nullam licet habuerint cognitionem Chriſti. Ingenio abutebatur Peyrerius, de quo, eiusque ſcripto ita THOM. CRENIVS *Exercit. philol. hiſtor. Faſce II. p.* 11. mentem explicat ſuam: *Quantum ex ipſius libro intelligere poſſumus, eſt equidem vir non plane rudis artium et litterarum, et attigiſſe videtur geographica ſtudia et aſtronomica, delibaſſeque hiſtorica ſed in linguis eruditis vltra Latinam non proceſſit, Graecae et Ebraicae plane imperitus. Stilum habet valde inaequalem, aliquando turgidius et altiori cothurno inſurgentem, aliquando humilius repentem, ac plane languentem et qualis ſolet eorum eſſe, quorum ſtudia iam diu multum aeruginis contraxerunt. In theologicis plane infans eſt.* In propugnandis ſuis dogmatibus haud admodum obſtinatum fuiſſe Auctorem rigidumque, ſequentia declarant. Quum enim anno 1656. Bruxellis coniiceretur in carcerem, Principis autem Condaei, Maecenatis ſui, ſatisdatione liberatus Romam conceſſiſſet, miſſa priori religione amplexus Pontificiam eſt, librumque de Praeadamitis eiurauit. Exſtat hac de re *Epiſtola* eius *ad Philotimum, qua exponit rationes, propter quas eiurauerit ſectam Caluini, quam profitebatur, et librum de Praeadamitis, quem ediderat.* Prodiit *Romae a. 1657. in 4.* et recuſa fuit *Francof. 1658. ead. forma.* Eodem anno *Pariſ. in 8.* ſucceſſit verſio Gallica, quam ſic inſcriptam apud FREYTAGIVM *l. c.* reperimus: *Lettre d'* ISAAC LA PEYRERE *contenent les raiſons, qui l'ont obligé d'abjourer le Calviniſme et ſon livre des Préadamites; traduite de Latin par l'Auteur même.* Quae Epiſtola non diuerſa ab eiusdem *Apologie*, cuius ſcripti *Pariſ. a. 1663. in 8.* excuſi mentionem iniecit ENGELIVS in *Bibl. ſelectiſſ. p. 124.*

p. 124. Addatur *Pars II.* dictae Bibliothecae *p.* 49. Sed prolatae rationes tam ſunt frigidae, vt facile pateat, ſolo percitum timore haec talia feciſſe Auctorem. Accedit et alia cauſſa, quam refert FREYTAGIVS *l. c. p.* 673. *Quum* enim ait, *Peyrerius conſpiceret, quod in primis Proteſtantium, quorum profitebatur ſacra, Doctores in ſuum maxime inueherentur librum; id admodum aegre tulit, et, vt ipſe in Epiſtola quadam ad Comitem de la Ruze profitetur, hanc vnicam ſibi fuiſſe cauſſam ſcribit, vt dogmata Proteſtantium eiuraret, et ad Pontificiorum ſacra tranſiret. Vid.* Recit des Lettres écrites à Mr. le Comte de Suze, pour l'obliger par raiſon à ſe faire Catholique, Paris 1661. in 12. p. 290. *quam collectionem ipſe Peyrerius in lucem edidit.* Vixit deinde poſt hanc eiurationem, apud Patres Oratorii Pariſienſes Peyrerius, et ad mortem vsque, quae in annum 1676. incidit, huic dogmati fuit addictus. Complures eundem refutarunt. Ea ſcripta, quae a. 1656. prodiere, recenſuit THOM. BANGIVS in *Coelo Orient. Exerc. II. quaeſt. 8.* vbi et profitetur, iam anno 1645. Hafniae librum de Praeadamitis manu exaratum ipſi tradidiſſe Auctorem, neque tamen ſe credidiſſe eo temeritatis peruenturum eſſe hominem, vt hocce commentum in lucem emitteret. Add. WALCHIVS *l. c. p.* 787. Pertinent huc e. g. *Animaduerſiones in libros Praeadamitarum, ſeu Anti-exercitatio ſuper verſibus XII. XIII. XIV. Cap. V. Epiſt. S. Pauli ad Romanos, Pariſ. 1656.* et iterum, cum *Epiſt. gratulatoria ad Iſaac Peyrerium de eius conuerſione ad Romanam fidem, ib. 1657. in 8. maj.* Auctor eſt PHILIPP. LE PRIEVR. Caeterum legi merentur etiam *Particularités, touchand l'Auteur et l'Ouvrage des Préadamites,* in *Lettres choiſies de Mr.* SIMON, *Tom. II. lettre 4.* Commoda hac occaſione mentionem iniiciam alius Opuſculi, Co-Adamitae inſcripti, et *Londini a. 1732. in 8.* Anglico

glico excuſi ſermone! Primum hic adſeritur, eodem tempore cum Adamo alios adhuc eſſe homines factos, variis repetitis argumentis, quae iam protulerat Peyrerius: deinde lapſus Angelorum negatur, nullumque ſtatuitur locum dari, in quem detruſi fuerint poenae cauſſa. Omnis tractatio eo ſpectat vtique, vt librorum diuinorum auctoritas labefactetur. Vid. LILIENTHALII *theol. Biblioth. Vol. I. p.* 325. Succedat *Hiſtoire des Sevarambes*, de cuius libri vero vero cuctore diuerſae ſunt eruditorum opiniones. MOLLERVS ad *Polyh. Morhoſianum Tomo I. lib. 1. cap. 8. ſ. 23.* haec notauit: *Hiſtoriae Seuarambum auctorem ſibi videri Iſaacum Voſſium, Morhoſius amicis ſaepe faſſus eſt.* Alii architectum dixere Sidenum quendam, nauis praefectum, qui ſchedas has manuſcriptas cum omni haereditate reliquerit amico, vt easdem in ordinem redactas ederet. In *Recueil de Litterature, de Philoſ. et d'Hiſtoire, Amſtel. 1730. in 15.*, quod politiſſimum Opuſculum ex IORDANI profectum ingenio eſt, *p.* 43. neſcio quo fundamento indicatur Delonus, verbi diuini praeco. Maiori quoque robore indigent, quae in *Actis Erud. lat. a.* 1743. *p. 524.* memorantur. Ita vero Collectores, hoc loco Epiſtolarum Leibnitianarum ad diuerſos Volumen IV. perluſtrantes: *De autore Seuarambiorum Hiſtoriae nihil certi habuit exploratum* (ſcilicet Leibnitius). *Nouimus vero, eum fuiſſe* Pfeifferum *quendam, muneri vlli haud admotum, Brunſuici apud fratrem, Eccleſiaſten ad S. Catharinae, diu commoratum, Gallicae linguae peritiſſimum, Theologiae olim candidatum.* Plerique ſequuti videntur CLERICVM, qui in *Biblioth. choiſie, Tomo XXV. p. 402.* haec profert ad libri auctorem pertinentia: *L'Hiſtoire des Seuerambes*, inquit, *a été compoſé originairement en François par un prouincial, nommé* Veiras, *que feu Mr.*

Mr. Locke avoit connu particulierement, et enſuite il a été traduit en diverſes langues. L'Auteur avoit mis au titre: traduit de l'Anglois, *pour dépaïſer les Lecteurs*, caet. Idque nuper demum confirmatum in PROSP. MARCHAND *Diction. hiſtorique, P. I. v.* d'Allais. Docetur ibidem hominem hunc ex multorum ſententia, id nominis accepiſſe ab Aleſia, Languedociae oppido, quod hic loci natus fuiſſet, ipſe tamen Auctor vero putat propius eſſe, iam ante hunc Aleſiorum familiam in eadem claruiſſe terra. Alia legimus in *Perardinae Bibliothecae Catalogo p.* 315. vbi Clerici indicium redditur admodum dubium. En! verba ipſa: *Ce fait, quoiqu' atteſté par Mr. Locke qui avoit particulierement connu Mr. de Veiras, eſt renverſé par une lettre de Mr. Bourguet, qui nomme un* la Deveſe, *Avocat de Nimes, et Catholique Romain. Voy. Bibl. German. Tome XXIII. p.* 197. Quo ſit anno primum editus liber, mihi quidem adcurate non conſtat. Antiquiorem certe editionem haud noui, praeter eam, quae *Pariſiis anno* 1677. *in* 12. Volum. V. adornata eſt. Optima haec dicitur editio, et poſt hanc illa, quae *Bruxellis a.* 1682. *in* 8. Volum. IV. exhibita fuit, in laudato PERARDI *Catalogo l. c.* Nota eſt etiam *Amſtaelodamenſis, anno* 1702. *in* 12. producta, de qua fuſe agitur in ECCARDI *monathl. Auszügen anni* 1702. *m. Octobri p.* 5. *ſq.* Nouiſſime, quantum ſciam, is ipſe liber *Amſtael. a.* 1716. *in 8.* Voluminibus II. prodiit. In Belgicum a G. VAN BROECKHVIZEN translatus linguam Partibus IV, multis figuris inſertis, *Amſtael. a.* 1682. *in* 4, quae rarior nunc eſt editio, tum et Germanice *Sultzbachii anno* 1689. *eadem forma* et hoc quidem titulo lucem vidit: *Geographiſches Kleinod., aus Zweyen ſehr ungemeinen Edelſteinen beſtehend, darunter der erſte eine Hiſtorie der neu erfundenen Völcker, Sevarambes genannt,* caet.

der andere aber vorſtellet die ſeltſamen Begebenheiten Herrn T. S. eines Engliſchen Kaufherrns, welcher von den Algieriſchen Seeräubern zum Sclaven gemacht, und in das inwendige Land von Africa geführet worden. In Engliſcher Sprache herausgegeben durch A. Roberts, *anietzo in deutſcher Sprache mitgetheilet.* Poſteriorem huius Voluminis Partem, de inferiore Africa agentem, ab editione Belgica abeſſe, eandemque non fictam hiſtoriam, ſed ex vero videri expreſſam, HEVMANNVS ſcribit *Sched. de libr. anonymis ac pſeudonymis, P. II. cap. 3. ſ. 1. p.* 162. Repetita haec editio Germanica *Norimb. a.* 1717. *in* 4. Falſo tamen titulus tribuit Roberto cuidam Seuarambum Hiſtoriam, quum ille non niſi Adpendicem mercatoris Anglici ediderit. Vid. omnino *die vermiſchte Hälliſche Biblioth. Vol. I. Parte* 2. *p.* 174. *ſq.* Ad argumentum dictae Hiſtoriae Seuarambum quod attinet, facile perſpicitur, ſub ficta hacce relatione deſcribere Auctorem optimam omnibusque abſolutum numeris Rem publicam voluiſſe. Et hoc docte quidem atque magna cura fecit: at MORHOFIO iudice *l. c.* toto etiam illo libro praecipuum ipſius negotium eſt, vt oſtendat, vnam eſſe religionem, naturae rerum conformem, quae Deum ſupremum atque eius quaſi vices in orbe hoc inferiori repraeſentantem Solem, veneretur: quare data occaſione contra Trinitatem et Chriſtianismum diſputat. Illud vero ingenium hominis in extrema parte prodit, quod ſtrategemata Sacerdotum gentis eius, quam Stroukaros vocat, ad miraculorum, quae in Pentateucho habentur, formam confixerit: quo manifeſte patet, illum hiſtoriae ſacrae illudere. Ita Morhofius, cuius ſententiam illuſtrat REIMMANNVS in *Catal. Bibl. Tomo I. p.* 987. et adiectis editionis Sultzbachienſis paginis ſequentia profert: *Suſpectus liber,*

quod

quod licentiam credendi et tolerantiam theologicam nimiopere commendet; Theologiam naturalem dari omnino neget; religionem a nouitatis ſtudio et contemplatione rerum ortam eſſe iudicet; miracula vel prorſus tollat, vel ſuſpecta faciat. Cf. eiusdem *Hiſtoria Atheiſmi p.* 484. vbi ea ipſa occurrunt, in *Catalogo l. c.* repetita. Nouiſſime his MARCHANDVS in Dictionario ſupra memorato acceſſit. Docentibus quippe *Actis Eruditorum, anno* 1758 *m. Decembri* euulgatis, *p.* 676. librum hunc exiſtimat eſſe ſcriptum elegantiſſime: ſed latere addit anguem in herba, quum quaedam ei loca inſerit, ex quibus, veluti per cuniculos, doctrinam de re Chriſtiana petere Auctor videatur. Longe mitiorem e contrario nactus eſt is ipſe iudicem CHRIST. THOMASIVM, qui multa defendendi eius cauſſa congeſſit in *den Gedancken über allerhand Bücher, menſe Nouembri anni 1689. p. 972. ſq.* Sequitur eiusdem dicta probatque ECCARDVS *l. c. p.* 7. et HEVMANNVS in altera editione libelli de *Anonymis et Pſeudonymis*, apud MYLIVM *Biblioth. Anon. et Pſeudon. p. 175. nota* b). Poſtquam enim in priori editione ſcripſerat: *Fateor, apologiam Thomaſianam mihi non ſatisfacere, ſed videri haud abſimilem defenſioni aduocati, qui malae cauſſae ſuſcepit patrocinium*, poſteriori, interiecto fere annorum triginta interuallo, haec ſubiecit: *Ex eo tempore, quo haec ſcripſeram, iterum perlegi, et quidem attentius, fictam hanc hiſtoriam. Tunc vero non potui iuſtam inuenire cauſſam, auctorem eius, (qui et libro IV. p. 60. et 61. edit. Belg. profitetur, religionis Chriſtianae diuinitatem ſibi non eſſe dubiam,) vel inter atheos referendi, vel inter naturaliſtas; ſed vidi, eius figmenta ſapere probabilitatem, quam ſane ſequi debuit fictam deſcribens hiſtoriam, eumque narrationi variarum religionum immiſcuiſſe hiſtorias religioſorum impoſtorum, ipſum Moſen, vt*

olim

olim Aegyptii Magi, imitari ſtudentium. Nunc igitur Thomaſianae rurſus accedo ſententiae. Idque confirmauit Vir doctus in *Conſp. Reip. litter. Cap. VI.* §. 33. *p. m.* 375. *edit. anno* 1746. repetitae. Ego vero, meo qualicunque iudicio, plane a Naturaliſmi culpa eſſe auctorem vindicandum dubito: prudentius certe in rebus tam ſeriis, aeternamque ad ſalutem ſpectantibus agere debebat.

Peſſimus religionis Chriſtianae hoſtis fuit MATTH. TINDALIVS, Sacerdotis Anglici filius, qui anno 1733. non ſine maximis corporis cruciatibus vitam cum morte commutauit. Malae in primis notae liber eius eſt; *Chriſtianity as old as the Creation; or the Goſpel, a Republication of the Religion of Nature* inſcriptus, Suppreſſoque nomine editus *Londini a.* 1730. *in 4. maj.* Recuſus fuit *ibidem a.* 1731. ſeu verius in Belgio, iterumque *Londini a.* 1732. ac tertium *Cantabrigiae a.* 1733. *in 8.* Volumen ſaltim primum eſt: alterum, quod promiſerat Tindalius, non ſucceſſit. Hoc autem Opere, effuſis in Theologos conuitiis turpiſſimis, id probare potiſſimum ſtuduit, reuelationem haud eſſe neceſſariam, quaeque ſub hoc nomine commendari ſoleat, eam eſſe meram hominum fraudem: ſolo naturae lumine completos ad aeternam poſſe felicitatem peruenire, ideoque religionem naturalem, loco reuelatae, eſſe omnino introducendam caet. Methodo vſus eſt Dialogorum, prout videmus ex *Actis Erud. Lat. anno 1731. p.* 252. vbi multa induſtria prima libri nefarii editio recenſetur. De altera euoluantur *die deutſchen Acta Erudit. Vol. XVI. P.* 182. *p.* 77. *ſq.* Addere iuuabit ſequens iudicium, *ibidem p.* 104. obuium: *Es iſt dieſes Buch ohnſtreitig eines der feindſeeligſten wieder die chriſtliche Lehre, ſo iemahls heraus gekommen, welche der Verfaſſer faſt auf allen Blättern mit neuen und der Welt*

vorhin vnbekannten Waffen angreiffet. In eo ipſo Volumine copioſe diſſeritur etiam *p.* 153. *p.* 274. *p.* 305. *p.* 505. *p.* 580. et *p.* 787. *ſq.* de quibusdam Anglorum ſcriptis, quae Tindalii doctrinis fuere ſtatim oppoſita. Inter noſtrates data opera id actum ab IOH. MARTINO CHLADENIO, Theologo quondam Erlangenſi, cuius ſcriptum VRBAN. GOTTLOB THORSCHMIDIVS *Lipſ. et Vitemb. anno* 1750 *in* 8. hoc titulo Germanice reddidit: *Das Blendwerk der natürlichen Religion, Schrift-und Vernunftmäſſig entdeckt.* Multa plura eiusdem argumenti congeſſit TRINIVS *l. c. p.* 464. *ſq.* Cf. LILIENTHALII *theolog. Biblioth. Vol. I. p.* 309. *ſq.* et CHRIST. KORTHOLTI Diſſ. epiſt. *de Matthaeo Tindalio Lipſ.* 1734. *in* 4. cuius libelli eruditi ſumma capita exhibent *die gründlichen Auszüge aus theolog. philoſ. vnd philolog. Diſputationibus, Vol. III. a.* 1735. *p.* 308. *ſq.*

Tindalio merito collega datur THOMAS WOOLSTONVS, anno pariter 1733. Londini mortuus in carcere, et rheumate quidem epidemico atque epiphora, quae magnam hominum multitudinem, hanc incolentium vrbem, oppreſſerat. Adfirmare is non erubuit, reſurrectionem Seruatoris noſtri, eiusque miracula, myſtice tantum et allegorice eſſe intelligenda; idem dicendum de Codice ſacro vniuerſo; malos genios figmenta eſſe; orci vocabulo indicari corruptum Eccleſiae Chriſtianae ſtatum; doctrinam Mahomedi praeſtare Chriſtianae, vt plura taceam impia huius hominis. Scripſit non pauca carbone notanda, inter quae memorari prae caeteris debent Diſſertationes VI. de miraculis Seruatoris, hoc inſignitae titulo: *A Diſcourſe on the miracles of our Saviour* caet. *Londini 1727. et ſequ. in 8.* Saepius hi libelli, quorum quisque plagulas decem implet, ibidem ſunt recuſi, et prior quidem

dem

dem anno 1729. ſextum, caeteri quartum tertiumue. Praecipua exinde argumenta refert BAVMGARTENIVS in *den Nachrichten von einer Hälliſchen Biblioth. Vol. I. p. 479. ſeq.* Cf. etiam WALCHII *Bibl. theolog. Tomo I. p. 763. ſq.* et cumprimis Vir clariſſimus, mihique amiciſſimus, HENR. CHRIST. LEMCKERVS, in *der hiſtor. Nachricht von Thom. Woolſtons Schickſalen, Schriften vnd Streitigkeiten, Lipſ.* 1740. *in* 8. vbi de hisce ſcriptis *Cap. II.* §. 18. *p.* 53. *ſq.* data opera adcurateque egit. Varia deinde, partim in itinere ſuo litterario, partim ex libris apud nos rarioribus collecta, adiecit celeberrimus Lipſienſium Profeſſor, CAROL. CHRISTIAN. WOOGIVS in commentat. doctiſſima *de vita et ſcriptis Thomae Woolſtoni, Lipſ. a. 1744. in 4.* Lectu quoque digna praedicatur ABRAH. LE MOINE *Diſſert. hiſtorique ſur les écrits de Mr. Woolſton, ſa condemnation, et les écrits publiées contre lui*, quae acceſſit *Hagae Comit. a.* 1732. *in* 8. *mai.* Opuſculo, Anglice primum confecto, THOMAE SHERLOKII, quod inſcriptum eſt *les temoins de la reſurrection de Ieſus Chriſt, examinez et jugez ſelon les regles du Barreau, pour ſervir de réponſe aux obiections du Sr. Woolſton et de quelques autres Auteurs traduit de l'Anglois ſur la ſixiéme edition.* Vid. *Supplem. Actor. Erudit. Lat. Tomo X. Sect. II. p. 503. ſq.* vbi recenſetur fuſius hocce Epiſcopi Anglici ſcriptum, miror tamen, ne verbum quidem dictum eſſe de laudata MOINII Diſſertatione. Germanica verſio ſtudio SCHIERII *Lipſ. a.* 1733. *in* 8. prodiit ſequenti titulo: *Gerichtliches Verhör der Zeugen der Auferſtehung Ieſu*, caet. Innotuit mihi haec ipſa ex TRINII Lexico, qui *p.* 518. *ſq.* vitam Woolſtoni, ſcripta eius, et ſupra octoginta eruditos memorauit, in refutando eodem occupatiſſimos.

Ttttt 2 §. XIII.

§. XIII.

Superſunt complures deiſtarum et naturaliſtarum, quorum recentiores celebrioresque adhuc in medium proferam. Inter tales non poſtremus fuit BERNARD. MANDEVILLIVS, Medicus in Belgio natus, qui tamen plurimum vitae tempus apud Anglos transegit, Londinique ineunte anno 1733. diem obiit ſupremum. Innotuit maxime poëmate *the Grumbling Hive, or Knaves turned Honeſt*, quod primum *anno 1706.* deinde *1714.* et *1723.* tum auctius nouo hoc titulo *a. 1725.* atque *a. 1732. Londini in 8. mai.* euulgauit: *the Fable of the Bees, or private vices, publik benefits*, caet. Huius vltimae editionis Tomus II. primum anno 1729. acceſſit. In Gallicam liber conuerſus linguam *ibidem*, ſed verius in quadam Belgii officina, *a. 1740. in 8.* Tomis IV. editus eſt, hac quidem inſcriptione: *La Fable des Abeilles, ou les Fripons devenus honnetes gens, avec le Commentaire, ou l'on prouve, que les vices des particuliers tendent à l'avantage du Public.* Proponit Auctor apum ſocietatem, eamque ſceleratiſſimam, diuitem tamen, potentem atque felicem, quae mox in ſummam tenuitatem viriumque imbecillitatem inciderit, quam primum coeperit ſapere, ac virtutem amplecti. Quod eo certe fecit Mandevillius conſilio, vt perſuaderet lectoribus ſuis, in Republica neceſſaria penitus vitia eſſe, ſi quis eam florere velit: virtutem e contrario immedicabile vulnus infligere ipſi, extremumque malum contrahere. Perſpicitur inde impietas ſcriptoris, naturalem etiam honeſtatem, quam ne gentiles quidem labefactare conati ſunt, pudore omni poſito, explodentis. Merito igitur ab aliis caſtigata tanta audacia, v. g. ab HERM. SAM. REIMARO V. C. in Progr. *Wismariae a. 1726. in 4.* excuſo, iamque rariore, *quo Fabula de apibus Mandevillii examinatur.* Caeteros, qui

qui egerunt idem, nominauit TRINIVS *l. c. p. 346. ſq.* a quo et paullo ante producitur alius Mandevillii liber, continuationis loco Tomo II. Fabulae de apibus ſubiunctus, Gallicaeque interpretationi inſertus. Prodierat ſeparatim *Londini anno 1732. in 8.* inſignitus hoc titulo: *An Enquiry into the Origin of Honour and the Vſefulneſs of Chriſtianity in War.* In eo ſimiliter virtutem et Chriſtianam religionem paſſim eludi, a Theologis eſt obſeruatum. Cf. LILIENTHALII *theolog. Biblioth. Vol. I. p. 331.* Eodem in Volumine *p. 348. ſq.* ſermo Auctori eſt de JAQUES MASSÉ (ſub quo ficto nomine latere SIMON. TYSSOT DE PATOT, Mathematicum Dauentrienſem, plerique arbitrantur,) *Voyages et Avantures, à Bourdeaux*, vel potius *à la Haye anno 1710.* atque iterum *Rothomagi a. 1734. in 8.* Similis *ibidem p. 468. ſq.* occurrit de apibus Fabula, quae cum toto libro eo tendit, vt ſacra Chriſtianorum peſſimo auſu impugnentur. Vid. hac de re plura in BAVMGARTENII *Nachr. von einer Hälliſchen Biblioth. Vol. III. p. 124. ſq.* Cf. FREYTAGII *Analecta litter. de libr. rariorib. p. 575.* ac TRINIVS *l. c. p. 501.* Nuper bibliopola neſcio quis, ob turpe lucri ſtudium, nouam libri damnandi editionem curauit duobus mediocribus Voluminibus, adiectoque *Vtopiae* loco, vti indicatur in *den Gött. gel. Anzeig. a. 1760. P. CXXII. p. 1056.* Progrediamur ad ANTON. COLLINVM, Anglum, quem patrem vulgo deiſtarum vocant. Ingenii malitiam prodidit libro *de libertate cogitandi*, *Londini a. 1713. in 8.* emiſſo lingua Anglica, ſed ἀνωνύμως. Inſcriptio eſt: *A Diſcourſe of Free-Thinking, occaſioned by the riſe and Growth of a Sect, call'd Free-thinkers.* Eo ipſo adhuc anno additamentis et emendationibus locupletior recuſus fuit *Hagae Com. in 12. ibidemque anno 1714. in 8.* (Londinum mentitur titulus) verſio Gallica ſequuta eſt, dicta *Diſcours ſur la li-*

 berté

berté de penſer, écrit à l'occaſion d'une nouvelle Secte d'Eſprits forts, ou de Gens, qui penſent librement. Traduit de l'Anglois, et augmenté d'une Lettre d'un Medecin Arabe. Non inſcio Coſſino haec fuit parata verſio, imo eundem forte auctorem habet: admodum autem ab authentico eſt diuerſa. Typis repetitam noui *anno 1717. in 8.* demta Medici Arabici, ſiue ipſius Collini, epiſtola, tituloque ſic mutato: *Discours ſur la liberté de penſer, et de raiſonner ſur les matiéres les plus importantes*, caet. Prior editio Gallica diligenter recenſetur in BAVMGARTENII *Nachrichten, Vol. II. p. 133. ſq.* quae ibi dicta ſi recte perpenderis, adparebit, Auctorem ſub ſpecioſo libertatis titulo religionem omnem peſſumdare, et Chriſtianae cumprimis mucronem admouere, inque locum eius impietatem Libertinorum ſubſtituere, vti REIMMANNVS ſcribit in *Hiſtor. Atheiſmi, p. 460.* Plura de libro damnando reperiri in VRBANI GOTTLIEB THORSCHMIDII *critiſchen Lebensgeſchichte Ant. Collins, des erſten Freydenckers in Engelland, Dresdae et Lipſ. a. 1755. in 8. p. 113. ſq.* fide commemoro TRINII *l. c. p. 149.* Idem reliqua Collini ſcripta recenſet, v. g. *A Diſcourſe of the Grounds and Reaſons of the Chriſtian Religion, Londini 1724. in 8.* Partibus II. pariterque *The Scheme of literal Prophecy*, caet. *ibid. 1726. ead. forma*, totidemque Voluminibus, quibus in libris petulanter auctoritatem Codicis diuini violat, ac praecipue in Opere poſteriori duo capita priora Euangelii Matthaei ſpuria eſſe ac ſuppoſita contendit, hiſtoriamque de Magorum aduentu, de ſtella, ipſis praelucente, nec non de infanticidio Bethlehemitico, inter τὰ ἄπιστα refert. Permulta etiam V. T. oracula ſuo more examinat, et in omnia alia detorquet; quumque Danielis de Meſſia vaticinia clara ſint nimis, Auctor nihilominus maiori audacia, quam ingenio, lectoribus perſuadere ſtudet,

det, librum Danielis a Daniele non eſſe confectum, nec tempore captiuitatis Babylonicae a Propheta, ſed diu poſt a quodam falſario, qui Danielis mentitus nomen fuerit, conſcriptum, adeoque auctoritatem nullam habere. Vid. *Supplementa Actor. Erud. Lat. Tomi IX. Sect. II. p. 447. ſq.* quo hic me vſum loco eſſe fateor.

Naturaliſtarum agmini nomen manifeſto dedit Baro DE LA HONTAN, Gallus, qui ſolum vertere coactus in Angliam ſeceſſit, ibidemque compoſuit libellum plagularum duodecim, *Amſtael. a. 1704. in 12. mai.* cum figuris aeneis hoc editum titulo: *Suite du Voyage de l'Amerique, ou Dialogues de Mr. le Baron* DE LA HONTAN, *et d'un Sauvage dans l'Amerique.* Exſtant etiam exemplaria, quae *Londini* ſignata ſunt loco, vnde oritur ſuſpicio, Amſtaelodamenſem editionem forte alteram eſſe, ſtatim paratam, vel bibliopolam certas ob cauſſas hanc mutationem feciſſe. Continuatio praeſens eſt Opuſculum Itinerarii, quod *Hagae Com. a. 1703. ead. forma* prodierat, ita inſcriptum: *Nouveaux Voyages de Mr. le Baron* DE LA HONTAN *dans l'Amerique Septentrionale.* Partes ſunt III, a quodam VISCHERO inculta dictione etiam Germanice redditae, *Hamburgi*que et *Lipſ. a.* 1711. *in* 12. euulgatae. De ipſo libro breuiter agit REIMMANN. in *Catal. Bibl. Tomo I. p.* 1119. Recuſam huius itineris deſcriptionem Gallicam cum dicta continuatione *Amſtael. a.* 1728. *in* 12. Tomis III. fuiſſe, FREYTAGIVS docet *Analector. de libris rarior. p. 466.* De Dialogis, paullo ante memoratis, iuuabit audire BRVCKERVM in *Hiſtor. crit. Philoſoph. Tomi IV. Parte 2. p. 920. Subtiliter ſatis*, ait, *Adario quidam cum Hontano de praecipuis capitibus doctrinae Chriſtianae, deque legibus, moribus et inſtitutis Chriſtianorum ſuaeque gentis diſſeruiſſe dicitur,*

 eius-

eiusque obiectiones tales adferuntur, vt maiores et ſubtiliores fuiſſe reſponſionibus Hontani non immerito videantur. Permouit id viros doctos paſſim, vt coniicerent, totum iſtum dialogum ab auctore eum in finem confictum eſſe, vt Chriſtianam religionem telis Americanis confoderet. Semper enim ſuccumbit Hontanus, triumphat Adario. Magnam idconflauit inuidiam La Hontano, tum in aula Hanouerana viuenti; Atheismi enim et contemtae ac neglectae proditaeque Chriſtianae religionis paſſim accuſatus eſt, inque ſuſpicionem adductus, fabulam eum totam excogitauiſſe, vt Bodini colloquium heptaplomeres imitaturus, gloriam ex oppugnata Chriſtiana religione caperet: numquam enim hominem huiusmodi barbarum eius generis colloquia inſtituiſſe. Imo eo nonnulli deſcenderunt, vt non Adarionem modo, ſed La Hontanum quoque, fictum nomen eſſe coniicerent. (Inter hos recentiſſimi ſunt FREYTAGIVS *l. c.* ac TRINIVS *im Freydencker-Lexico p. 295.* vtroque verum auctorem credente Gueudevillium quendam, Monachum e Galliis profugum.) *Aſt alia nos docet illuſtris Leibnitius, qui eum familiarius nouerat.* Adfert tum Bruckerus ipſum Leibnitii locum ex *Epiſtol. ad diuerſos Vol. IV. p. 22.* vbi Bierlingio anno 1710. reſpondet, Baronem La Hontanum veriſſimum eſſe hominem, et iter quoque illius verum. Aliquamdiu enim in Americae ſeptentrionalis parte Gallicana eundem egiſſe, et quum Marchioni Pontis Cartrini, rerum maritimarum apud Gallos adminiſtro, propter ius quoddam ſuum acrius defenſum, diſplicuiſſet, America primum, deinde et Gallia exceſſiſſe. Interiectis nonnullis ſic pergit Leibnitius: *Dn. La Hontanus nunc eſt in comitatu Sereniſſimi Electoris, ad Goerdam profecti, locum*

locum Cellenſis ditionis, venatui aptum. Dabit adhuc plura typis, ſi per valetudinem licebit, qua non optima vtitur. Ego noui virum familiarius, et, vt par eſt, aeſtimo; ſed et aulae noſtrae, aliisque aulis, ingenium eius placet. Vellem tamen alicubi Adario ſuo, (homini etiam vero ex Huronum gente, et qui in Galliam ante aliquot annos venit, ſed ſua prae noſtris inſtituta probauit,) circa religionis capita melius ſatisfeciſſet. Ex Bruckeri tamen ſententia haec non impediunt, quo minus iuſta ſit ſuſpicio, Hontanum, quem ſatis libere de ſacris dogmatibus iudicaſſe conſtat, multa Huroni huic adfinxiſſe. Quae ſi in contumeliam ſacrae ciuitatis Chriſtianae non excogitata fuere, adlata certe eo conſilio, vt peregrina patriis praeferret Auctor, ſeque per tot annos non fruſtra barbaram apud gentem commoratum eſſe oſtenderet. Nihil autem magis prodit malam Hontani cauſſam, quam infirmae reſponſiones, quas obiectionibus Adarionis ſui oppoſuit, admodum ſubtilibus. Cf. REIMMANNVS in *Catal. Bibl. Tom. I. p. 1046.* vbi Hontanum alterum Lucianum vocat, ſermone profanum, moribus diſſolutum, religionis ſuae et Chriſtianae totius inimicum, quem hunc ad finem conſcripſiſſe arbitratur hos Dialogos, vt religionem conuelleret Chriſtianam, inque locum eius Naturalismum ſubſtitueret.

Longe adhuc maior petulantia et proteruitas animum occuparat THOMAE MORGANI, primum diuinorum oraculorum inter Presbyterianos interpretis, poſt Medici Angli, qui ineunte anno 1743. ex hac vita deceſſit. Infenſiſſimum eum hominem ſacrorum Chriſtianorum turbatorem fuiſſe, magnosque ſtrepitus in Britannia et cis mare virulentis ſcriptis excitaſſe, nemo facile ignorabit, qui rei litterariae paullo eſt ſtudioſior. Turpiſſimus

omnium, qui vnquam excuſi ſunt, liber eius eſt, cui nomen impoſuit: *the moral Philoſopher.* Vol. I, in quo Philalethes, deiſta, et Theophanes, Chriſtianae ſapientiae doctor, colloquuntur, *anno 1737.* Vol. II, in quo potiſſimum IOH. LELANDI et IOH. CHAPMANNI, doctiſſimorum Theologorum, obiectionibus occurrere voluit, *anno 1739.* ac Vol. III, laudato quoque LELANDO MOSIQUE LOWMANNO refutando deſtinatum, *Londini a. 1740. in 8. mai.* prodiit. Syſtema eius, omnis ordinis expers, peſſimeque cohaerens, his nititur ſententiis damnandis: non datur religio, praeter naturalem, nec vnquam alia exſtitit: Iudaica ergo fraudum eſt congeries, a ciuilium artium ſtudioſis et ſacerdotibus excogitata: plurima obſeruantur in Iudaeorum praeceptis, quae naturae legi ſobriaeque morum doctrinae aduerſantur, ex quo conſequitur, a Deo iſta proficiſci non potuiſſe: multi, quorum pietas in ſacris Iudaeorum et Chriſtianorum tabulis celebratur, peſſima et iniuſtiſſima facinora commiſere, quae aeternae naturae legi repugnant: vaticinia et miracula, quae Iudaei iactant Chriſtianique, partim ad fraudes redeunt, partim diuinam eorundem doctrinae originem nequaquam adſerunt: mors Chriſti nullam prorſus vim habet ad homines aeternum beandos: Paulus, apoſtolus, Patriarcha fuit Libertinorum, et ſummus Deiſmi praeco, caet. Nouum edidit nequitiae ſuae ſpecimen *anno 1741*, quo ipſo lucem adſpexit *Londini in 8.* eiusdem *Phyſico-Theology, or a philoſophico-moral diſquiſition concerning human nature, free agency, moral gouvernment and divine providence.* Non quidem directe hoc libro irruit in Chriſtianorum coetum, ſed varia e phyſica et morali diſciplina more ſuo, i. e. ſine ordine, ſine ſoliditate proponit: oblata tamen quauis occaſione familiarem ſibi repetit cantilenam,

nam, hierarchiam eccleſiaſticam petulantibus iurgiis illudit, neceſſitatem diuinae patefactionis credendorum et agendorum pertinaciſſime negat, atque ſacra Volumina, quae Chriſtiani diuino adflatu ſcripta putant, ſacerdotum deberi fraudibus contendit. Illud in hoc libro eſt ſingulare, quod, quum antea ſannionem egerit, iam enthuſiaſtae induiſſe videatur perſonam, crederesque forſitan Iac. Boehmium, Robertum Flud de Fluctibus, aut alium eiusdem farinae hominem audire, ſi vnum tibi alterumue huius phyſico-Theologiae penſum praelegeretur. Taceo plura nefarii hominis ſcripta, in quibus crambem toties recoctam adponit, conuicia in Abrahamum, Moſen, diuinumque Seruatorem, et ipſius nuntios, ad nauſeam vsque repetit, omne virus in ſacrorum antiſtites euomit, conceptionem Mariae virginis plane naturalem vocat, reſurrectionem Chriſti dubiam reddere ſtudet, caet. Quaedam horum ſcriptorum poſt Morgani obitum ſunt euulgata, eique non ſine ſumma veri ſimilitudine tribuuntur. Vid. TRINIVS *l. c. p. 369. ſq.* quo ſimul loco ingens eorum numerus recenſetur, qui diuinae veritatis contra calumniatorem hunc ſceleſtiſſimum adſertores fuere. Doctiſſima autem eſt, ex qua multum omnino profeci, CHRIST. GOTTLIEB IOECHERI Commentatio, *hiſtoriae controuerſiarum, a Thoma Morgano excitatarum, primas lineas ducens.* Lucem adſpexit *Lipſ. a.* 1745. *in 4.* plagulis duabus. Sub finem *p.* 15. vir meis quondam Muſis amiciſſimus Morganum dicit empaectem poſt homines natos turpiſſimum, qui haud audito inter Chriſtianos exemplo ſanctiſſimam horum religionem non per cuniculos, ſed aperto Marte adgreſſus, et foedo tramite, quo olim Heroſtratus, ad nominis famam et immortalitatem graſſatus ſit.

Mor-

Morgano ſuccedat ALBERTVS RADICATI, Comes, PASSERANVS, Italus, qui poſt varia fata aduerſa Amſtaelodami a. 1737. diem ſupremum obiit. Singula, quae litteris conſignauit, improbitatis perſpicuae teſtimonium perhibent. Agit de iis TRINIVS *l. c. p. 401. ſq.* Ego potiora tantum hic memorabo. Primum oculis obſeruatur

A philoſophical Diſſertation upon Death, Londini a. 1732. in 8. Lingua Italica conſcriptus fuerat ab Auctore liber, eundemque Thom. Morganus Anglice reddidit: Negat in eo animam poſt mortem ſuperſtitem, autochiriam probat ac defendit, naturam Deum eſſe adſerit, diſcrimen inter bonum atque malum non niſi ſomnium, vel praeconceptam eſſe opinionem credit, item conſcientiam errorem dicit, quo adſuefactus fuerit animus humanus, peccatum vero ex neceſſitate naturali eruit excuſatque. Caetera ipſius libri lectio facile ſuppeditabit. Auctor eius, nec non interpres ac typographus propterea coniecti in cuſtodiam, praeſtita demum cautione exinde emiſſi. Vid. *Supplem. ad Noua Acta Erud. Tomo IV. p. 472. ſq.* vbi generatim hic libellus vocatur horribilis, qui ſententiarum monſtra contineat; itemque *die Leipz. gel. Zeit. a. 1733. p. 651.*

Prodiit deinde *Roterod. a.* 1736. *in* 8. *mai.*

Recueil de Pieces curieuſes ſur les matières les plus intereſſantes, atque hic faſciculus libellos quinque complectitur. Praemiſſa ſcilicet expoſitione de cauſſis huius inſtituti, primum occurrunt *Diſcours moraux, hiſtoriques et politiques,* qui ſermones antea *Londini a.* 1734. *ead. forma* Anglice hoc titulo: *Diſcourſes concerning religion and gouvernment*; item iam *anno* 1730. *Chriſtianity in a true light in XII. Diſcourſes* caet.

in-

inſcripti lucem viderant. Ibi adſerit inter alia, exſiſtere gentes, quae vulgo exiſtimentur ferae, et ſuauiſſimas tamen naturae leges ſequantur, ſintque genuini Adami innocentis nepotes, atque ideo Seruatorem totius generis humani veniſſe in terrarum orbem, vt malos tantum auaritiaque et ſuperbia corruptos ad ſaniorem vitam perduceret; omnes rei Chriſtianae prauitates calamitatesque a ſacerdotibus et hominibus eccleſiaſticis eſſe deriuandas; commercium Moſis cum Deo, in monte Sinai celebratum, haud obſcure cum Viſtnouii, Indorum legislatoris, itinere ſolitario in montem facto, comparat; Machiauelli Politicam probat ac defendit, caet. Sequitur *Hiſtoire abregée de la Profeſſion ſacerdotale ancienne et moderne.* Acerbiſſime hic inuehitur in Sacerdotum ordinem, eique inſtitutionem diuinam plane abiudicat. Id agit vero praecipue, vt omnibus perſuadeat, quaelibet mala a formis religionum eſſe exorta. Nihil tamen in tota hacce Commentatione aliud dicit, quod non diu ante ab HERBERTO DE CHERBVRY in *Cap. XIV. de religione Gentilium* dictum fuerit, quodque Collinus non iam obiecerit ſacerdotibus, prout obſeruatur in BAVMGARTENII *Nachr. von einer Hälliſch. Bibl. Vol. II. p. 536.* Tertium occupat locum *Nazarenus et Lycurgos mis en parallele par* LVCIVS SEMPRONIVS NEOPHYTE: *Epitre à l'Empereur Traian.* Callide fingit in Praefatione, authenticum huius Epiſtolae, Latine ſcriptum, ſupereſſe in Bibliotheca Vaticana. Prior eiusdem pars impiis Auctoris ſomniis eſt repleta. Contendit enim, Ieſum et Iohannem apud Aegyptios magiam, philoſophiam, et reliquas huius gentis artes didiciſſe, atque

atque tum egiſſe ex compoſito, vt Iudaeorum a ceruicibus ſacerdotum iugum depelleretur. In parte altera dictae Epiſtolae Lycurgi vitam delineat, eamque cum vita Chriſti confert, quod et cum vtriusque legibus facit. Quarti Opuſculi inſcriptio eſt: *Recit fidel et comique de la religion des Cannibales modernes.* Pleraque hic ſunt ſatyrica, vocibus Turcicis expreſſa. Eccleſiam cum primis Pontificiam ita depingit, vt facile cognoſcatur, quod Auctoris fuerit conſilium. Tandem ſubiunctum eſt: *Projet facile, equitable et modeſte pour rendre utile à notre nation un très grand nombre de pauvres enfans, qui lui ſont maintenant fort à charge. Traduit de l' Anglois.* Res maxime ad regnum Hiberniae ſpectat. In eo quippe centum circiter ac viginti millia infantum naſci quotannis ait, qui paupertate ſumma laborent, ideoque oneri ſint ciuibus vniuerſis. Cuius euitandi mali cauſſa ſuadet, vt eiusmodi homines pingues reddantur, mactentur, atque tum bene cocti cum aliis exquiſitiſſimis cibis in diuitum menſa reponantur. In hocce quidem libello nihil crediderim latere impietatis. Videtur enim Auctor vel eos, qui ſemper nouas res excogitant, atque introducere ſtudent in Rem publicam: (vulgo dicuntur apud nos *Proiectmacher*) vel inhumanitatem opibus adfluentium erga eos perſtringere, quos egeſtas extrema oppreſſit. Copioſiſſime de hac Sylloge, eiusque praeſertim Partibus prioribus, diſſeritur in *den deutſchen Actis Erudit. Vol. XVIII. P.* 210. *p.* 431. Add. *Acta Erud. Lat. a.* 1738. *p.* 361. BAVMGARTENII *Nachrichten l. c. p.* 528. *ſeq.* et WALCHIVS in *Bibl. theol. Tomo I. p.* 766.

Acceſ-

Acceſſit paullo ante obitum ipſius

La Religion Muhammedane, comparée à la paienne de l'Indoſtan caet. *Londini* vt fingitur, *a.* 1737. *in 8.* Perquam nefarie peruerſeque proponuntur variae ſacri Codicis hiſtoriae, v. g. de exitu Iſraelitarum ex Aegypto, de miraculis Moſis, de interitu Pharaonis, et eiusdem exercitus, ne de pluribus dicam. Vtitur Auctor nominibus fictis, Deumque *Kiotna*, Moſem *Viſtnu*, Biblia diuina *Vedam*, adpellat. Nefandum certe dictu horrendumque, adſeri hic, Deum eiusmodi in rebus iniuſtum atque crudelem, Moſemque impoſtorem maximum fuiſſe, Codicem vero ſacrum plenum eſſe fabularum. Cf. LILIENTHALII *theol. Bibl. Vol. I. p.* 356. *ſq.* Adiungi huic libello plerumque ſolet eiusdem *Sermon preché dans la grande Aſſemblée des Quaeckers de Londres, par le fameux Frere* E. ELLWALL, *dit l'Inſpiré. Traduit de l'Anglois, ibid. eod. in* 8. Schedae ſunt trium plagularum, in quibus profiteri Auctor non erubeſcit, Chriſtianam religionem eſſe antiquam illam veramque rationis et naturae, nec recedere Chriſti leges a naturalibus praeceptis. Qua ſimul occaſione pernicioſo modo digreditur a propoſito, deque Dei clementia et ſapientia, quod ad lapſum Adami attinet, item de Chriſti in genus humanum promeritis abiecte atque impudenter loquitur. Vtriusque ſcripti copioſa eſt recenſio in *den deutſch. Actis Erud. Vol. XIX. Parte* 222. *p.* 447. *ſq.*

Tandem homine hoc iam aliquot ante annos mortuo, *Londini a.* 1742. *in* 12. lucem adſpexit

The ſupernatural incarnation of Ieſus Chriſt, proved to be falſe, by E. ELLWALL. Summa libelli eſt, natiuitatem Chriſti, naturae ordinem ſuperantem,

editio, quam auctor Gallus in Belgio typis exſcribendam curauit. Charta enim, litterarum character, et omnia alia, Belgium produnt. Memorat deinde, eundem in Germania mox eſſe recuſum, etiamſi titulus *Amſtaelodami* prae ſe locum ferat. Atque haec editio perquam fuſe recenſetur in *den deutſchen Actis Eruditor. Vol. XVII. P. 200. p. 581. ſq.* docetur que, in eo conſiſtere argumentum, vt religio quaecunque tollatur. Cf. IOH. LAVR. MOSHEMII Progr. *Helmſt. a. 1736. in 4.* emiſſum *de Gallo, gloriae Chriſti, Spiritusque S. obtrectatore, publicae contemtioni expoſito*, quod poſtea Tomo II. *Diſſertationum ad Hiſtor. eccleſ. ſpectant.* inſertum, et hac quidem inſcriptione: *Nouus religionis Chriſtianae hoſtis, ex Gallis patefactus et fugatus.* Varia exinde decerpſit LILIENTHALIVS *Vol. I. der theolog. Biblioth. p. 352. ſq.* inter quae ſunt haec praecipue notanda: *Summa fabulae, parum facetae, haec eſt: Princeps quidam ex Indis vir, magni gentis vniuerſae Imperatoris nepos, tametſi numeroſo, et formis pulcherrimis pleno, in Gynaceo viuat, vxorique praeterea iunctus ſit legitimae, quam impenſe amat; nouos tamen amores meditatur. Adſunt duae virgines, Reginae cuiusdam Malabaricae filiae, quae matrimonium hominis appetunt. Vtraque diues eſt, formoſa, potens, lepida: vtraque nihil relinquit intentatum, quo voluntatem ſibi eius et amicitiam conciliet: vtraque magnis vtitur et facundiſſimis patronis. Ipſe vero incertus prorſus haeret, quid faciendum ſit, ſollicitusque cum animo ſuo deliberat, vtra ſit alteri praeferenda. Ad extremum vera eius coniux, tamquam Deus ex machina, prodit, neutramque ducendam eſſe ſciſcit. Paret homo vxoris conſilio, caelebsque manet. Indica haec fabula, mutatis nominibus, de Religionibus, de Seruatore noſtro, de re tota diuina narratur. Nec*

id obſcurum eſſe voluit inuentor. Nomina enim leuiter tantum deflexa ſunt, vt, litterarum ordine paululum mutato, nuda res appareat: praetereaque, ne moleſtiae aliquid Lectori crearetur, Clauis aenigmatis *Opuſculo in calce ſubiecta eſt, - - -* Vberius his expoſitis, ſic pergit Moshemius: *Fabula tota, vt ſemota figura loquamur, hiſtoriam Religionum variarum, et in his naturalis, Iudaicae et Chriſtianae facta exhibet. In quibus fatis explicandis ita verſatur, vt omnes Religiones derideat, nullamque viro bono et ſapienti adoptantam eſſe decernat. Hic ille eſt caelibatus, haec iſta continentia philoſophica, quam praedicat,* caet. Idem vir, poſteritatis memoria longe digniſſimus, loca multa protulit, quae optimum quemque horrore perfundent, e. g. contra Moſen, eius hiſtoriam et miracula; contra Chriſtum ipſum; contra Spiritum ſanctum; contra animae immortalitatem vitamque aeternam. Caeterum vero in toto libello Moshemius orationis aſperitatem reprehendit, narrationis ſiccitatem, ſcurrilem Scriptoris dicacitatem, rerum imperitiam, membrorumque in corpore foedo disiunctionem.

Celeberrimum his noſtris temporibus nomen ſuum reddidit FRANC. ARROVET DE VOLTAIRE, in aula quondam Berolinenſi liberaliter habitus. At laudes eiusdem admodum imminuunt impiae de rebus diuinis opiniones. Luculenter hae ipſae conſpiciuntur in ſcriptis variis, quorum ſequentia ad meum praecipue ſpectant inſtitutum. Edidit nimirum:

1.) *Epître à Vranie, Anno 1733. in 8.* Sub Vrania intelligit Marchioniſſam de Chatelet. Breue poëma eſt, in quo deridet omnem religionem Chriſtianam, eiusque fundamentum fictam eſſe doctri-

doctrinam contendit. Lapſum Adami, et, quae exinde orta ſunt generis humani mala haud obſcure Deo tribuit. De morte Seruatoris noſtri profane loquitur, et non niſi religionem naturalem probat. Plura nequitiae ſpecimina congeſſit LILIENTHALIVS *Vol. I. der theolog. Biblioth. p. 359. ſq.* Recuſa deinde iſthaec Epiſtola in Auctoris *Recueil de Pieces fugitives en proſe et en vers, Pariſ. 1740. in 8.* et in *Lettre philoſophique par Mr. de V. ibid. 1747. ead. forma.*

2.) *La Religion naturelle, Poeme en quatre Parties, au Roi de Pruſſe, à Geneve* 1756. *in* 8. Quantum hic animum deiſtae et naturaliſtae induerit Voltairius, docetur vberius in KRAFTII *theolog. Biblioth. Vol. XII. P. 112. p.* 119. *ſq.*

3.) *La Pucelle d'Orleans, Poeme diviſe en quinze livres, à Paris* 1756. *in* 12. Adeat, qui plura noſſe de hoc Poemate voluerit, BAVMGARTENII *Nachr. von merckwürd. Büch. Vol. VIII. p. 544. ſq.* vbi indicatur, totum ſcriptum plenum eſſe hoſtilium verborum et petulantiſſimorum in Theologiam patefactam, itemque Iuris naturalis ac Philoſophiae moralis principia, ſimulque multa obſcena interſeri. Quauis etiam occaſione irrideri addictum eſt, quaecunque nos de vita aeterna, poenis impiorum, gratia diuina et reuelatione credere ſolemus, meliora edocti.

Nec abeſſe penitus ſententias profanas in Poemate ipſius, *La Henriade* inſcripto, ac ſaepius cum ſeparatim, tum cum Auctoris Operibus Gallicis edito, adſerunt acutiores. Cf. RATHLEFII *Vita Voltairii* in *der Geſchichte ietztlebender Gelehrten, Parte VII. p. 46.* quo loco haec leguntur: *Man hält ihn für einen Mann, der gar keine geoffenbarte Religion annehme. Mit wenigen, man hält ihn für einen Deiſten. Wir*

können nicht in das Hertz des Herrn von Voltaire ſehen, vnd wiſſen daher nicht zu ſagen, was er vor Gott wahrhaftig ſey. Aber das iſt gewiß, daß man in ſeinen Schriften einige Stellen will bemerckt haben, die bey einer reinen Gottesgelahrtheit nicht beſtehen können --- Andere finden in ſeiner Henriade ſolche Worte, in welchen er die Thür des Himmels ſehr weit machet, vnd in dieſelbe gar viele Leute von vnterſchiedenen Gattungen hinein gehen läſſet. Addatur TRINII *Freydencker-Lexicon p. 506. ſq.* De ſcripto acerbo, quod plagula vna dimidiaque *in 8. Amſtel. a.* 1760. hoc prodiit titulo: *Epitre du Diable à Mr. de Voltaire*, vid. omnino *die Hamb. Anzeig. vnd Vrtheile von gel. Sach. anno* 1760. *Parte XCIV. p.* 763. Nouiſſime acceſſit: *Relation de la maladie, de la Confeſſion, et de la fin de Mr. de Voltaire, à Geneve* 1761. *in* 8. Recenſio libelli huius ſatyrici, qui prioris eſt veluti continuatio, exſtat in *dem Neueſten aus der anmuthig. Gelehrſamkeit anni* 1761. *Num. IV. V. et VI.* A Trinio in hanc etiam claſſem refertur IOH. BAPTISTA BOYER, Marchio D'ARGENS, qui ſimili, qua Voltairius, ratione in aulam Berolinenſem, Regisque fidem, receptus fuit. Vitam ipſius nonnihil delineauit FERD. STOSCHIVS in *dem Neuen Gelehrt. Europa, Parte XII. p.* 785. *ſq.* Inter complura ingenii monumenta, quibus ſe facere inſignem ſtuduit, dolendum omnino, eſſe quaedam ſanae doctrinae admodum contraria. Comprobant hoc

1.) *Lettres Juives, ou Correſpondence philoſophique, hiſtorique et critique entre un Juif, voyageur à Paris et ſes Correſpondens*, caet. *Hagae Comit. a.* 1736. et auctius *ibid.* 1738. *in* 8. Volum. VI. Accedunt variae figurae aeneae. Anglice prodiit idem Opus *Londini a.* 1739. *in* 12. et nunc coepta etiam interpretatio Germanica, cuius Pars I. *Berol. a.* 1763. *in* 8. prelo exiit. Multa bonae

bonae frugis cum infelici permiſta lolio eſſe, ipſi Angli non diffitentur, Vid. quae ex *Hiſtory of the Works of the Learned anni 1739. m. Oct. art. 5.* memorantur in *den Leipz. Beytr. zu den neuen Zeitung. von gel. Sach. Vol. VI. p. 543.* Praecipue de rebus diuinis contumelioſe diſſerit, Iudaeosque, Turcas, Chinenſes et Chriſtianos veram habere religionem exiſtimat. Aperit itaque cum populari ſuo, Voltairio, coeli portam omnibus, cuicunque ſint religioni addicti, quod impium dogma breuiter, at ſolide, refutauit Venerabilis Saxoniae Theologus, IOH. IOACH. GOTTLOB AM-ENDE, in *Epiſtola aditiali ad Paſtores et Diaconos Inſpectionis Portenſis, vbi ſimul de quibusdam N. T. locis, quae de apertione portae mentionem faciunt, nonnihil praefatus eſt, Vitemb. a. 1744. in 4.*

2.) *La Philoſophie du bon ſens, ou reflexions philoſophiques ſur l'incertitude des connoiſſances humaines, Londini,* (ſeu verius in Belgio,) *anno* 1736. *in 12. mai.* itemque auctius et emendatius *Hagae Com.* 1740. Vol. II et poſtremo *Dresdae* 1754. *in 8.* quae editio eſt octaua, denuo inſigniter locupletata. Germanicam quoque interpretationem *Vratislauiae anno* 1756. *in 8. mai.* hoc accepimus titulo: *Philoſophie der geſunden Vernunft, oder philoſophiſche Betrachtungen über die Vngewißheit der menſchlichen Erkenntnis.* Nihil fere in hoc libro aliud agi, quam vt omnis veritas ac religio cuniculis ſubruatur, atque Scepticiſmo aperiantur fores, iudicant Auctores Belgae *der Republyk der Geleerden, anno* 1737. *m. Sept. et Oct. art.* 4. Vid. *die Leipz. Beyträge zu den gel. Zeit. Vol. VII. p. 80.*

3.) *Lettres Chinoiſes Hagae Com.* 1739. *ſq. in* 8. Vol. V. Sunt et hic bona mixta malis. Saepe

perſtringitur religio a Deo patefacta, ſolaque naturalis praedicatur. Euolui de his queunt Epiſtolis *die früh aufgeleſenen Früchte der Sammlung von Alten vnd Neuen a.* 1740. *p.* 13. Nec dubito eiusdem eſſe farinae *Lettres Cabbaliſtiques*, quod Opus, *ibid. anno* 1741. *in* 8. Vol. VI. abſolutum, ipſi adſcribit, cum aliis, TRINIVS, qui plura de Auctore diſſerit *l. c. p.* 53. *ſq.*

Suum porro inter eiusmodi homines locum tribuo ſubcenturioni cuidam Gallico, DE LA SERRE dicto, qui poſtquam infelici ſucceſſu exploratorem egerat, anno 1748. Traiecti ad Moſam laqueo vitam finiuit. Diuulgauerat is *anno* 1745. *in* 12. *La vraie religion demontrée par l'Ecriture ſainte, traduite de l'Anglois de Gilbert Burnet; à Londres.* Exſtant etiam exemplaria, titulo ſic immutato: *Examen de la religion, dont on cherche l'eclairciſſement de bonne foi, attribué à Mr. de St. Evremont; à Trevoux, aux depens des Peres de la Societé de Ieſus.* Et auctores memorati, et locus editionis, ficti ſunt. Eo ipſo adhuc anno in Gallia carnificis mani combuſtus eſt libellus, qui effrenatius religionem Chriſtianam adgreditur. Architectus monſtri huius reiicit myſteria quaecunque, Codicis diuini auctoritatem impugnat, peccatum, vt vocamus, originale, et S. Trinitatis cognitionem nullam eſſe, nec religionem Chriſtianam ſocietati humanae neceſſariam, imo potius hanc funditus ab illa euerti Deumque optimum, maximum ſub imagine Sophiſtae et crudelis tyranni proponi, adſerit. In Germanicam translatum linguam, vna cum refutatione dogmatum impiorum, ſcriptum hoc *Frf. et Lipſiae a.* 1747. *in* 8. prodiit. En! ipſius titulum: *die wahre Religion, oder Religionsprüfung, aus dem Frantzöſiſchen überſetzt, vnd mit einer Widerlegung herausgegeben.* Paullo ante mortem agnouit Serrius animi ſui peruerſitatem, ſerio-

ſerioque eandem deteſtatus eſt, ſimul autem, vt Commentatio illius, adhuc manu exarata, *de la nature de l'ame* in ignem coniiceretur, multis precibus obſecrauit. Cf. A. G. MASCHII *Betrachtung über die Bekehrung des Herrn de la Serre*, *Halae M. a. 1749. in 8.* itemque TRINIVS *l. c. p. 406. ſq.*

Tandem ſuccedat DIDEROTIVS, Gallus eximii ingenii, ſed quo bono turpiter eſt abuſus. Luculenter id perſpicitur ex ipſius *Penſees philoſophiques, Hagae Comitum*, ſeu verius *Pariſiis, anno 1746. in 12.* Venerabilis Ienenſium Theologus IOH. GE. WALCHIVS in *Biblioth. theolog. ſelecta, Tomo I. p. 778.* ſic de libro iſto: *Deteſtabilia*, inquit, *proponuntur, ingratiam naturaliſtarum hoſtiumque ſcripturae ſacrae, ac religionis Chriſtianae: imo ipſorum atheorum. Germanice Cogitationes hae vna cum refutatione, Halae 1748. in 8. lucem adſpexerunt. - - - Eidem adſcribitur* Lettre ſur les aveugles, à l'uſage de ceux, qui voyent, Londini (*Pariſiis*) 1749. in 8. *Quae epiſtola itidem ad id ſpectat, vt religio in contemtionem veniat, ac principia, quibus iſta nititur, dubia atque infirma reddantur.* Cf. TRINIVS *p. 177. ſq.* Idem *p. 296. ſq.* horrenda refert de HAZFELDII, Germani, peruerſis doctrinis.

§. XV.

Tranſeo nunc ad INDIFFERENTISTAS, ſeu eos, qui omnes religiones vno eodemque loco habent, atque hominem pium eſſe adfirmant, ac felicitatem aeternam ſibi poſſe polliceri, qui bono inſtructus animo Deum atque alios amet, ſententiae licet eiusdem cum omnibus non conueniant. Seligam ex his vnum tantum alterumque, ne nimis, et praeter inſtitutum, praeſens Caput adcreſcat. Primus in medium procedat THOMAS BROVNE, gente Anglus, profeſſione Medicus, a quo librum accepimus *de religione Medici*, lingua patria ſcriptum editum-

que *Londini a.* 1642. *in* 8. ac deinde aliquoties, ſine Auctoris nomine. Latina interpretatio a IOH. MERRYWEATHER adornata *Lugd. Bat. a.* 1644. cum notis KENELMI DIGBY ſucceſſit, eidemque Brovnii nomen eſt praefixum. Eſt autem haec verſio paſſim obſcura, parumque perfecta et adcurata. Saepius tum repetitae libri auide coemti editiones, exſtatque idem in Auctoris etiam ſcriptis reliquis, *Londini anno 1686. et 1704. in f.* coniunctim exhibitis. Aliis illuſtrata notis L. N. M. E. M. quibus ſub litteris LEVIN. NICOL. MOLKENIVS, eques Mecklenburgicus, latet, poſtea in aula Holſatica Conſiliarius intimus, religio haec Medici lucem adſpexit. Factum id *Argentorati a.* 1652. *in* 8. Complura tamen in eius notis allotria ſunt, quae plane debebant omitti. Belgice, cum notis Kenelmi Digby, *Amſtael. a.* 1683. *in* 8. ac nouiſſime, ſtudio GE. VENZKY, vna cum obſeruationibus ipſius, et Auctoris vita, *Prenzlauiae a. 1746. ead. forma* Germanice prodiit. Diuerſas de hoc libro eruditi pronunciarunt ſententias. Fuere, qui Atheiſmi in eo ſparſa ſemina eſſe, contenderent. Sed his contradixit, praeter plures, ELIAS FRID. HEISTERVS in *Apologia pro Medicis, p. 133. ſq.* Alii crimini tantum Auctori dedere, quod ſimulauerit, ſe verum eſſe Chriſtianum, ſub finem autem cuiuslibet Capitis talia propoſuerit dubia, quae prius dicta videantur euertere. Alii omnia laudarunt, ſuoque probarunt calculo, quo ſpectant v. g. illa CONRINGII in *Conringianis epiſtolicis*, a RITMEIERO *in* 8. ſecundum editis, vbi *p. 8.* ſic Polyhiſtor Helmſtadienſis: *Religio Medici*, ait, *vehementer me delectauit. Vtinam nemo Medicorum, imo Theologorum, illo homine ſit minus religioſus.* Ego quidem cum BVDDEO in *Theſibus de Atheiſmo p. m.* 186. ab Indifferentiſmi ſuſpicione vix abſolui poſſe Brovnium, crediderim. Ipſe REIMMAN-

MANNVS, quamquam eundem ita immerſum anomaliae negat, vt patronus Syncretiſmi vniuerſalis dici mereatur, ſed multa potius ineſſe libro adſerit ſana, ſobria, praeclara et non quotidiani commatis; non diffitetur tamen, multa etiam occurrere paradoxa. Vid. *Catalogus Bibl. Reimmann. Tomo I. p.* 1052. Humani quid etiam paſſum eſſe Buddeum obſeruat idem in *Hiſtoria Atheiſmi p. 448.* Scripſit enim ille, Brovnium *Parte I. Sect.* 53. docuiſſe, quod nec paganis, qui honeſte vixerunt, ſalus denegari aeterna queat. Sed rationes dubitandi cum ipſo decreto commutaſſe, et ex illis, non vero ex hoc Brovnii mentem aeſtimaſſe Buddeum, ſatis clare monſtrat. Atque hoc quidem ipſius Angli locus adductus conſpiciendum praebet. Sed quae *Parte I. Sect. 3.* de Pontificiis diſſerit, ea non obſcure, ni plane fallor, indicant, Auctorem inter illorum et Proteſtantium ſacra haud adeo magnum ſtatuiſſe diſcrimen. Addi poteſt, quae mox ſubſequitur, *Sectio* 5, vbi profitetur, ſe nomen dediſſe Eccleſiae Anglicanae, haec ſubiiciens: *Cuius quidem fidei ſacramentum dixi, adeoque et eius articulis ſubſcribere, et conſtitutiones obſeruare duplici nomine teneor. Alios articulos vt fide, aliasue conſtitutiones obedientia, vt amplectar, nemo adduxerit. His quaecunque inſuper, tamquam adiaphora, acceſſerint, ea ad iudicii proprii praeceptum, et pro priuato pietatis meae genio, recipio aut repudio: nec hoc crediturus, quod Lutherus adfirmauerit, nec illud repudiaturus, quod improbauerit Caluinus. Nec in vniuerſum diſplicet Concilium Tridentinum, nec mihi in totum adprobatur Dordracenſis Synodus. Eccleſia denique mihi textus eſt, vbi ſilet ſcriptura; vbi ea loquitur, commentarius; vbi vtraque in ſilentium conſenſit, nec Roma, nec Geneua mihi religionis canones praeſcripſit, eos mihi a iudicii mei dictamine peto.* Ridicula eſt quoque, ne dicam profana,

quam de propagatione generis humani fouet, ſententia *Partis II. Sect. 9.* En! verba ipſa: *Mihi ſatis placeret, ſi nobis etiam arborum more, citra coniunctionem procreare liceat, ſiue alia quaepiam reperiatur rerum propagandarum ratio, quam coitionis illa vulgaris et triuialis: nihil profecto ineptius eſt, aut viro ſapiente indignius; nihil, quod mentis celſitudinem turpius deiiciat, quam ſi animo iam deferbente reputet, quam inſigniter ineptierit.* Haec et alia, quae ſilentio praetereo, ita ſunt comparata, vt adpareat facile, mirum, nec in religione admodum certum firmumque fuiſſe hominis ingenium: atque eundem ab occulta ad Indifferentiſmum et Scepticiſmum propenſione non poſſe penitus remotum credi. Cf. KRAFTII *Neue theolog. Biblioth. Vol. II. P. 17. p.* 561. vbi de Venzkyana interpretatione agens auctor, ſequentia inſeruit: *Da ſich Brovne eines kurtzen, ſcharfſinnigen, vnd nicht ſelten allegoriſchen Vortrags bedienet; wollen wir es auch in ſo fern mit dem Herrn Rector Venzky für eine vnſchädliche vnd nützliche Schrift anſehen, als wir glauben, daß es einfältige Leſer, welche zu Zweifelſucht vnd ſchädlichen Meynungen könnten verleitet werden, ſchwerlich verſtehen.*

Luculentius eiusmodi animum prodit IAC. FRID. LVDOVICI, Halenſis primum, tum Giſſenſis Academiae Anteceſſor, compluribus ſcriptis iuridicis celeberrimus. Edidit hic, ſumto ERICI FRIDLIBII nomine *Glückſtadii in 8.* et *anno* quidem 1707, qui tamen adiectus non eſt, *Vnterſuchung des Indifferentiſmi Religionum*, caet. In eo libello profitetur auctor, haud in magno ponendum eſſe diſcrimine, quam quis religionem, quam de rebus ſacris ſententiam amplectatur: omnia pendere ex voluntate hominis Chriſtiani, quae ſi recta ſit et amoris plena, nil amplius requiri: non dari praecipuas cultus diuini regulas, libroſque ſymbolicos parum ad rem

rem facere: neque baptiſmi, neque ſacri epuli myſteria pertinere ad Chriſtianam religionem: ſufficere omnino, ſi quis nouerit ſaltim, Chriſtum generis eſſe humani ſeruatorem. Sunt, qui auctorem non ſerio, ſed hac tantum de cauſſa ſcripſiſſe talia contendunt, vt experiretur, an Theologi ſemper canerent claſſicum, et minutiſſima quoque refutarent. At nec id vllo modo eſſet probandum. Cf. LILIENTHALII *theol. Bibl. Vol. I. p. 374.* ac TRINIVS *p.* 341. Data opera doctrinas Ludouicianas ſubuertere ſtuduit GOTTLIEB WERNSDORFFIVS Diſſertationibus quatuor, *Vitemb. a. 1701. ſq.* propoſitis, quae paſſim auctiores in vnum redactae volumen prodierunt *ibidem a. 1716. in 8.* hoc titulo: *Breuis et neruoſa de Indifferentiſmo Religionum Commentatio, vna cum Diſſert. de auctoritate libror. ſymbolicorum.* Translata eſt poſtea haecce Commentatio in *Tomum II. Diſput. Wernsdorffianarum p. 105. ſq.* Germanica quoque interpretatio exſtat GODOFR. CHRISTOPH. CLAVDII, *Vitemb. a. 1734. in* 8. producta, ibidemque, nonniſi nouo, vt videtur, titulo inſtructa, *anno* 1754. Vid. WALCHII *Biblioth. theol. ſelecta, Tomo I. p. 988.* Laudat Wernsdorffii conatum REIMMANNVS in *Catal. Biblioth. Tomo I. p. 1093.* ſubiicit vero, acrem eundem nimis acerbumque eſſe, et interdum crimināſum, in altercando etiam cum aculeo et maledicto facetum, et plurimis occupationibus ita impeditum, vt ſpatium ad cogitandum ſibi ſemper ſumere non potuerit, nedum ad attentius perpendendum, quod vel ab aliis ſcriptum, vel ab ipſo fuiſſet ſcribendum.

In mentem nunc venit IOH. CONR. DIPPELIVS, Haſſus, qui Chriſtiani Democriti nomine innotuit. Laudatus WALCHIVS *l. c. Tomo II. p.* 850. merito vocat eum hominem peruerſi ingenii, atque inſolentis ac malitioſi animi, qui omni ſtudio ſum-

ſummaque impietate id egerit, vt praecipua religionis Chriſtianae dogmata deſtrueret. Eam ob rem grauiſſimos diſſeminauit errores, atque monſtrauit, ſe eſſe ex ordine illorum, qui indifferentiſtae adpellantur: qui ſunt Sociniani: cum primis quibus nomen datur fanaticorum. Nec ſatis habuit, vt porro WALCHII verbis vtar, praebere ſe maxime prauarum ſententiarum magiſtrum; ſed etiam impudentiſſimus exſtitit in calumniis, quas in eccleſiam, praeſertim Lutheranam, adhibuit. Idem docuit me, duas proſtare ſcriptorum Dippelianorum collectiones. Altera exiit ſic inſignita: *Eröffneter Weg zum Frieden mit Gott vnd allen Creaturen, durch die Publication aller bisher edirten Schriften* CHRIST. DEMOCRITI, *Amſtaelodami*, ſeu verius in quodam Germaniae loco, *a.* 1709. *in* 4. Altera, eandem praeferens inſcriptionem, poſt auctoris obitum lucem adſpexit *Berleburgi a.* 1747. *in* 4. Volum. III. cura, vt fama eſt, CANZII cuiuſdam, fratris Theologi Tubingenſis. Longe haec eſt priore locupletior, ac plura Dippelii Opuſcula continet. Adcurate recenſetur eadem editio in BAVMGARTENII *Nachricht. von einer Hälliſchen Biblioth. Vol. II. p. 415. ſq.* Add. WALCHIVS *l. c. p. 851. ſq.* Memorabo quaedam ſaltim Dippeliana, quae hic ſibi locum vindicant. Ac proinde dicendum

1) de libello: *Anfang, Mittel vnd Ende der orthovnd heterodoxie, oder kurtzer theologiſcher Entwurf, aus was Vrſachen das verworrene Religionsgezänck in der Chriſtenheit entſprungen, durch was Mittel es fortgeführet, vnd auf was Art es endlich zernichtet werden möchte. Anno 1699. in 12.* Hic Dippelius manifeſti ſe reum Indifferentiſmi fecit. Obtinendae enim ſalutis aeternae rationem nec ad Chriſtum eiusque meritum, nec ad fidem retulit, ſed ad amorem erga Deum

Deum atque alios; ideoque felicitatis coeleſtis fieri poſſe participes adfirmauit cultores plurium Deorum, Iudaeos ac Turcas, Chriſti licet, aliarumque doctrinarum diuinarum, cognitione careant; Succeſſit

2) *Summariſches vnd aufrichtiges Glaubensbekänntnis über dieienigen Lehrpuncte, ſo bis hieher in Chr. Democriti Schriften erörtert worden*, 1700. *in 12.* Inter multa nefanda, quibus Dippelius falſa et peruerſa dogmata ſua, veluti articulos fidei, aperte ac depoſito pudore omni, proponit, id occurrit etiam, ſolam pietatem verae eſſe religionis vnicum fundamentum. Vid. *die Vnſchuld. Nachr. a. 1702. p. 266. ſq.* Pertinet huc

3.) *Ein Hirte vnd eine Heerde; oder vnfehlbare Methode, alle Secten vnd Religionen zur eintzigen wahren Kirche vnd Religion zu bringen, vnd ohne einigen Syncretiſmo beſtaendig zu vereinigen*, 1706. *in* 8. Summa libelli capita haec ſunt: omnes fidei formulas eſſe abrogandas, munusque explicandarum litterarum ſacrarum iis modo demandandum, qui pietati ſint penitus addicti, ſimul autem haud permitti debere, vt ſententiae de rebus theologicis inter ſe diſcrepantes in concertationes ac diſputationes veniant.

Taceo plura, mei memor inſtituti. Qui omnia Dippelii principia, eaque impietatis pleniſſima, velut in compendio cognoſcere voluerit, is euoluat laudati WALCHII *Religionsſtreitigkeiten der Luther. Kirche, Parte II. p. 739. ſq.* quo ex loco haec, inter alia, TRINIVS *p.* 214. repetiit: *Dippel iſt einer der gröbſten Indifferentiſten, dem eine Religion ſo gut iſt, wie die andere. Er ſetzet das Weſen der Religion in der Liebe vnd in der Selbſtverläugnung; giebt vor, daß menſchliche Wiſſenſchaft einem Theologo nur hinder-*

lich

lich ſey, die göttliche Wahrheit vorzutragen. - - - *Der Menſch erlanget die Seligkeit nicht durch das Verdienſt Chriſti, vnd durch den Glauben, ſondern durch ſeine eigene geſetzliche Gerechtigkeit.* - - *Die Glieder der wahren Kirche, zu welcher nur die Frommen gehören, können aus allerley Secten beſtehen, ſie mögen Heyden, Juden, Türcken oder Ketzer ſeyn, wenn ſie nur fromm leben.* Idem TRINIVS a *p. 217.* vsque ad *p. 242*, de Dippelii cum aduerſariis, tum ſectatoribus, copioſe agit. Vberiorem olim *de Dippelii vita, fatis, erroribus et controuerſiis* Commentationem promiſit IOH. CHRISTOPH. MYLIVS in *Biblioth. Anonym. et Pſeudonymorum, P. II.* quae agit de Pſeudon. *p. 57.* Sed nunc, poſt infelicem eius obitum, fruſtra haec exſpectatur.

Magnas quoque, hac aetate noſtra, in ciuitate Chriſtiana turbas excitauit Secta Herrenhuthiana, cuius caput fuit NICOL. LVDOV. Comes a ZINZENDORF, menſe Maio anni 1760. e viuentium numero exemtus. Audiamus de conatu eiusdem venerabilem WALCHIVM *Biblioth. theolog. Tomo II. p. 868. Poſtquam*, ait, *animum induxerat, nouam eccleſiam, veluti monimentum nominis ſui, colligere, talem formam illius prauam excogitauit, qualem nullum inter Chriſtianos coetum corruptum vnquam habuiſſe, nec tempore hoc habere, fatendum eſt. Quod exſtruxit, aedificium compoſitum eſt ex erroribus deteſtandis: ex ratione peruerſa Deum colendi, ac modo inepto ſacrorum adminiſtratorum. In multis ſequutus eſt fanaticos, ac horum more propoſuit ſententias falſas, abſonas, ac nullo vinculo inter ſe coniunctas; attamen, vt plures ſectatores ſibi conciliaret, etiam indifferentiſtarum placita amplexus eſt, ac, quando res eius poſtulabat,*

labat, *nunc Lutheranum*, *nunc Reformatum ſe exhibuit: imo a Pontificiorum Socinianorumque doctrina ſe non plane alienum eſſe*, *declarauit. Ad ſectam ſuam ſtabiliendam propagandamque adhibuit callida atque impia inuenta: varias ac multiplices fraudes*, *mendacia*, *ſimulationem eximiae ſanctimoniae*, *apoſtolicae ſimplicitatis atque innocentiae.* Abiectiſſime ſaepius turpiſſimeque de rebus diuinis, cumprimis in doctrina de Deo ſanctaque Trinitate, loquitur cum fratribus ſuis, et cunctis humanae ſocietatis ordinibus infauſto molimine officit. Docent id ipſius Zinzendorfii ſcripta, quae diligenter WALCHIVS recenſet *l. c. p. 878. ſq.* Ex hiſce vnum alterumue nominaſſe iuuabit. Prodeant igitur

1.) *Catechiſmi*, quibus doctrinae Zinzendorfianae epitome continetur. Tres horum ſunt editiones. Primum exemplar, quod breuiſſimum eſt, *a.* 1723. alterum *Görlicii* 1725. iterumque *a.* 1735. *in 8.* tertium *Budingae a. 1740. in 16.* excuſum eſt, hac quidem inſcriptione: *Probe eines Lehrbüchelgens vor die ſo genannten Brudergemeinen, zu mehrerer Deutlichkeit vnd gründlichen Verſtande vnſerer heiligen Wahrheit in dieſe Form gebracht.* Grauiſſimis iſte libellus vitiis eſt contaminatus. Nihil in eo de decem praeceptis Dei: nihil de tribus fidei articulis: nihil de oratione dominica. Omnia ſunt propoſita confuſe ac ſine vllo ordine: plura obſcure, inepte, ſtilo Zinzendorfii adfectato. Secunda editio, *ibidem a. 1742. in 16.* exhibita, quae vocata eſt *die andere Probe, ſowohl die Grundlehren der evangeliſchen Gemeinen*, caet. mutata quidem fuit, at non emendata, ſanioribuſque mentis cogitatis adornata.

2.) *Geheimer Briefwechſel des Grafen von Zinzendorf*

dorf mit den Inſpirirten, nebſt einem Anhange anderer hieher gehörigen Schriften, *Lipſ. 1741. 8.* In eo commercio epiſtolico Indifferentiſmi venenum latere, variis probat ſpeciminibus LILIENTHALIVS *Vol. II. der theol. Bibliothec*, quod *fortgeſezte theol. Bibl.* dicitur, *p. 372.*

3) περὶ ἑαυτῦ, *das iſt, naturelle Reflexiones über allerhand Materien, nach der Art, wie er bey ſich ſelbſt zu dencken gewohnt iſt*, quarum meditationum partes aliquot *a.* 1747. *in 4.* lucem adſpexere. Fatetur hic aperte auctor, ſe non aliam religionem, niſi naturalem, admittere, ac ſimul indifferentiſtarum caſtra ſequitur.

4.) hic et locum habent *des Grafen von Zinzendorf vnd Pottendorf, der Boehmiſchen vnd Mähriſchen Brüder hochwürdigen Biſchofs, kleine Schriften, geſammlet in verſchiedenen Nachleſen, bey den bisherigen gelehrten vnd erbaulichen Monathsſchriften, Frf. ad M. 1740. in 8.* Vniuerſalem deſcripſi titulum XIII. Opuſculorum, quae inde ab anno 1735. exierant in lucem, cum ipſius Zinzendorfii, tum ſociorum quorundam calamo exarata LILIENTHALIVS *l. c. Vol. I. p.* 51. de hisce ita loquitur: *Man ſiehet wohl, daß es den Verfaſſern fürnehmlich vm die Rechtfertigung vnd Vertheidigung der Herrnhuthiſchen Brüderſchaft zu thun ſey, welches doch aber mit Verunglimpfung anderer, vnd Einmiſchung mancherley zum Indifferentiſmo vnd Fanaticiſmo abzielenden vnd andern anſtößigen Dingen geſchiehet. Gleichwohl kommt doch auch darinnen zuweilen manch rechtſinniges vor.*

Longe lateque diffuſa eſſe Zinzendorfiana inſtituta, vel notum eſt lippis ac tonſoribus. Compluresitaque Europae Principes tantum a terris ſuis malum auertere, et licentiam deprauandae doctrinae, diui-

nitus

nitus patefactae, coercere ſtuduerunt. In Dania certe, Suecia, Boruſſia, Liuonia, Saxonia, Holſatia aliisque Germaniae prouinciis et vrbibus mandata ſunt promulgata contra. ſectam periculoſam, quorum collectio Partibus II. *Vitemb. a. 1748.* et *1749. in 4.* prodiit inſcriptione ſequente: *Sammlungen von einigen wieder die Herrnhuther ergangenen hohen Kayſerlichen, Königl. Chur- vnd Fürſtl. Reichsſtädtiſchen vnd andern Verordnungen.* Theologorum quoque Collegia, de rebus Herrnhuthianis rogata, reſponſis ſingularibus praua eſſe, turpia et noxia Zinzendorſiana dogmata, declararunt. Vid. hic omnino WALCHIVS *l. c. p. 913. ſq.* Ipſe is vir celeberrimus compoſuit *Theologiſches Bedencken von der Beſchaffenheit der Herrnhuthiſchen Secte*, quod ſcriptum, adiectis nonnullis ad id augendum illuſtrandumque, *Frf. ad M. a.* 1747. *in 8.* edidit IOH. PHIL. FRESENIVS, biennioque poſt in linguam translatum Suecicam, et adnotationibus locupletatum *Holmiae eadem forma* exhibuit IOH. KVMBLAEVS; teſte laudato WALCHIO *p.* 900. qui paſſim et alia memorat de Herrnhuthianis, eorumque auctore, lectu digniſſima.

§. XVI.

Nec tacendi hoc ſunt loco homines FANATICI, qui a rectae rationis Codicisque ſacri regula diſcedentes multifariam, opiniones falſas, ineptas, minimeque inter ſe connexas, animo imbiberunt, nec easdem pertinaciter tueri erubuerunt. Vocari etiam ENTHVSIASTAE ſolent, de cuius nominis origine breuis exſtat in *Miſcellan. Lipſienſ. nouis, Vol. I. p. 445. ſq.* IOH. CONR. SCHWARZII Obſeruatio. Tunc autem hoc ſunt titulo digni ſaltim, quando ſimul, quae in animis eorum fiunt, ſupra naturae vires eſſe ſibi perſuadent, et immediatam, vt noto Philoſo-

loſophorum vocabulo vtar, patefactionem diuinam iactant. Quocirca omnis quidem enthuſiaſta eſt fanaticus; non autem quisque fanaticus enthuſiaſta, docente id WALCHIO *l. c. p. 4.*

Singularem fanaticorum ſectam inſtituit DAVID IORIS, ſiue GEORGII, Belga, anno 1556. mortuus Baſileae, vbi biennio, et quod excedit, poſt, quum innotuiſſent impiae eius et paradoxae ſententiae, corpus ipſius a carnifice effoſſum, et, vna cum ſcriptis eius et imagine, in conſueto ſupplicii loco iuſſu Senatus Baſileenſis combuſtum fuit. Ingens mentis prauitas impulit hominem hunc, vt ſe verum eſſe atque a Deo promiſſum Meſſiam gloriaretur, non ex carne, ſed Spiritu ſancto et ſpiritu Ieſu Chriſti ſuſceptum; qui Spiritus Chriſti, carne eius in nihilum redacta, quodam in loco, ſanctis omnibus ignoto, adhuc ſeruatus, nunc ipſi Georgio totus ſit traditus, et in eius animam infuſus; quibus, et aliis, addebat, quo maiorem diuinitatis opinionem de ſe inſtillaret credulis, ſeque Chriſto digniorem et praeſtantiorem probaret, omne peccatum in Patrem et Filium admiſſum condonari, quod autem in Spiritum ſanctum perpetratum fuerit, hoc eſt, in Dauidem Georgium, nunquam neque in hoc, neque in altero ſaeculo remitti. Quae, cum aliis, de eodem protulit IAC. AVG. THVANVS *Hiſtoriar. lib. XXII. ad annum 1559. p. m. 1002. ſq.* Multa exſtant ſcripta, quae praeferunt hominis huius nomen; at obſcura ſunt, confuſaque, et fanaticum ingenium luculenter produnt. Exierunt ſermone Belgico, ſine mentione loci, quoniam auctor nonniſi furtiue ea ipſa poterat imprimenda typis curare. Princeps reliquorum eſt liber *T'wonderboeck: waer in dat van der Werldt aen versloten gheopenbaert is*, caet. i. e. *Wunderbuch, worinn das von der Welt anverſchloſſene geoffenbaret iſt.* Diuulgatus fuit *anno*

no 1551. in f. et quidem emendatior, auctorque binis Partibus: Priori, quae praeceſſerat, editioni, folii minoris formam exhibenti, annus eſt nullus adiectus. Factum id videtur tamen anno 1542. vel paullo poſt. De vtraque adcurate diſſerit CLEMENT in *Biblioth. de livres dificiles à trouver, Tomo IX. p. 127. ſq.* Potiores, qui Georgii errores grauiſſimos detexerunt, ſunt NICOL. BLESDIKIVS, (a patria ſic adpellatus, verum enim nomen eius erat NICOL. MAINARDI,) in *Hiſtoria vitae, doctrinae, ac rerum geſtarum* DAVID. GEORGII, *Haereſiarchae.* Gener eius fuit auctor, qui autem reuerentia forte ſoceri, cuius deliria deteſtabatur, permotus induci non potuit, vt librum hunc ipſe luci exponeret. Id igitur negotii ſuſcepit IAC. REVIVS *anno* 1642, quo *Dauentriae in 8.* prodiit Opuſculum, rarius hodie obuium. Vid. de eo CLEMENT *l. c. Tomo IV. p. 293. ſq.* Succeſſit FRID. JESSENII *aufgedeckte Larve* DAV. GEORGII, *Kiliae 1670.* 4. itemque IACOBI STOLTERFOTH *Hiſtoria von* DAV. GEORGEN, *einem heilloſen Mann, vnd Gotteslaeſterlichen Ertzketzer, Lub. a. 1635. in 4.* Maxima eiusdem pars, omiſſae ſunt quippe adnotationes, inſerta deinde CHRIST. THOMASII *Hiſtorie der Weisheit vnd Thorheit, Parte I. p. 64. ſq.* Cf. etiam CAR. GOTTLOB ZEIDTLERI *Hiſtoria* DAV. GEORGII, *eiusque adſeclarum*, Diſſertatione quadam *Lipſiae a.* 1701. propoſita. Excuſat Georgium libellus, ita inſcriptus: *Gegenbericht auf ein Laſter- vnd Scheltbüchlein, getitulirt Dav. Georis aus Holland, des Ertzkaetzers, wahrhaftige Hiſtorie ſeines Lebens, vnd verführeriſchen Lehre,* caet. *ausgangen im Iahr* 1559. Integrum eundem retulit in *die Kirch. vnd Ketzer-Hiſtorie, P. II. libro 16. cap.* 21. *p. 300. ſq.* edit. primae, GODOFRED. ARNOLDVS, qui et hoc in opere congeſſit omnia, defendendum ad Haereticum idonea. Cf. WALCHIUS *l. c. p. 43. ſq.*

Fanaticorum gregi porro eſt adſcribendus, PAVL. LAVTENSACKIVS, cuius monumenta paradoxa, VALENT. WEIGELIVS in deliciis habuit, eademque, obſeruationibus locupletata, reliquit. Quod ipſum Volumen, triginta annis poſt mortem Weigelii, ignotus mihi homo hoc titulo emiſit: *Offenbahrung Ieſu Chriſti*, caet. *Francof. anno* 1619. *in* 4. Plena hic tenebrarum ſunt omnia, mentisque alienationem redolent, quae de libris diuinis, de Trinitate, de Spiritibus, atque aliis rebus traduntur. Pictor erat Lautenſackius, cuius ingenium frequentior Apocalypſeos Iohanneae lectio turbauerat. Fuſius de iſto egit GVST. GE. ZELTNERVS in Schediaſmate, *Altdorf. 1716. in 4.* edito, *de Paulli Lautenſack, Fanatici Norimbergenſis, fatis et placitis.* Prouocat ad id reuerendus WALCHIVS *l. c. p. 111.* at in eo aliquid paſſus humani eſt, quod Operum Lautenſackianorum editionem Weigelii curae tribuit.

CASPARI SCHWENCKFELDII, nobilis Sileſii, virtutes et bonam mentem plures quidem praedicant; quoniam tamen grauiores errores, cum fanaticis communes, diſſeminauit ac defendit, iure his ipſis adiungitur ſocius a WALCHIO *p. 66.* Multa peruerſe docuit de verbo interno, ſiue Chriſto, atque externo, in Codice ſacro comprehenſo, quorum illud huic ſit praeferendum: de ſacramentis, baptiſmo et ſacra coena, quae media gratiae obtinendae eſſe negauit: de miniſterio eccleſiaſtico: de ſanctitate ac perfectione fidelium. Auctor eſt complurium librorum, in quibus tales ſententias inuenerunt purioris doctrinae amatores. Separatim omnes lucem adſpexere: quidam vero illorum, in certa redacta Volumina, coniunctim exhibiti ſunt lingua Germanorum, ipſo tamen iam mortuo. Pertinet huc *der erſte Theil der chriſtlichen orthodoxiſchen Bücher vnd Schriften Caſp. Schwenckfelds, welche vom*

drey

drey vnd zwantzigſten Iahr an, bis auf das zwey vnd ſechzigſte, zum Preiſe Gottes von ihm ſelbſt beſchrieben, vnd ans Licht gegeben ſind. Anno 1564. *in f.* ſine loci indicio. Alter tomus non videtur ſucceſſiſſe. Biennio poſt prodire coepit Epiſtolarum Opus, *Epiſtolar, Caſp. Schwenckfelds chriſtliche lehrhafte Miſſiue; oder Sendbriefe*, inſcriptum. Tomi ſunt II. *in f.* quorum alter, ex binis conſtans Voluminibus, *anno* 1570. adiectus priori eſt. Memorari etiam editionem Operum Schwenckfeldianorum, Voluminibus IV. *anno* 1592. *in 4.* paratam, laudatus WALCHIVS, ex quo hic profeci, *l. c. p. 68.* ſignificat. Idem confirmatur in *Lexico Eruditor. Ioecheriano* v. Schwenckfeld, *p. 412. edit. nouiſſ.* hoc addito, proſtare ſimul exemplaria huius collectionis poſterioris, formam octuplicatam habentia. Plura de hoc viro ſuppeditant GOTTLIEB WERNSDORFFIVS in Diſſ. hiſtorica *de fanaticis Sileſiorum, Vitemb. a. 1698. ibidemque* 1733. quartum excuſa, et ſcriptor quidam, (quem WALCHIVS *Tomo II. p. 69.* ADAMVM KOEPKE dicit,) e cuius muſeo accepimus *Prenslouiae a.* 1744. *in 8. hiſtoriſche Nachricht von dem von zwey hundert Iahren her berühmten vnd verrufenen Schleſiſchen Edelmann, Caſp. Schwenckfeld von Oſſing, ſamt beygefügter Anzahl ſeiner Schriften.* Neque tamen inſpicere licuit illud Opuſculum. Non paucos ſibi adſeclas diuerſae conditionis, litteratos atque illiteratos, conciliaſſe Schwenckfeldium, multos vero ſurrexiſſe etiam, qui errores eiusdem confutauerint, profitetur probatque WALCHIVS *p. 68. ſq.*

Idem Vir longe doctiſſimus progreditur *p. 73. ſq.* ad Weigelianorum familiam, quae caput veneratā eſt VALENT. WEIGELIVM, paullo iam ſupra productum. Mansfeldenſis fuit patria, conſtitutusque Paſtor primarius oppidi Tzſchopauienſis, in Miſ-

mini *Tomo I.* huius Operis *p. 498.* Haud omnia tamen eius, quae ſunt edita, germana eſſe ac debita fide congeſta, nonnulli contendunt. Praecipue praua hominis dogmata intelligere licet ex eiusdem *Kirch-oder Haus-Poſtill*, qui liber *Neoſtad. anno* 1611. iterumque *a.* 1618. *in 4.* curante VOLCMARO WALTERO, ac denuo, ſine loci mentione, *anno* 1699. prodiit.

Inter ſectatores Weigelii abſurdis atque impiis Fanaticiſmi commentis longius, quam is ipſe, proceſſit, ſectamque prope ſingularem condidit ESAIAS STIEFELIVS, mercator Thuringus, cuius obitus in annum 1627. Erfordiae incidit. Fata eius turbasque, in rebus ſacris excitatas, adcurate expoſitas legimus in MOTSCHMANNI *Erfordia litterata Continuata, Sect. V. p. 634. ſq.* Cf. ſimul CHRIST. THOMASII *Hiſtor. der Weisheit vnd Thorheit, P. I. p. 140. ſq.* Adſeruit cerebro laborans Stiefelius, verum ſe eſſe Chriſtum, Dei filium, quumque nulla contaminatus labe ſit, carere ſe poſſe loco, confeſſionibus deſtinato, cultuque diuino, peragendo in templis; ſatis enim luminis a Spiritu ſancto ſibi fuiſſe accenſum. Errorum eiusmodi deteſtabilium, plenus eſt libellus eius, *zehen chriſtliche vnd Gottſelige Tractaetlein, den auserwählten Kindern Gottes zu Troſt*, inſcriptus, *anno*que 1623. *in 12. Gedani*, vt praefert titulus, publicam prolatus in lucem. Reliqua eiusdem vid. apud MOTSCHMANN. *l. c. p. 643. ſq.*

Diſcipulus Stiefelii et ex ſorore nepos erat EZECHIEL METHVS, de quo itidem conſulendus MOTSCHMANNVS *p.* 653. *ſq.* Intelligimus exinde, ipſum ſe Methum vocaſſe *Ezechiel Chriſtum, Gottes aus der Braut des Lammes neu erſtgebohrnen Sohn der Herrlichkeit, einen ſeelig beruffenen ewigen Gaſt, König vnd Prieſter auf Erden, desgleichen Michael den*

Groſfürſten, den dritten Eliam, caet. Nihil eum diuulgaſſe ſcriptorum reperi, praeter *Erzehlung der Vrſachen, warum er von der chriſtlichen Gemeine Augſpurgiſcher Confeſſion abgetreten; aber nunmehr wieder mit ihr ausgeſoehnet iſt.* Excuſum eſt hoc duarum ſaltim plagularum Opuſculum *anno* 1621. *in* 4. Quum contra Andr. Merckium, Antiſtitem Halenſem, qui eum in *der treuhertzigen Warnung für dem Weigelianiſmo, Halberſt.* 1620. *in* 8. haereticis adſcripſerat, cauſſam oraſſet ſuam, MERCKIVS *Halae a.* 1621. *in* 8. emiſit *eine nothwendige Schutzſchrift gegen Ezech. Meths über ihn geführte Beſchwerung.* Caeterum poſt mortem auunculi ſui ad frugem rediit Methus, et ſaniora profeſſus eſt.

Plura de IAC. BOEHMIO, ſutore Gorlicenſi, quem varii ſectati ſunt et viuum, et mortuum, in promtu forent, niſi circumdatum cancellis me ſcirem. WALCHIVS *l. c. p.* 80. ingenium ei ſatis acutum tribuit, et ad res ſubtiles aptum, quo ſi is recte fuiſſet vſus, praeclara omnino et vtilia meditari ac proferre potuiſſet. Pleraque tamen ſcripta eius tantum habere obſcuritatis adſerit, vt res difficilis ſit negotii, veram adſequi ſententiam. Prodierunt illa coniunctim plus vice ſimplici, ſcilicet *Amſtaelod. a.* 1675. *in* 4. et 1682. *in* 8. Tomis X. quae locupletior, elegantiorque et adcuratior eſt editio; *Altonauiae* 1715. *in* 4. *mai. cura* IOH. OTTONIS GLVSINGII, hoc quidem titulo: *Theoſophia reuelata, das iſt, alle göttliche Schriften Iac. Boehms*, atque hancce Collectionem, quum ſit nitida ſatis auctiorque, Amſtaelodamenſi poſteriori quodam praeferre modo ſolent non pauci; *Lipſiae a.* 1730. *in* 8. Volum. IV. cum IOH. GE. GICHTELII *geiſtreichen Summarien vnd Inhalt ieden Capitels, wie auch Iac. Boehmens Lebenslauf, Regiſtern vnd Kupfern.* Hic itidem nouae occurrunt acceſſiones, generatimque dicendum,

dum, ipſam editionem ita eſſe comparatam, vt caeteris amplior vtique ac perfectior ſit habenda. Quae inſcripta BOEHMII *theoſophiſche Schriften, Amſtael. a.* 1675. *in* 4. diuulgata eſt, ea quidem nonnulla Boehmiana complectitur, nec tamen iſthaec Sylloge Amſtaelodami eſt excuſa, ſed *Halberſtadii*, cura AMMERSBACHII, qui illam comitem eſſe voluit Syſtemati Guthmanniano, de quo Opere alibi agam, ita ſane, vt Partem eius tertiam repraeſentaret. Obſeruat id REIMMANN. in *Catal. Bibl. theolog. p.* 680. Primum Opuſculum, quod *a.* 1612. componere coepit, eſt *die Morgenröthe im Aufgang*, de quo ſingularia nonnulla tradit ARNOLDVS in *der Kirch. vnd Ketzer-Hiſt. P. II. libro 17. cap. 19. ſ. 4.* Addo, eodem auctore *ſ. 15*, ſcripta Boehmii magna ex parte de Germanica conuerſa eſſe in Belgicam, Anglicam, Latinamque linguam. NICOL TSCHEERIVS, quondam ſacerdos Heluеticus, edidit *Amſtaelod. a. 1718. in 4. Einleitung zum wahren vnd gründlichen Erkaentniß des groſſen Geheimniſſes der Gottſeligkeit, beſtehende in einem kernhaften Auszug aller theologiſchen, theoſophiſchen, vnd philoſophiſchen Schriften vnd Zeugniſſen des hocherleuchteten Mannes Gottes, vnd Philoſophi Teutonici, Iac. Boehmens.* Praemiſit Clauem inuſitatorum atque obſcuriorum vocabulorum, quibus vſus fuerat Boehmius, inque Praefatione cauſſas aperire ſtuduit, cur ſcripta eiusdem tam ſint intellectu difficilia. Vid. *die Vnſchuld. Nachrichten anni 1727. p.* 720. vbi recenſionem Operis ampli exſtare, docuit me LILIENTHALIVS in *der fortgeſetzten theol. Bibl. p.* 228. Caetera de Boehmio noſſe cupientibus ſatis facient IOH. ADAM. CALO in Diſſert. *de Vita Iac. Boehmii, Vitemb. a. 1707.* IVST. WESSEL. RVMPAEVS *de Iac. Boehmio, Suſati a.* 1714. IEREM. FRIDERICI *de Sutoribus fanaticis, ſ. XI.* quae Diſſert. *Lipſ. 1730.* publicata, et BRVCKERVS

 in

in *Hiſtor. crit. Philoſophiae Tomi IV. P. I. p. 695. ſq.* Vir ille celeberrimus *p. 698.* ſcribit, iactaſſe Boehmium, ſe non ſecundum externum naturae intuitum, ſed ſecundum ſpiritus dictamen loqui, et quae de natura rerum tradat, de operibus diuinis rebusque creatis, ea Deum ſpiritui ſuo aperuiſſe. Et *p. 708.* poſtquam eorum iniecerat mentionem, qui, praeter Enthuſiaſmi notam, Atheiſmum etiam Boehmio obiecerint, propterea, quod Deum eſſe mundum expanſum, exque Deo emanare ſtatuerit omnia, et ſic Deum in mundum conuerterit, ſequentia ſubiicit Auctor: *Ipſum quidem, quod ei obiicitur, dogma, omnia ex Deo emanare, omnium rerum eſſentias in Deo conſiſtere, redire omnia in Deum, toties ingeminauit commendauitque Boehmius, vt laterem lauare cenſendi ſint, qui verbis eius ſenſum magis commodum affingunt. Supra enim obſeruatum, totius ſyſtematis Boehmiani fundamentum id eſſe, et ſine eo conſiſtere non poſſe. Aſt qui Spinoziſmum ex emanatiuo ſyſtemate exſculpunt, nimii ſunt.* caet. Multi ſutoris huius Faſciculi autographi ſeruantur adhuc in Bibliotheca Helmſtadienſi Rudolphea; qua de re dixi *Tomo I. p. 498.* Nec tamen credendum, omnia, quae ſcripta reliquit, ſine aliorum auxilio eundem perfeciſſe, vt recte opinatur BRVCKERVS *l. c. p. 699.*

§. XVII.

Boehmianam factionem nemo fere illuſtrauit magis praeter QVIRINVM KVHLMANNVM, Moſcouiae blaſphemiae accuſatum, ibidemque anno 1689. combuſtum. De ipſo legi merentur WERNSDORFIVS in Diſſ. iam ſupra laudata *de Fanaticis Sileſiorum, et ſpeciatim Quir. Kuhlmanno*, itemque IOH. CHRISTOPH. HARENBERGIVS in *Muſeo hiſtor. philol. theol. Bremenſi, Vol. II. p. 651. ſq.* Ex ſcriptis eius, quo-

quorum complura percenſet WALCHIVS *l. c. p. 90*, vel vnicum hoc memorare iuuabit, quod inſignitum titulo: *Neubegeiſterter Boehme*, *begreiffend 150. Weiſſagungen* caet. *Lugd. Bat. a.* 1674. *in* 8. lucem adſpexit, rariſſimeque inuenitur. Vid. SINCERI *Nachricht. von raren Büchern, Vol. II. p. 128. ſq.* et BAVMGARTENII *Nachr. von einer Häll. Bibliotb. Vol. VIII. p. 292. ſq.*

Diligenter itidem Boehmii libros et legiſſe, et commendaſſe IANAM LEADE, feminam Britannicam, anno huius ſaeculi quarto exſtinctam, permulti eius libri teſtantur. Patrio ab ipſa ſermone compoſiti omnes: at Germanice interpretatus eos eſt, et *Amſtael. ab a.* 1694. *in 8.* edidit VISCHERVS. Varios etiam noui Belgice redditos. In exemplarium Germanicorum numero ſunt: *die himmliſche Wolcke; die Offenbahrung der Offenbahrungen; der Henochianiſche Wandel mit Gott; die Wunder der Schöpfung Gottes, geoffenbart in acht vnterſchiedlichen Welten; der Gartenbrunn*, tribus Partibus, quibus res, Leadeae, vti ſibi perſuaſum habebat, diuinitus patefactae, continentur. Reliqua non tangam. Vid. WALCHIVS *l. c. p. 92.* REIMMANNVS in *Catal. Biblioth. theolog*, *p.* 770. et praecipue IOH. WOLFG. IAEGERI Diſſ. *de vita, viſionibus et doctrinae Ianae Leadeae, Tubingae* 1712. quam poſtea inſertam eſſe Theologi huius *Hiſtoriae eccleſ. ſaec. XVII*, obſeruat LILIENTHAL. in *der fortgeſ. theol. Bibl. p. 288.* Non dubito, ab eo Tomum II. hic intelligi, qui *Hamb. anno 1717. in f.* exiit.

In fanaticorum cohorte reperitur etiam IOH. DE LABADIE, Theologus Gallus. Adſeruit, praeter alia, Eccleſiam Dei iam in hoc terrarum orbe ſine vllis eſſe naeuis poſſe, eandemque ex ſolis piis conſtare debere. Quum itaque in nulla Eccleſia obſeruaſſet quae optauerat, ſingularem cum adſeclis

ſeclis ſuis conſtituit familiam, hancque verum dicere ſanctiſſimumque omnium Chriſtianorum coetum conatus eſt. Qua vero occaſione multa irrepſerunt, Fanaticiſmo fores aperientia. En! peruerſarum quarundam opinionum ſpecimina: Chriſti regnum non aeternum, nec ſatisfactio eius plena et ſufficiens; Scripturae ſacrae ſenſus multiplex; Legem regenitis perfecte licet implere; Sacramenta ſunt media ſalutis non conferendae, ſed ſaltim obſignandae, eaque ad ſolos pertinent pios; Sabbathi vulgaris hebdomadarii obſeruatio a vere Chriſtianis, perpetuum celebrantibus Sabbathum, haud neceſſario requiritur. Omnium, quae Labadiſtae docuerunt, notitia peti cumprimis poteſt ex libro, communi nomine diuulgato, qui primum Gallice forſitan *anno* 1670, exaratus, tum vero in Germanicam Belgicam, Latinamque translatus linguam eſt. Belgica editio, a PETRO SLVTERO, Labadii collega, concinnata, *Amſtaelodamum* et *annum* 1671. praefert, repetita mox *Herfordiae a. 1672.* vbi Germanica etiam *anno 1671.* et Latina *anno* 1672. *ead. forma* ſucceſſit, hoc quidem titulo: *Veritas ſui vindex; ſeu ſolemnis fidei declaratio Ioh. de Labadie, Petri Yvon, Petri du Lignon, Paſtorum. - - Iam ante edita; nunc vero aucta, aſſerta, confirmata, atque ab obiectionibus D. Hundii,* caet. *plene ſufficienterque vindicata.* Rarum vocat librum, et plura de eodem diſſerit STOLLIVS in *den Nachr. von den Büch. ſeiner Biblioth. Vol. II. P. 12. p. 360. ſq.* Longum nimis foret, ſcripta recenſere omnia, quae Labadii tribuuntur calamo, et quorum pars magna Germanice, Belgiceque fuit reddita. Fecerunt id NICERONIVS in *Vitis Erud. Parte XIV. p. 399. et 428. ſeq.* nec non IOH. MOLLERVS *Cimbriae litteratae Tomo III. p. 53. ſq.* (qui antea vitam quoque illius, ex variis Auctoribus compoſitam exhibuit,) itemque

WAL-

WALCHIVS *Bibl. theol. Tomo II. p.* 49. His tamen addendus merito CHAVFEPIE' in *Nouveau Diction. hiſtor. v.* Labadie, vbi multa noua, ex documentis ante non publicatis, proferuntur de hocce fanatico. Dogmata vero eiusdem ſpeciatim poſuere ob oculos IOH. FRID. MAYERVS in Diſſert. *de Mataeologia Labadiana, Vitemb. a.* 1685. et IOH. WOLFG. IAEGERVS in Diſſ. *de Labadiſmo, Tubingae anno* 1710. *in* 4.

Nunc de ANTONIETTA BOURIGNONIA dicendi ſe materia praebet. Virgo haec Flandrica, quae a. 1680. Franequerae e vita diſceſſit, relictis Pontificiorum ſacris non in Belgio tantum, ſed etiam in inſula Nordſtrandia, in quam ſe contulit anno 1671. occaſione haereditatis, quae a poſſeſſore quodam partis huius inſulae ipſi obuenerat, ac poſtea Slesuici, Huſae, Flensburgi et Hamburgi, ſparſis doctrinis ſuis ac libellis fanaticis, magnos vtique motus excitauit. Quam ob rem apud Holſatos grauiter eſt in eam animaduerſum, nec tamen iuſte ſatis legitimeque. Audiamus illuſtrem DREYERVM in *Notitia libror. manuſcript. Hiſtor. Cimbricae, Periculo I. p.* 115. Sic autem ille: *Si dicendum, quod res eſt, propitia iuſtitia et aequitate Chriſtiana excuſari vix poterit methodus plane tumultuaria et exſecutiua, qua ſine ordine iuris, in legibus et ordinationibus praeſcripto, ſine praeuia legali cognitione cauſſae, ſine admonitionibus etiam diuino iure ſerio commendatis, ad ſolas diſſentientium delationes Antonia inaudita condemnata, adeoque bonis ſuis omnibus ſpoliata fuerat die* 11. *Febr. a.* 1674. *aedibus eius, conclauibus et arcis omnibus effractis violenta manu. Verſabatur Bourignonia, ipſis teſtantibus accuſatorum relationibus ad Principem, in haereſi, in erroribus credendorum;*

opus

opus itaque erat armis fidei reuelatae et Spiritus ſancti; opus fuiſſet et cura et ſtudio euangelico, errantem argumentis doctrinae et virtute verbi diuini, non armis militaribus et brachio ſaeculari, vincere, caet. Dogmata ſua partim cum reliquis fanaticis communia habuit, partim ea ipſius fuerunt propria. Inde factum, vt nanciſceretur etiam horum aliquos aduerſarios, qui ſunt in numero fanaticorum. Sententias virginis abſurdae praecipuas laudatus DREYERVS *l. c.* his verbis commemorat: *Extra ſuam Sectam nullam prorſus ſalutem futuram ſtatuit; omnes homines apoſtaſiae et vitae haud Chriſtianae inſimulauit; ſtudia litteraria, Scholas et Academias diaboli operas et nidos dixit;* legis a ſe factae perfectam impletionem iactauit; propbetiam de ſemine muliebri, caput ſerpentis contrituro, ad ſemet ipſam adplicuit; ſuperſtitiones, miſſam et purgatorium viſionibus ſuis confirmauit; futura etiam et occulta explorare et praedicere ſategit. Taceo portentoſas Antoniae hypotheſes de Chriſto et Adamo androgyno, de noua purgatione animae poſt diſceſſum e corpore, de corporibus et generandi facultate Angelorum, de dominiis rerum abdicandis, et introducenda inter Chriſtianos bonorum communione, de abrogandis ſtatibus et officiis publicis, aliasque doctrinas, quas ſacra Scriptura ignorat.* Reliqua, quae Vir doctiſſimus hoc de argumento diſſerit, ipſe, ſi placet, inſpiciat Lector. Nonnulla, ab eodem prolata, clarius intelliguntur ex ADAMI HENR. LACKMANNI *Annal. typograph. ſelectis Capitibus p. 47. ſq.* quo loco tradit Auctor, typographiam domeſticam ſecum portare conſueuiſſe Bourignoniam, quae Huſae, ſiue Huſumi, cum omnibus libris eius iam excuſis, magnaque copia ob-

obuiis, ipſi erepta fuerit mandato Chriſtiani Alberti, Principis Gottorpienſis; quod ipſum factum eſſe modo non legitimo, ſupra obſeruauit DREYERVS. Adiicit Lackmannus, eodem anno 1674. Flensburgi, quam vrbem adierat mox fanatica, paulloque poſt relinquere cogebatur, ingentem librorum multitudinem, cuius abducendae occaſione ac facultate deſtituebatur, auctoritate Danorum Regis in foro publice fuiſſe combuſtam, vna cum litteris eius ad Senatum maledicis, quas, poſt diſceſſum ex vrbe, Laur. Fauſtio, Conſuli primario, transmiſerat. In componendis ſcriptis Bourignonia nunc Gallico, nunc Belgico, nunc Latino, nunc Germanico vſa ſermone fuit, quumque ſeparatim ea prodiiſſent, tandem coniunctim recuſa ſunt, cura PETRI POIRETI, *Amſtael. ab a.* 1679. vsque ad *a.* 1686. *in 8.* hoc quidem titulo: *Toutes les Oeuvres de Mademoiſelle* ANTOINETTE BOURIGNON caet. Nouem decemque implent Volumina, quorum duo priora hiſtoriam vitae, ab ipſa Bourignonia litteris mandatum, et ab editore, POIRETO, continuatam; reliqua libros eiusdem complectuntur. Recenſuit hanc editionem SECKENDORFIVS in *Actis Erud. Lat. anno* 1686. *p.* 9. *ſq.* Initio ſtatim hoc legitur iudicium: *Quod materiam librorum attinet, quamquam multa prae ſe ferant, ad morum innocentiam et Chriſtianae charitatis, nimium quantum vbique terrarum frigeſcentis, inſtaurationem facientia, et naturali quadam facundia populares praeſertim mentes capientia; immixta tamen habent plurima, quae ad ſcopum illum non modo nihil praeſtant, ſed et ita proponuntur, vt etiam illos articulos fidei Chriſtianae in dubium adducant, in quibus diuiſae licet per ſchiſmata proh dolor! Eccleſiae huc vsque tamen conſenſerunt; vt iam de acerbitate, qua Theologi omnes paſſim tractantur, nihil dicamus.* Hisce praemiſſis, refertur *p.* 14. *ſq.* Bourigno-

rignoniam lectionem biblicam, quum quotidie habere ſe cum Deo colloquia, nouique Euangelii nunciam eſſe crederet, haud admodum magni feciſſe, et ſimplicioribus magis, quam perfectis, commendaſſe: Lutherum, aliosque religionis reformatores, ita eſſe abominatam, vt omni Spiritus diuini impulſu atque auxilio caruiſſe eos contenderet: ſine horrore et indignatione legi non poſſe, quae eadem de Adami promiſcuo ſexu, et genito ex illo, ante creatam Euam, Chriſto, tamquam ſumma myſteria, et patefacta ſibi a Deo, tradere non erubuerit: intercesſionem Chriſti pro ſalute mortalium eo valuiſſe, eius ex ſententia, vt gentiles etiam, quibus tamen ignotum eſt de Chriſto Euangelium, ſua virtute piorum conſequi ſedem aeternam poſſint, non obſtante dicto Apoſtoli *Actor. cap. IV. v.* 12. Aegre hanc tulit recenſionem atque epicriſin Poiretus, ideoque *Amſtael. a.* 1686. *in* 4. euulgauit *Monitum neceſſarium, ad Acta Erudit. Lipſienſia ſpectans, in quo compilator artic. III. de Anton. Bourignonia eiusque Operibus referens, plus quadragies falſi conuincitur.* Sed reſpondit Seckendorfius in *defenſione relationis de Anton. Bourignonia, Actis Erud. inſertae,* quae eo ipſo adhuc anno *Lipſiae in* 4. ſubſequuta eſt. Adiunctum quoque Poireti Monitum. Breuiter libelli huius mentio iniicitur in adductis *Eruditor. Actis a.* 1686. *p.* 233. Caeterum conf. WALCHIVS *l. c. p.* 56. *ſq.* MOLLERI *Cimbria litter. Tomo II. p.* 85. *ſq.* nec non IOH. HENR. VON SEELEN *Deliciae epiſtolicae p.* 395. *ſq.* Nouam Operum Bourignonianorum editionem *anno* 1717. paratam fuiſſe, teſtatur LILIENTHALIVS in *der fortgeſetzten theolog. Bibl. p.* 318. quod ſatisne recte ſe habeat, videant alii.

Inter ſectatores Bourignoniae, quorum non adeo multi fuerunt, praecipue locum occupauit, de quo iam dictum, PETRVS POIRETVS. Deſerta

par-

partim, quod intellexerat, nec ſuam, nec gregis ipſi commiſſi vitam cum doctrina, quam tradiderat, conuenire, partim bellicas ob turbas, ſacerdotis in Ducatu Bipontino prouincia, per annos aliquot Hamburgi commoratus eſt, tandemque pagum, Lugduno Batauorum vicinum, ſedem ac domicilium elegit, vbi diu priuatam agens vitam anno 1719. deceſſit. Magiſtram is ſuam, veluti mulierem diuinam, ſummis ornauit laudibus, atque in peruerſis opinionibus, quae ſunt fanaticorum ac myſticorum propriae, diſſeminandis atque defendendis plurimum ſtudii conſumſit. Scripta eius varia continent vera et vtilia: at coniuncta cum iſtis etiam ſunt falſa, quae Fanaticiſmo aperte congruunt. WALCHIVS *p. 60. ſq.* huc refert

1.) *Cogitationes rationales de Deo, anima et malo, Amſtael. a. 1677.* ac longe auctius *a.* 1685. et 1715. *in 4.* editas. Primas Operis lineas in Epiſtola, Gallice a. 1671. exarata, duxerat. Quae de Trinitate hic diſſerit, ope luminis naturalis cognoſcenda; de Theologia myſtica, vnice vera; de tribus animae facultatibus; de immenſa facultate luminis diuini recipiendi; de fide ac ratione humana, caet. ea certe luculenter probabunt, quo ſpectent Auctoris doctrinae.

2.) *L'oeconomie divine, ou Syſteme univerſel et demontré des Oeuvres et des deſſeins de Dieu envers les hommes, ibidem 1687. in 12. mai.* Voluminibus VII. Latina interpretatio, *Oeconomiae diuinae libri ſex* inſcripta, *Lipſiae a. 1705. in 4.* Tomis binis, nec non Anglica *Londini a. 1713.* prodiit. Syſtema theologicum, Bourignoniae deliriis ſuperſtructum, exhibet, patentque ex eo errores Poireti de duplici corpore Chriſti; de anima humana, eſſentiae diuinae particula;

Yyy yy de

de lucente Adami corpore in Paradiſo; de lapſu eiusdem gradatim facto, et alii. Hiſtoriam libri compoſuit IOH. FRANC. BVDDEVS *Iſagoges in Theolog. vniuerſ. libro II. cap. 7. p. 1374.*

3.) *de eruditione triplici, ſolida, ſuperficiaria, et falſa libros III. Amſtael. anno 1692.* et *Halae M. a. 1694. 8.* cum Diſſ. praeliminari CHRIST. THOMASII, quae tamen, quum haud alienum eſſe ſe a Theologia myſtica fateretur, ſtatim vna cum Poireti Opere prohibita eſt, ne in vulgus diffluerent, quae in eo confuſa erant, noua paradoxa. Sequuta eſt alia editio *Amſtael. a.* 1707. *in 4.* cura Auctoris locupletior, moxque repetita *Halae anno 1708. in 8.* Et huic poſtremae Thomaſius praefixit Praefationem, ſed longe a priori diuerſam; docet quippe diſcrimen inter ſapientiam et eruditionem, item quid eruditio ſit ſolida, ſuperficiaria et falſa, hisque peractis *§. 34. ſq.* cauſſas adfert, cur de myſticis, ac ſpeciatim Poireto, aliter nunc ſentiat, cur variae eius opiniones ipſi, re adcuratius examinata, diſpliceant. Vtrumque ſcriptum Thomaſianum recuſum exſtat in *Programmatibus* illius, *Halae a. 1724. in 8.* vno exhibitis Volumine, *p. 308.* et *p. 598. ſq.*

4.) Praefationem Poireti, praemiſſam illuſtris cuiusdam viri libro, *Fides et ratio collatae, ac ſuo vtraque loco redditae*, caet. inſcripto, et *Amſtael. a. 1707. in 8.* tum Belgice *Leouardiae a.* 1710. et Anglice *Londini a. 1713.* edito. Demonſtrare autem ſtuduit Poiretus, obtinendae, quam religio promittit, ſalutis aeternae media in ſola fide conſiſtere, ſimulque praecipuum Quackerorum dogma de lumine interno probauit atque defendit.

5.) *La*

5.) *La paix des bonnes ames dans tous les partis du Chriſtianiſme* caet. *Amſtaelod. a. 1687. in 8.* Germanice *a.* 1702. et 1714. prodiit, Latineque hoc titulo: *Irenicum vniuerſale, piis quibusuis mentibus quarumcunque Chriſtianiſmi partium pacificandis adcommodatum*, translatum eſt hoc ſcriptum ab amico quodam in Auctoris editionem poſtremam Voluminis *de eruditione triplici*, paullo ante memorati, atque ibidem inter *ſpecialiora de eruditione ſolida*, quae alteram quaſi Operis partem efficiunt, num. II. locum inuenit. Luculenter exinde Poireti ſtudium in Indifferentiſmum patet; nec ſtatuere dubitauit, in quouis Chriſtianorum coetu vnumquemque poſſe verum Seruatoris eſſe ſectatorem, ac ſempiternam felicitatem conſequi, vbi eius in animo conſideat amor.

Plura de hoc Viro, eiusque ſcriptis, differunt NICERONIVS in *Vitis Erudit. Parte IV. p. 316. ſq.* et BRVCKERVS in *Hiſtoria critica Philoſ. Tomi IV. P. 1. p. 725. ſq.*

§. XVIII.

Nec omittendi, qui fanaticis adnumerari ſolent, ROSAECRVCIANI. Eorum ſocietas percrebuit ineunte ſaeculo XVII, de anno autem incerti ſcriptores haerent. Veriſimile eſt, anno 1610. primum de ea ſparſum rumorem fuiſſe. Certe anno demum 1614. coepit iſtius notitia, quo quippe *Caſſellis* prodiit *allgemeine vnd general Reformation der gantzen weiten Welt, beneben der fama fraternitatis des loeblichen Ordens des Roſencreutzes, an alle Gelehrte vnd Häupter Europae geſchrieben*, caet. Primam hanc editionem ſequutae ſunt plures aliae, adiectis ſcriptis diuerſis, plerumque minoribus, v. g.

Frf. a. 1615. et 1617. *in* 8. Generatim hic ſunt conſulendi CHRISTOPH. STEPH. KAZAVERVS in Diſſert. binis *de Roſaecrucianis*, *Vitemb. a.* 1715. euulgatis, et GABR. NAVDAEI *Inſtruction à la France ſur la verité de l'Hiſtoire des Freres de la Roze-Croix*, *à Paris* 1623. *in* 8. quod hodie rariſſimum eſt ſcriptum. Totum Societatis inuentum a GODOFR. ARNOLDO in *der Kirch. vnd Ketzer-Hiſt. lib. XVII. cap.* 18. *ſ.* 3. *p. m.* 641. et pluribus tribuitur IOH. VALENT. ANDREAE, Theologo Würtembergico, qui corrupto rei ſacrae ſtatu commotus, cum aliis probae notae viris, hunc dicitur ludum inſtituiſſe, vt, qua ratione tolli poſſent abuſus, doceret. Sed non contemnendis id argumentis negat KAZAVERVS *Diſſert. I. ſ. XVIII. p.* 36. *ſq.* Interim Arnoldo accedit HEVMANNVS in *Conſp. Reip. litt. Cap. VII. ſ.* 46. *p. m.* 496. hoc ſaltim addens, Ioh. Valent. Andreae puduiſſe poſtea iuuenilis erroris, eoque non ſolum dimiſſo, ſed etiam publice damnato, in Orthodoxiae caſtra bona ſe fide recepiſſe. Eandem ſententiam amplexus eſt BRVCKERVS *l. c. p.* 740. vbi et haec diſſerit Vir doctus: *Non ignoramus*, *b. Iaegerum*, *quem ſequuti ſunt alii*, *multum in eo fuiſſe*, *vt hanc ſuſpicionem ab eo depelleret*, *narrat enim*, *rogatum Andream a Senatu eccleſiaſtico Ducatus Würtembergici*, *reſpondiſſe*, *ſemper ſe*, *audita fabula Roſaecruciana*, *riſiſſe et curioſos fratres pati non potuiſſe. Verum tantum abeſt*, *vt haec coniecturam iſtam infirment*, *vt potius magnum ei pondus addant*, *cum ſatis luculenter innuant*, *habuiſſe eum totum ſodalitium pro fabula ideo excogitata*, *vt curioſi deluderentur.* (Idem credidit olim LEIBNITIVS. ac teſte FELLERO in *Otio Hanouerano p.* 222. hiſtoriam Fratrum Roſeae Crucis fabulam eſſe dixit, hominum delectandorum

dorum cauſſa lepide excogitatam.) *Sane ex viri praeſtantiſſimi, et, praeter iudicii acrimoniam, et elegantiam ingenii, ſummo candore et pietate laudabilis, verbis et circumſtantiis omnibus maximum haec coniectura veriſimilitudinis gradum obtinet. Erat enim illi ingenium ſatyricum, et naeuorum in eccleſia atque orbe docto perſpicax, quos haud vno ſcriptionum genere iugulauit; ex quibus intelligitur, emendandis illis animum magno eum ſtudio adieciſſe. Accedit ſcribendi ratio illi propria, eiusque characterem mire referens, ipſaque arma eius gentilitia, et quae alia ſunt, quae hanc coniecturam magnopere firmant. Talia autem ſcriptorum Andreae loca ab Arnoldo allata ſunt, ex quibus, niſi omnia fallimur, inuictis rationibus conſtat, eum, ſi non ipſe primus fabulae auctor fuit, actorem tamen cum aliis fuiſſe.* caet. Hactenus Bruckerus. Andreae dari ſolent collegae Ioh. Arndius et Ioh. Gerhardus, item Ioach. Iungius, Philoſophiae apud Hamburgenſes Profeſſor, quem et nonnulli auctorem Sectae, ſimulque ſcripti, ſupra producti, cui titulus: *allgemeine vnd general Reformation,* eſſe contendunt. Sed fundamento carent eiusmodi relationes, quodque ad Iungium attinet, eum ab hac Societate plane fuiſſe alienum, oſtendere variis rationibus ſtuduit IOH. HENR. VON SEELEN *Athenar. Lubecenſ. Parte III. p.* 439. Id autem in dubium forſitan nequit reuocari, Tobiam Adami, Conſiliarium Vinarienſem, cui multum cum Campanella fuit commercii, aliquam partem habuiſſe fraternitatis. Alii Aegid. Gutmannum, de quo poſt, addunt: alii, inter quos FISCHLINVS in *Vitis Theolog. Wirtemb. T. II. p.* 133, eiusdem auſpiciis hanc ipſam coaluiſſe perhibent. Quocunque res modo comparata ſit, hoc facile perſpicitur,

citur, fratres Roſaecrucianos iſto nomine latere voluiſſe, quo, tamquam pone Apellis tabulam, experirentur de inſtituto, prolataque in medium ſacrorum emendatione, diuerſorum iudicia. Chymica intermiſcuerunt etiam: neque tamen ciniflonum iſta, ſed ex veris naturae arcanis, probaturi, quam recta vel ex iisdem Dei ſit cognitio petenda. Ipſum eorum nomen eſt Chymicum, neque poteſtatem eius capiunt, niſi qui ſtilum, rationi Chymicorum familiarem, callent. Non enim, quod multi ſibi perſuaſere, compoſitum eſt ex *roſa* et *crux*, verum ex vocabulis *ros* et *crux*. Ros corporum naturalium omnium potentiſſimum eſt ad aurum diſſoluendum. Crux vero eorum, qui ex igne ſapiunt, ſtilo idem quod *lux* eſt, quia figura crucis ✠ tres illas litteras, quae nomen *lux* formant, vna exhibet. Lucem haec ſecta vocat *ſemen*, ſiue *menſtruum draconis rubri*, ſiue craſſum illud et corporeum lumen, quod probe coctum et digeſtum aurum producit. *Roſaecrucianus* igitur philoſophus eſt, qui ope roris lucem, id eſt materiam lapidis philoſophorum quaerit. Reliquae nominis huius interpretationes falſae ſunt et inanes. Debeo iſtam obſeruationem IOH. LAVR. MOSHEMIO *Inſtit. Hiſtor. eccleſ. antiquae et recent. Helmſt. 1755. 4. mai. p. 852.* Vix innotuerat haec Societas, quum in omnium ore verſaretur. Non deerant, qui ambabus adplauderent manibus, et, quam propoſuerant fratres reformationem cupidiſſime adpeterent. Alii contra nitebantur, et libros ab iis editos, veluti malum peſte ac diabolo grauius, eſſe fugiendos pronunciabant. Inter illos, qui ſcriptis defendere inſtituti rationem conati ſunt, minimus non eſt ROBERTVS FLVDD, ſiue A FLVCTIBVS, armiger et Medicinae Doctor apud Britannos, a quo accepimus *Apologiam compendiariam, fraternitatem de roſea Cruce ſuſpicionis et infa-*

miae

miae maculis adſperſam, veritatis quaſi fluctibus ablu- entem et abſtergentem. Lugd. Bat. a. 1616. in 8. Succeſſit *ibid. eademque forma a.* 1617. *Tractatus apologeticus, integritatem Societatis de roſea Cruce defendens, in qua probatur contra D. Libauii, et aliorum eiusdem farinae, calumnias, quod admirabilia nobis a Fraternitate R. C. oblata, ſine improba Magiae impoſtura, aut diaboli praeſtigiis et illuſionibus praeſtari poſſint.* Vterque liber, vt omnes fere huius Auctoris, admodum rarus eſt, obſeruante id, praeter plures, CLEMENT in *Bibl. de livres dificiles à trouver, Tomo VIII. p.387.* quo et loco ex Praefatione Fluddi nonnulla memorantur, quae docent, Apologiam compendiariam inſertam ſimul eſſe libro poſteriori. En! ipſa verba: *Ego tibi, (Lector beneuole,) opuſculo hoc noſtro duplicem Apologiam conſeui. Cuius priorem nundinis vernalibus (ſub titulo compendiarii apologetici) editam (quoniam praecurſoris et nuntii loco Apologiae cuiusdam plenioris his nundinis autumnalibus prodituræ et in lucem exiturae inſeruiebat,) maioris noſtrae Apologiae, iam emiſſae, Prooemium feci.* Eodem *anno* 1617. publicauit Fluddus porro: *Summum bonum, quod eſt verum verae Magiae, Cabalae, Alchymiae, fratrum R. C. verorum ſubiectum,* hisque ſcriptis, iudice WALCHIO *l. c. p. 98,* praebuit ſe hominem, ſuperſtitioſarum artium ſtudioſum, ac maiore ingenii, quam iudicii, facultate praeditum. Sic etiam IVLIVS SPERBERVS *Gedani a,* 1616. *in 8.* luci expoſuit *Echo der von Gott hocherleuchteten Fraternitaet des löblichen Ordens roſeae Crucis,* et MICH. MAIERVS ſcripſit defenſionem Latine, *Frf. anno* 1617. *in* 8. moxque iterum hoc titulo Germanice excuſam: *Silentium poſt clamores, das iſt, Apologie vnd Verantwortung wieder etlicher clamanten Verlaeſterungen wieder die Fraternitaet des Roſencreutzes:* praeterea vero *Themidem auream, hoc eſt, de legibus Fraternitatis R. C.*

Tractatum, qui *anno* 1618. denuoque in linguam conuerſus Germanicam, *Francof. eod. a. in 8.* prodiit. Eorum contra, qui calamo Roſaecrucianos oppugnarunt, praecipuus laudatur, quia vitam ac doctrinam eorundem ſatis adcurate diiudicauit EVSEB. CHRIST. CRVCIGERVS; cuius *kurtze Beſchreibung der neuen Arabiſchen vnd Moriſchen Fraternitaet, laut ihrer eignen Famae vnd Confeſſionis*, caet. *Lichtenbergae in* 8. ſine anni indicio publicam lucem adſpexit. Eodem conſilio *anno* 1618. *in 8.* typis impreſſa HENR. NEVHVSII *pia et vtiliſſima admonitio de fratribus R. C. an ſint? quales ſint? vnde nomen illud ſibi adſciuerint? et quo fine eiusmodi famam ſparſerint?* Huic tamen EVCHAR. CYGNAEVS reſpondit in libro, cui titulus: *Conſpicilium notitiae, inſeruiens oculis aegris, qui lumen veritatis ratione ſubiecti, obiecti, medii et finis ferre recuſant, oppoſitum admonitioni futili Henr. Neuhuſii de Fratribus R. C.* Exiit *anno 1619. in 8.* Praeter Neuhuſium contra dictam Fraternitatem CHRISTOPH. NIGRINVS *Frf. eod anno*, *eadem*que *forma* produxit *Sphyngem roſaceam, d. i. der Entdeckung der Brüderſchafft des löblichen Ordens des Roſencreutzes, vnd deren Famae vnd Bekaentnis ohngefährliche Muthmaſſungen, darinnen die erſten Autores, ihr Glaubensbekaentnis, vnd myſteria an Tag gegeben werden.* Auctor hic omnia Crypto-Caluinianis imputat, qui, vt arbitratur, hoc ſub commento ſuum diſpergere venenum non dubitent. Eo licet ipſe ſit infectus, negandum tamen non eſt, eundem pſeudonymos multos, ſcriptorum potiſſimum theologicorum architectos, indicauiſſe detracta larua. Alii moderatione ac modeſtia, in certaminibus litterariis tam neceſſaria, penitus neglecta, perquam acerbe Roſaecrucianos adgreſſi ſunt, quos inter vehementia caeteros vicit ANDR. LIBAVIVS; primus olim Gymnaſii Coburgenſis Director,

rector, in *den wohlmeinenden Bedencken von der Fama vnd Confeſſion der Brüderſchaft des Roſencreutzes, Frf. a. 1616. in 8.* Plura, quae huc pertinent, congeſſit WALCHIVS *l. c. p.* 97. *ſq.* Add. *Catalogus Bibl. Bünav. Tomo I. Vol. I. p.* 997. *ſq.* Id ſaltim adhuc monendum, in ſcriptorum, quae nomen fratrum Roſaecrucianorum praeferunt, catalogo multa reperiri ſpuria et ſuppoſita, a lucri cupidis hominibus euulgata, quum magno pretio eadem diuenderentur. Subiicere iuuabit etiam verbis BRVCKERI *l. c. p.* 737. quae iſthaec Societas confinxerit, ſibique vindicauerit, arcana; ſcilicet 1.) ſingularem a diuina beneuolentia reuelationem ſodales accepiſſe, huiusque beneficio plurimorum et maximorum myſteriorum acquiſiuiſſe notitiam, ea quoque, velut veros Theoſophos, explicare poſſe, quum adiuuante lumine gratiae, ad colluſtrandum naturae lumen ſint maxime idonei: 2.) vniuerſalem eruditionis omnis, per quoscunque ſtatus et vitae genera, emendationem eos moliri, et ad emendandos doctorum naeuos, maxime Medicorum et Philoſophorum, ſeſe accingere; 3.) poſſidere eos lapidem Philoſophorum, eiusque adminiculo tincturam, ſiue medicinam vniuerſalem, artemque mutandorum metallorum, nec non arcanam vitae prolongandae ſcientiam fuiſſe adeptos: 4.) noſſe ipſos ac praedicere, quod ſaeculum inſtet aureum, omni felicitate abundantiſſimum.

Memini antea AEGIDII GVTMANNI, quem Roſaecrucianorum addictum ſectae, fanaticumque fuiſſe, dubio caret. Sueuia genuit hominem, qui praecipue innotuit libro, cura cuiusdam, ſine nominis eius indicio, *Hanouiae a.* 1619. *in.4.* emiſſo, atque ſic inſcripto: *Offenbahrung göttlicher Mayeſtat, darinnen angezeygt wird, wie Gott der Herr anfäng-*

lich ſich allen ſeinen Geſchöpffen mit Worten vnd Wercken geoffenbaret, vnd wie er alle ſeine Werck, derſelben Art, Eygenſchafft, Krafft vnd Würckung, in kurtze Schrifft artlich verfaſſet, vnd ſolches alles dem erſten Menſchen, den er ſelbſt nach ſeiner Bildnus geſchaffen, vberreycht, welches denn bis daher gelangt iſt. Rariſſima haec editio, propter paucitatem exemplarium, quorum vnicum in Belgio aliquoties centum Imperialium pretio redemtum dicitur: imo ſunt, qui adfirmant, librum Duci cuidam Würtembergico ad deſcribendum fuiſſe conceſſum, at numeratis prius poſſeſſori aliquot Florenorum millibus, ſeu, quod propius accedere ad veritatem videtur, aliquot Florenorum centenis, vti referunt THEOPH. SINCERVS in *den Nachr. von alten raren Büch. Parte I. p. 230.* et quodammodo etiam ENGELIVS in *Bibliotb. ſua ſelectiſſ. P. II. p. 31.* Tanta librum raritate vt exueret, HENR. AMMERBACHIVS, Miniſterii Halberſtadienſis Senior, *Amſtael. et Frf. ad M. a.* 1675. *in* 4. nouam exhibuit editionem. Vere haec Halberſtadienſibus eſt typis impreſſa: et quibusdam exemplaribus nec locus, nec annus adſcriptus. REIMMANNO in *Catal. Bibl. theol. p.* 683. teſte, pagina paginae, et numerus numero reſpondet in editione hac altera; turbatus tamen Prolegomenorum ordo, truncata Praefatio, voces quaedam ac phraſes plane mutatae, quaedam etiam omiſſae, inſcriptiones item librorum omnium ſunt reſectae, quarum in locum ſucceſſerunt Scholia Editoris haud magni momenti. Ex Iacobi tandem Boehmii libellis collegit quaedam, vnoque coniunxit faſciculo, vt ad manus eſſent legentibus Gutmanni Cogitationes, et Syſtematis huius ex duabus Partibus compoſiti, Partem conſtituerent quaſi tertiam, qua de re iam ſupra dixi *ſ. XVI.* Spectant vtique ad poſte-

rioris editionis hiſtoriam, quae CHRIST. THOMASIVS in *Cautelis circa Iurisprud. eccleſ. p. 41.* attulit, his quidem verbis: *Amersbachius curabat nouam editionem, perſuadens ſibi exinde multas diuitias, ſed Miniſterium Tripolitanum edito ſcripto* (*Hamburgi* 1677. *in 8.* Intelligitur autem Miniſterii Lubecenſis, Hamb. et Luneburgenſis *abgenöthigte Lehr- vnd Schutzſcrift wieder den Gutmanniſchen Offenbahrungs-Patron*, vbi, praemiſſa narratione hiſtorica, *Cap. II.* Praefatio Editoris, et *Cap. III.* ipſa Gutmanni dogmata peruerſa fuſe refelluntur. Auctorem fuiſſe SAM. POMARIVM, Superintendentem Lubecenſem, qui vero mordacitate verborum ſit vſus magis, quam rerum et argumentorum pondere, REIMMANNVS docet, *l. c. p.* 716.) *contra illud Opus et Amersbachium impetrabat eius confiſcationem, donec tandem ante 15. annos* (ſcripſerat haec Thomaſius anno circiter 1711, vel 1712.) *neſcio, quo fato, exemplaria hactenus confiſcata iterum publice diſtraherentur.* En! cauſſam, cur ſaeculi huius initio liber tam rarus, vti antea, non fuerit. Hodie tamen rem aliter ſe habere, ac difficillime reperiri editionem alteram, forte, quod prima quaeſita ſit praecipue, ad chartas emporeticas reiectam, arbitratur CLEMENT, qui ſcitu neceſſaria hoc de libro congeſſit, *l. c. Tomo IX. p.* 335. Pergit Thomaſius: *Odium Cleri Auctor non ſolum heterodoxia, ſed et inuectiuis in corruptionem ſtudiorum academicorum et Miniſterii eccleſiaſtici ſibi attraxit. Contra cauſſa, cur ab aliis nimis aeſtimatus fuerit, primaria videtur adſcribenda eſſe, quod alchymiſtae, videntes hunc librum commendari a fratribus Roſeae Crucis, putarent artem alchymiſticam ibi latere.* Omne tractationis argumentum conſiſtit in Commentario in priores quinque verſiculos Capitis I. Geneſeos, quo integra mundi procreati hiſtoria proponi-

ponitur per quaeſtiones varias, ac tales quidem, quae ex vniuerſa Theologia, rerumque ſublimium arcanis ſunt petitae. Attentum profecto reddunt quaeſtiones ſingulae Lectorem, vt ſummo cum ardore deciſionem exſpectet. Verum enim vero vel nihil adfert certi, vel frigide ſatis rem declarat, plerumque dicit etiam, de hac materia integrum librum a Profeſſoribus eſſe concinnandum. Communem tamen, quod iam Thomaſius obſeruauit, eruditorum inſcitiam, quod ardua derelinquentes in rebus friuolis haereant, reprehendit, peruerſos Clericorum mores tangit, corruptamque et miſeram ſtatus cum ciuilis, tum eccleſiaſtici, conditionem deplorat. Rudis vocari Gutmannus nequit, at magis ingenio, quam iudicio, polluit. Inde multa paradoxa incurrunt in oculos. Quaedam interim, quae immiſcuit, altiori digna ſunt contemplatione, v. g. quae *libro IV. cap. 32. p. 79.* exſtant, vbi non obſcura inueniuntur circulationis ſanguinis veſtigia, quum Auctor tamen ante vixerit, quam Gvil. Haruaeus in lucem fuerat editus. Vid. REIMMANN. *l. c. p.* 682.

§. XIX.

Pergimus ad libros PROPHETICOS, rerum publicarum mutationes, caſusque varios, praedicentes, quos recenſere omnes nimium foret. Indicabimus igitur potiores tantum. Inter tales habemus IOH. LICHTENBERGERI, Eremitae, patria Lichtenbergenſis in Alſatia, quo a loco et cognomen accepit, *Prognoſticationem ſuper magna Saturni et Iouis coniunctione anni 1484.* Antiquiſſima, quantum explorare licuit, eſt editio Latina, quae *Coloniae a.* 1526. *in* 8. abſoluta. Hanc excepit Germanica *Vitemb. a.* 1527. *in 4.* cum Praefat. MART. LVTHERI, ac figuris ligno inciſis. Succeſſit *Colon. a.* 1528.

a. 1528. noua, ſimul interpretatio etiam Germanica *e. anno, in 8.* De vtroque hoc exemplari ENGELIVS in *Bibl. ſelectiſſ. Spicilegio*, poſt *Partem II. p.* 17. ſcribit, libri admodum rari eſſe editiones rariſſimas. STRVVIVS hoc produxit loco *Pariſienſem a.* 1530. *in* 4. et VFFENBACHIVS in *Catalogo Bibliotb. Tomo I. p.* 896. *Francofurtenſem anni* 1532. *in* 4. eamque Germanicam, cuius en! titulum: *Zwölff Sybillen-Weiſſagungen. Der Kunigin von Saba, Kunig Salomo gethane Prophecien. Merckliche künftige Ding von S. Brigitten, Cyrillo, Ioh. Lichtenbergern,* caet. TENTZELIVS vero in *den monathl. Vnterred. anni* 1689. vbi de ſcripto hoc, et ipſius Auctore, *p.* 844. et *p.* 978. *ſq.* varia notabilia memorat, *anno* 1620. cum Carionis, Grunbeckii, et aliorum huius argumenti Opuſculis, item *a.* 1549. cum Theophr. Paracelſi, Grunbeckii, Carionis, Sybillarum caet. Vaticiniis, ac *Frf. ad M. a.* 1551. *in* 8. Germanice, adiectis figuris, librum prodiiſſe, poſtremamque editionem eſſe inſcriptam adſerit *die Weiſſagung Iohannis Lichtenbergers deutſch, mit ſchoenen Figuren.* Quae ex eiusdem *Poſtilla* circumferuntur praedictiones, eae quidem non leuibus adhuc laborant dubiis: certe TENTZELIVS eiusmodi Poſtillam alicubi exſtare negat. Cf. VOGTII *Catal. libr. rar. p. m.* 412. Praecipue hic mentio iniicienda.

MICH. NOSTRADAMI, Doctoris olim medici Monspelienſis. Lucem quippe adſpexerunt *Lugd. a.* 1594. *in* 8. *Les vraies Centuries et Propheties de Maitre Michel Noſtradamus, Franc. et Lat. per Ioh. Auratum, cum Commentar. eiusdem.* Aliam editionem Waesbergii exhibuere *Amſtael. a.* 1668. *in* 12. quae Centurias XII. tetraſtichorum, inque his ipſis praedictiones continet. Sed non omnes fuerunt collectae. Idem porro liber, cum vita Auctoris, Gallice diuulgatus eſt *Colon. a.* 1689. *in* 8. Multae fue-

fuerunt, MORHOFIO teſte, *Polyb. litt. Tomo I. libro 1. cap. 10. p. m. 93*, hominum eruditorum ſuper eo diſputationes: quidam enim impoſtorem, quidam magnum credidere Noſtradamum. Aliqui e contrario virtutem in eo propheticam deprehendere ſibi ſunt viſi. Atque hanc eſt opinionem complexus Anonymus in Apologia, Gallico ſermone exarata, cui titulus: *Eclairciſſement, des veritables Quatrains de Maiſtre, Noſtradamy, Docteur et Profeſſeur en Medecine.* Morhofius, cui hanc debeo notitiam, quique plura, ad rem praeſentem ſpectantia, congeſſit, haud notauit, quo loco, quo anno, excuſa ſit iſthaec Apologia; nec id fecerunt alii, quos contigit conſulere. Interim non ſine cauſſa ſuſpicor, eandem in manibus habuiſſe Morhofium. Huius ex relatione intelligimus, Anonymum *§. VI.* recenſere varia a Noſtradamo praedicta, quae a ſolo dependent arbitrio humano, et proinde iudicare ipſum, ea non niſi ad diuinam quandam referri poſſe inſpirationem: multa Noſtradamo a typographis lucripetis ſuppoſita fuiſſe, quae occaſionem calumniae dederint, quum deſtitueret ea euentus. Addantur THEOPH. SINCERVS in *den Nachr. von alten vnd raren Büch. P. I. p. 321. ſq.* et REIMMANNVS in *Catal. Bibl. theol. p. 684.* cuius verba haec ſunt de Vitembergenſi editione: *Opuſculum infrequens, idiomate Latino ab Auctore concinnatum, et poſtea in linguam Germanicam translatum, editumque cum Praefatione Lutheri, qui vatem hunc in quibusdam lapſum eſſe, inficiari ſe non poſſe ſcribit; ſed addit inſimul, quaedam non temere ab eo eſſe praenunciata; adeoque ſe eius auguria non prorſus poſſe aſpernari. A quo toto, quod aiunt, coelo abit P. I. Spenerus*, qui in *conſiliis Theol. P. I. Sect. 66. p. 311. haec vaticinia ab impoſtore congeſta ſcribit, ad credulos lectores circumuenien-*

niendos. Ad cuius ſententiam et nos fere accedimus. Qui Opuſculum hoc verſantes obſeruauimus 1.) ipſum auctorem ſuae artis incertitudinem agnoſcere, 2.) tot fere ex aliis congerere vaticinia, quot ex aſtrorum oeconomia ipſe praedixit, 3.) SS. Oraculis vt plurimum inepte vſum, 4.) euentus, ſi non omnes, plerosque tamen a praedictionibus eſſe alieniſſimos.

Huc etiam facit Collectio Latina Reuelationum, ab a. 1616. vsque ad a. 1656. continuatarum, quarum haec eſt inſcriptio: *Lux in tenebris, h. e. Prophetiae donum, quo Deus Eccleſiam euangelicam --- dignatus eſt.* caet. Reperiuntur iſto in libro patefactiones CHRISTOPH. KOTTERI, CHRISTINAE PONIATOVIAE et NICOL. DRABICII, lingua primum Bohemica litteris mandatae, poſt vero a IOH. AMOS COMENIO translatae in Latinam editaeque *anno* 1657. *in* 4. Mille interpoſitis impedimentis admodum timide hoc in negotio verſatus Comenius fuit; verebatur quippe tam comminationes diuinas, ſi negligeret, quam cenſuras humanas, ſi ſuſciperet editionem, et vaticinia euentu deſtituerentur. Inde factum, vt pauciora modo exemplaria excudenda curarit, quibus variae figurae minores, aeri inciſae, acceſſerunt. Sequuta eſt *anno* 1659. *in* 4. altera editio, nominata *Hiſtoria Reuelationum Chr. Kotteri, Chriſt. Poniatouiae et Nicol. Drabicii*, caet. quae mutila tamen, quum, praeter Comenii Praefationem ampliſſimam, in qua adſerere conatur, donum futura praedicendi nondum Eccleſiae Dei eſſe ſubtractum, complura alia deſiderantur. Interim ferunt, omnia prope exemplaria coemta fuiſſe a Galliarum Rege, Ludouico XIV, teſte BÜNEMANNO in *Catalogo MStor. et libror. rariſſ. p. 107. n. 162.* Tum ipſe Comenius *anno* 1663. *in* 8. dedit *Epitomen Reuelationum diuinarum in vſum ſaeculi no-*

ſtri

plis Koelerus oſtendit, vana fuiſſe nominis male ſani vaticinia, tandemque tragicum ipſius exitum refert. Quoniam enim non raro frena laxarat calumniae, inque Reges ac Principes admodum erat iniurioſus, praecipue autem Domum Auſtriacam, nec ſolum Ferdinandum III, ſed Leopoldum etiam Imperatorem horrendis inuaſerat conuiciis, ac diris deuouerat, omnis praeterea vaticiniorum ratio ad gentes concitandas, ad bella conflanda, ad ſeditiones commouendas videbatur vnice comparata, miſer homo, tamquam laeſae diuinae humanaeque Maieſtatis reus, rebellionis auctor, ac pacis publicae turbator, Poſonii menſe Iulio anni 1671. iuſſu Caeſareo peracerbum, iuſtoque omnino grauius, ſubire ſupplicium debuit. Publico quippe in foro dextra eius a carnifice deſecta, mox caput quoque gladio amputatum, et lingua inde exſciſſa ſtipiti infami adfixa eſt. Truncus denique, vna cum capite ac dextra, et libello ipſius vaticino, carro iniectus carnificis, et extra vrbem, penes patibulum, magnae lignorum ſtrui illatus, combuſtus, inque cineres redactus fuit. Ante obitum funeſtum Drabicius, eiurata doctrina ſua, Pontificiorum amplexus eſt ſacra, ſuaſu impulſuque Ieſuitae cuiusdam Bohemici, quod nonnulli quidem negant, Koelerus autem ſub finem ſcripti ſui perquam veriſimile reddidit. Quod in BIDERMANNI *Actis Scholaſticis Vol. VII. p. 246. ſq.* occurrit CASP. IENCHENII Progr. *Veſaliae a. 1746. in 4.* editum, et praecipua vitae mortisque Drabicii capita exponens, illud certe nihil continet noui; nec perſpexi ex recenſione, cognitam Auctori Diſſertationem Koelerianam fuiſſe.

§. XX.

Damnatorum librorum catalogo inſeruntur etiam a non nullis CABBALISTICI. *Deſcribit* BRVCKERVS in *Hiſtor. crit. Philoſoph. Tomo II. p. 832*

Cabba-

Cabbalam his verbis: *Ea nobis* Metaphyſicam Iudaicam *exbibet, quae ſublimius et μυστικωτέρως de Deo diuinisque rebus philoſophari viſa, deſertis Moſaicis veſtigiis, licet contrarium profiteretur, gentiles ſemitas ſequuta eſt.* Eius contaminatae Philoſophiae origines non ad Esdram, ſed potius ad Aegyptios, et quidem Reges Ptolomaeos, eſſe referendas, ſuperiori Capite *p. 690.* iam demonſtrauerat Vir doctus. Idem *p. 834. ſq.* de R. Akibha, et R. Schimeon Ben Iochai agit, quorum ille ſaeculo poſt C. N. primo, alter ſaeculo II. magnam nominis celebritatem in profundiori Philoſophiae cabbaliſticae cognitione conſequutus eſt. Poſt Iochaidis vero aetatem a Saeculo III. vsque ad Saec. X. exiguam huius ſtudii notitiam in ſcriptis Iudaeorum chronologicis et litterariis occurrere addit. Dixi ſupra, libros eiusmodi plane reiici a quibusdam; cuius rigoris cauſſa eſt, quod perſuaſum ſibimet habent, Cabbalam Atheiſmo ianuam aperire. At quamquam non deſunt, qui peruerſis vſi ſuere fundamentis: alii tamen, atrum ab albo probe ſecernentes, in veris Cabbalae principiis recte Philoſophiae fontem repererunt. Interim harum rerum peritiores exiguum eſſe in corroboranda religionis Chriſtianae veritate iſtius ſtudii vſum adfirmant. Id etiam concedunt, ſcripta cabbaliſtica antiquiora, qualia ſunt Soharica, Iezirah, Bahis, et ſimilia, tanta caligine, tam denſa nocte repleta, tantaque confuſione exarata eſſe, vt aeque facile ſit, quadrata et rotunda ex iis eruere, eademque veriſimilitudine dogmata effingere e diametro ſibi aduerſa. Vid. plura apud laudatum BRVCKERVM *l. c. a p. 1058.* vsque ad finem. IOH. PISTORIVS, Nidanus, Medicinae Doctor, et March. Badenſi olim a conſiliis, collegit, ac *Baſileae a. 1587. in f.* edidit *Artis cabbaliſticae, hoc eſt, reconditae Theologiae et Philoſophiae*

 Scri-

Scriptorum Tomum I. In Opere hoc rariori, cuius Tomus II. ab Editore in Praefatione promiſſus non prodiit, exhibentur, iuſſu ſummi alicuius et primarii Principis Germaniae, PAVLI RICII ſcripta, IOH. REVCHLINI *ars cabbaliſtica*, et plura alia. Vid. VOGTII *Catal. libr. rar.* v. Piſtorius, nec non REIMANNI *Catal. Bibl. theolog. p. 871.* cuius hoc eſt de conatu Piſtorii iudicium: *Sane comprehendit hic Tomus ſcriptores varios Cabbaliſticos, Chriſtianos et Iudaicos, non facile obuios, ipſa etiam haec Collectio iam rarenter occurrit in tabernis litterariis; Sed qui in ea continentur Doctores, omnes ſunt recentioris aeui, et auctoritate claſſica deſtituti, vt nec antiquitate, nec dignitate cum Auctoribus librorum* Iezira, Bahir *et* Sohar *comparandi. Et Piſtorius ipſe dum in Praef. pollicetur, ſe in Tomo II. daturum* Maiorum gentium *Cabbaliſtas, fatetur tacite, hos Deos eſſe* Minorum gentium. Hactenus Reimmannus. Inter recentiores Cabbalae principiis nituntur HENR. MORVS et CHRIST. KNORRIVS a ROSENROTH.

Ac de Moro quidem obſeruat BRVCKERVS *l. c. Tomi IV. P. 1. p. 439.* neminem, quam hunc, ſaeculo praeterito Philoſophi Platonico-cabbaliſtici nomen vel meliori iure meritum eſſe, vel maiori eruditione tueri ſategiſſe. Et *p. 441.* ſubiicit, quod eumdem occupauerit opinio, late tunc in Schola regnans Cantabrigienſi, in qua litteris operam dederat, vetuſtiſſimam Ebraeorum ſapientiam ad Pythagoram, et ab eo ad Platonem, eiusque diſcipulos, perueniſſe, atque eorum ex ſcriptis, reiectis alienigenis, primaeuae et arcanae veritatis erui rudera poſſe. Quum autem Philoſophiam cabbaliſticam ex eodem manaſſe fonte crederet, ſibique haberet perſuaſum, ſumma illa myſteria recludi ab hisce magiſtris, quibus ad verae diuinaeque ſapientiae radios

radios conſpiciendos graſſari licet, totum ſe iſti Philoſophiae generi conſecrauit, ita tamen, vt rationem quoque liberam vocaret in ſubſidium; vnde tria philoſophiae ſuae fundamenta conſtituit, ſcripturam, Platoniſmum, et rationem liberam. Quibus totum philoſophiae ſuae aedificium ſuperſtruxit, eamque libris, profundas cogitationibus prae ſe ferentibus, explicuit, et contra obiectiones aliorum defendit. Id quod ita eſt ab eodem factum, vt Philoſophiam cabbaliſticam eſſe veram illam et antiquam ſapientiam oſtendere, et quid inter Pythagorae et cabbaliſtarum dogmata intercedat concordiae, exponere, ac in quibus cabbaliſtae recentiores a veteri ſapientia defecerint, declarare conaretur. Inde ſcripta enata ſunt huius argumenti, nimirum *Coniectura cabbaliſtica in tria prima capita Geneſeos*; *Defenſio Cabbalae triplicis*, litteralis, philoſophicae et myſticae; *Trium tabularum cabbaliſticarum decem Sephiroth, ſiue numerationes, exhibentium deſcriptio*, in qua Pythagoricae et cabbaliſticae Philoſophiae conſenſum demonſtrare voluit; et alia, quorum pleraque KNORRIVS *Tomo I. Cabbalae denudatae* inſeruit, teſtante BRVCKERO *l. c. p. 441.* Opera Mori theologica et philoſophica coniunctim prodiere Tomis III. *in f. Londini a. 1675. ſq.*

Subiicienda non nulla, quae ad Knorrium ſpectant. Is patria Sileſius Principi, ſeu Comiti Palatino, Solisbacenſi ab a. 1668. vsque ad a. 1689. quo ex vita diſceſſerat, a conſiliis ſanctioribus, atque per plures etiam annos a Concellariae, vt vocant, directione fuit. Litteris conſignauit non pauca, ſed omnia vel ficto, vel nullo plane adſcripto nomine diuulgauit. Collectanea eius manu exarata, inter quae ſunt multa autographa, caſu quodam obtinuit, ac deinde in Bibliothecam Auguſtam Guelpherbytanam

nam tranſtulit IAC. BVRCKHARDVS, ipſo id memorante in Vita ſua, *Catalogo librorum 4. 1748.* adiuncta, *p. 187. ſq.* Praecipuum Knorrii opus eſt iam nominata *Cabbala denudata*, qua libri difficillimi *Sohar* verſionem Latinam ex parte dedit, eiusque depellere tenebras adminiculis variis adlaborauit. Tomis abſoluitur duobus, iam admodum raris, quorum alter *Solisbaci anno 1677.* alter *Frf. ad M. a. 1684. in 4.* lucem adſpexit publicam. Prior Adparatum quadruplicem, poſterior ſpecimen Operis ipſius, cum introductione praemiſſa, et adpendice ſcriptorum diuerſorum cabbaliſticorum, Latine redditorum, continet. Vtrumque Tomum diligenter recenſuit IOH. FRANC. BVDDEVS *Introd. ad Hiſtor. philoſoph. Ebraeorum p. 232. ſq.* Laborem iſtum ſtupendum talium rerum periti plerique maximis encomiis, aliqui cenſura ſatis acerba, excepere, at ſine ratione ſolida. Quamquam enim ſingulares animo imbiberat Knorrius opiniones de veterum Ebraeorum dogmatibus cabbaliſticis; nemini tamen eas obtruſit, nec pertinaciter propugnauit, ſed ſaltim, tamquam problemata, virorum in hisce ſtudiis exercitatorum adcuratiori reliquit diſquiſitioni. Vide, vnde profeci, *Vitae Knorrianae curriculum* in KRAVSII *Nouis litterar. anni 1718. p. 191. ſq.*

Maiori iure damnanda videtur Cabbala HENR. KVNRATHI, Lipſienſis, anno 1605. Dresdae mortui. Inter alia, quae ſcripſit, hic ſibi locum vindicat *Amphitheatrum Sapientiae aeternae, ſolius verae, Chriſtiano-cabbaliſticum, diuino-magicum, nec non phyſico-chymicum.* Prodiit *Hanouiae anno 1609. in f.* aeneis ornatum figuris. Complures aliae paſſim editiones memorari ſolent, quarum tamen multos eſſe chimaericas arbitratur MOLLERVS *Cimbriae litt.*

Tomo

Tomo II. p. 440. Vbi de vita eius et ſcriptis agit. Laudibus hominem extulere non pauci; at veretur Mollerus, vt elogia huiusmodi eum ab Enthuſiaſmo, Chymicis familiari, et ſuperſtiti iam a non nullis obiecto, immunem fuiſſe, plerisque perſuadeant Theologis. Monet praeter haec STRVVIVS, figuras libri obſcuras ipſius dogmatibus peruerſis, atque aeque obſcuris, reſpondere. Conqueri ſimiliter de implicato, plenoque tenebrarum, dicendi genere, quo vſus eſt Kunrathus, IAC. GAFFARELLVM in *Curioſitatib. inauditis Cap. II. p. 267.* Mollerus profitetur idque verbis illius probat, quae ſunt ſequentia: *Hic, cum ſui ſimilibus, nullo alio fine ſcribere videntur, quam vt non intelligantur, ea ratione bellum naturae inferentes, quae linguam et ſermonem hominibus conciliauit, cuius beneficio alii aliis animi ſui ſenſa patefaciant.*

Anno huius ſaeculi *ſexto* non Romae, vt mentitur titulus, ſed *Roſtochii* vel *Berolini in* 8. aliquot plagulis excuſus eſt IOH. GE. WACHTERI *Elucidarius cabbaliſticus, ſiue reconditae Ebraeorum Philoſophiae breuis et ſuccincta recenſio.* Diſplicuit, propter dogmata ſanae religioni contraria, libellus iſte, raro nunc obuius, non paucis, inter quos REIMMANNVS occurrit memoriae, ſic diſſerens in *Catal. Bibl. theolog. p. 1047. Sole liquidius adparet, Spinozam vix vnquam habuiſſe apertiorem Promachum, quam Wachterum, qui non tantum in hoc Elucidario, ſed et in ſcriptis aliis, tum editis, tum ineditis, manifeſto Spinozizat, et a Spinozae doctrina, velut omnium ſcientiarum claue, in Theologia, Philoſophia, Iurisprudentia caet. putat faciendum eſſe exordium. Iniquus admodum Cabalae Iudaicae reſerator, ſi I. I. Syrbium audias in Diſſ. de origine Atheiſmi, §. 14. p. 11. ſq. cuius Doctores nouitios male confudit cum veteranis, iisque inuitis*

lich ſich allen ſeinen Geſchöpffen mit Worten vnd Wercken geoffenbaret, vnd wie er alle ſeine Werck, derſelben Art, Eygenſchafft, Krafft vnd Würckung, in kurtze Schrifft artlich verfaſſet, vnd ſolches alles dem erſten Menſchen, den er ſelbſt nach ſeiner Bildnus geſchaffen, vberreycht, welches denn bis daher gelangt iſt. Rariſſima haec editio, propter paucitatem exemplarium, quorum vnicum in Belgio aliquoties centum Imperialium pretio redemtum dicitur: imo ſunt, qui adfirmant, librum Duci cuidam Würtembergico ad deſcribendum fuiſſe conceſſum, at numeratis prius poſſeſſori aliquot Florenorum millibus, ſeu, quod propius accedere ad veritatem videtur, aliquot Florenorum centenis, vti referunt THEOPH. SINCERVS in *den Nachr. von alten raren Büch. Parte I. p. 230.* et quodammodo etiam ENGELIVS in *Bibliotb. ſua ſelectiſſ. P. II. p. 31.* Tanta librum raritate vt exueret, HENR. AMMERBACHIVS, Miniſterii Halberſtadienſis Senior, *Amſtael. et Frf. ad M. a.* 1675. *in* 4. nouam exhibuit editionem. Vere haec Halberſtadienſibus eſt typis impreſſa: et quibusdam exemplaribus nec locus, nec annus adſcriptus. REIMMANNO in *Catal. Bibl. theol. p.* 683. teſte, pagina paginae, et numerus numero reſpondet in editione hac altera; turbatus tamen Prolegomenorum ordo, truncata Praefatio, voces quaedam ac phraſes plane mutatae, quaedam etiam omiſſae, inſcriptiones item librorum omnium ſunt reſectae, quarum in locum ſucceſſerunt Scholia Editoris haud magni momenti. Ex Iacobi tandem Boehmii libellis collegit quaedam, vnoque coniunxit faſciculo, vt ad manus eſſent legentibus Gutmanni Cogitationes, et Syſtematis huius ex duabus Partibus compoſiti, Partem conſtituerent quaſi tertiam, qua de re iam ſupra dixi *ſ. XVI.* Spectant vtique ad poſte-

rioris editionis hiſtoriam, quae CHRIST. THOMASIVS in *Cautelis circa Iurisprud. eccleſ. p. 41.* attulit, his quidem verbis: *Amersbachius curabat nouam editionem, perſuadens ſibi exinde multas diuitias, ſed Miniſterium Tripolitanum edito ſcripto* (*Hamburgi* 1677. *in 8.* Intelligitur autem Miniſterii Lubecenſis, Hamb. et Luneburgenſis *abgenötbigte Lehr- vnd Schutzſcrift wieder den Gutmanniſchen Offenbahrungs-Patron*, vbi, praemiſſa narratione hiſtorica, *Cap. II.* Praefatio Editoris, et *Cap. III.* ipſa Gutmanni dogmata peruerſa fuſe refelluntur. Auctorem fuiſſe SAM. POMARIVM, Superintendentem Lubecenſem, qui vero mordacitate verborum ſit vſus magis, quam rerum et argumentorum pondere, REIMMANNVS docet, *l. c. p.* 716.) *contra illud Opus et Amersbachium impetrabat eius confiſcationem, donec tandem ante 15. annos* (ſcripſerat haec Thomaſius anno circiter 1711, vel 1712.) *neſcio, quo fato, exemplaria hactenus confiſcata iterum publice diſtraherentur.* En! cauſſam, cur ſaeculi huius initio liber tam rarus, vti antea, non fuerit. Hodie tamen rem aliter ſe habere, ac difficillime reperiri editionem alteram, forte, quod prima quaeſita ſit praecipue, ad chartas emporeticas reiectam, arbitratur CLEMENT, qui ſcitu neceſſaria hoc de libro congeſſit, *l. c. Tomo IX. p.* 335. Pergit Thomaſius: *Odium Cleri Auctor non ſolum heterodoxia, ſed et inuectiuis in corruptionem ſtudiorum academicorum et Miniſterii eccleſiaſtici ſibi attraxit. Contra cauſſa, cur ab aliis nimis aeſtimatus fuerit, primaria videtur adſcribenda eſſe, quod alchymiſtae, videntes hunc librum commendari a fratribus Roſeae Crucis, putarent artem alchymiſticam ibi latere.* Omne tractationis argumentum conſiſtit in Commentario in priores quinque verſiculos Capitis I. Geneſeos, quo integra mundi procreati hiſtoria proponi-

ponitur per quaeſtiones varias, ac tales quidem, quae ex vniuerſa Theologia, rerumque ſublimium arcanis ſunt petitae. Attentum profecto reddunt quaeſtiones ſingulae Lectorem, vt ſummo cum ardore deciſionem exſpectet. Verum enim vero vel nihil adfert certi, vel frigide ſatis rem declarat, plerumque dicit etiam, de hac materia integrum librum a Profeſſoribus eſſe concinnandum. Communem tamen, quod iam Thomaſius obſeruauit, eruditorum inſcitiam, quod ardua derelinquentes in rebus friuolis haereant, reprehendit, peruerſos Clericorum mores tangit, corruptamque et miſeram ſtatus cum ciuilis, tum eccleſiaſtici, conditionem deplorat. Rudis vocari Gutmannus nequit, at magis ingenio, quam iudicio, polluit. Inde multa paradoxa incurrunt in oculos. Quaedam interim, quae immiſcuit, altiori digna ſunt contemplatione, v. g. quae *libro IV. cap. 32. p. 79.* exſtant, vbi non obſcura inueniuntur circulationis ſanguinis veſtigia, quum Auctor tamen ante vixerit, quam Gvil. Haruaeus in lucem fuerat editus. Vid. REIMMANN. *l. c. p.* 682.

§. XIX.

Pergimus ad libros PROPHETICOS, rerum publicarum mutationes, caſusque varios, praedicentes, quos recenſere omnes nimium foret. Indicabimus igitur potiores tantum. Inter tales habemus IOH. LICHTENBERGERI, Eremitae, patria Lichtenbergenſis in Alſatia, quo a loco et cognomen accepit, *Prognoſticationem ſuper magna Saturni et Iouis coniunctione anni 1484.* Antiquiſſima, quantum explorare licuit, eſt editio Latina, quae *Coloniae a.* 1526. *in* 8. abſoluta. Hanc excepit Germanica *Vitemb. a.* 1527. *in 4.* cum Praefat. MART. LVTHERI, ac figuris ligno inciſis. Succeſſit *Colon. a.* 1528.

a. 1528. noua, ſimul interpretatio etiam Germanica *e. anno, in 8.* De vtroque hoc exemplari ENGELIVS in *Bibl. ſelectiſſ. Spicilegio*, poſt *Partem II. p.* 17. ſcribit, libri admodum rari eſſe editiones rariſſimas. STRVVIVS hoc produxit loco *Pariſienſem a.* 1530. *in* 4. et VFFENBACHIVS in *Catalogo Bibliotb. Tomo I. p.* 896. *Francofurtenſem anni* 1532. *in* 4. eamque Germanicam, cuius en! titulum: *Zwölff Sybillen-Weiſsagungen. Der Kunigin von Saba, Kunig Salomo gethane Prophecien. Merckliche künftige Ding von S. Brigitten, Cyrillo, Ioh. Lichtenbergern,* caet. TENTZELIVS vero in *den monathl. Vnterred. anni* 1689. vbi de ſcripto hoc, et ipſius Auctore, *p.* 844. et *p.* 978. *ſq.* varia notabilia memorat, *anno* 1620. cum Carionis, Grunbeckii, et aliorum huius argumenti Opuſculis, item *a.* 1549. cum Theophr. Paracelſi, Grunbeckii, Carionis, Sybillarum caet. Vaticiniis, ac *Frf. ad M. a.* 1551. *in* 8. Germanice, adiectis figuris, librum prodiiſſe, poſtremamque editionem eſſe inſcriptam adſerit *die Weiſſagung Iohannis Lichtenbergers deutſch, mit ſchoenen Figuren.* Quae ex eiusdem *Poſtilla* circumferuntur praedictiones, eae quidem non leuibus adhuc laborant dubiis: certe TENTZELIVS eiusmodi Poſtillam alicubi exſtare negat. Cf. VOGTII *Catal. libr. rar. p. m.* 412. Praecipue hic mentio iniicienda.

MICH. NOSTRADAMI, Doctoris olim medici Monspelienſis. Lucem quippe adſpexerunt *Lugd. a.* 1594. *in 8. Les vraies Centuries et Propheties de Maitre Michel Noſtradamus, Franc. et Lat. per Ioh. Auratum, cum Commentar. eiusdem.* Aliam editionem Waesbergii exhibuere *Amſtael. a.* 1668. *in* 12. quae Centurias XII. tetraſtichorum, inque his ipſis praedictiones continet. Sed non omnes fuerunt collectae. Idem porro liber, cum vita Auctoris, Gallice diuulgatus eſt *Colon. a.* 1689. *in* 8. Multae fue-

fuerunt, MORHOFIO teſte, *Polyh. litt. Tomo I. libro 1. cap. 10. p. m. 93*, hominum eruditorum ſuper eo diſputationes: quidam enim impoſtorem, quidam magnum credidere Noſtradamum. Aliqui e contrario virtutem in eo propheticam deprehendere ſibi ſunt viſi. Atque hanc eſt opinionem complexus Anonymus in Apologia, Gallico ſermone exarata, cui titulus: *Eclairciſſement, des veritables Quatrains de Maiſtre, Noſtradamy, Docteur et Profeſſeur en Medecine.* Morhofius, cui hanc debeo notitiam, quique plura, ad rem praeſentem ſpectantia, congeſſit, haud notauit, quo loco, quo anno, excuſa ſit iſthaec Apologia; nec id fecerunt alii, quos contigit conſulere. Interim non ſine cauſſa ſuſpicor, eandem in manibus habuiſſe Morhofium. Huius ex relatione intelligimus, Anonymum *§. VI.* recenſere varia a Noſtradamo praedicta, quae a ſolo dependent arbitrio humano, et proinde iudicare ipſum, ea non niſi ad diuinam quandam referri poſſe inſpirationem: multa Noſtradamo a typographis lucripetis ſuppoſita fuiſſe, quae occaſionem calumniae dederint, quum deſtitueret ea euentus. Addantur THEOPH. SINCERVS in *den Nachr. von alten vnd raren Büch. P. I. p. 321. ſq.* et REIMMANNVS in *Catal. Bibl. theol. p. 684.* cuius verba haec ſunt de Vitembergenſi editione: *Opuſculum infrequens, idiomate Latino ab Auctore concinnatum, et poſtea in linguam Germanicam translatum, editumque cum Praefatione Lutheri, qui vatem hunc in quibusdam lapſum eſſe, inficiari ſe non poſſe ſcribit; ſed addit inſimul, quaedam non temere ab eo eſſe praenunciata; adeoque ſe eius auguria non prorſus poſſe aſpernari.* A quo toto, quod aiunt, coelo abit P. I. Spenerus, qui in *conſiliis theol. P. I. Sect. 66. p. 311. haec vaticinia ab impoſtore congeſta ſcribit, ad credulos lectores circumuenien-*

niendos. Ad cuius ſententiam et nos fere accedimus. Qui Opuſculum hoc verſantes obſeruauimus 1.) ipſum auctorem ſuae artis incertitudinem agnoſcere, 2.) tot fere ex aliis congerere vaticinia, quot ex aſtrorum oeconomia ipſe praedixit, 3.) SS. Oraculis vt plurimum inepte vſum, 4.) euentus, ſi non omnes, pleroſque tamen a praedictionibus eſſe alieniſſimos.

Huc etiam facit Collectio Latina Reuelationum, ab a. 1616. vsque ad a. 1656. continuatarum, quarum haec eſt inſcriptio: *Lux in tenebris, h. e. Prophetiae donum, quo Deus Eccleſiam euangelicam --- dignatus eſt.* caet. Reperiuntur iſto in libro patefactiones CHRISTOPH. KOTTERI, CHRISTINAE PONIATOVIAE et NICOL. DRABICII, lingua primum Bohemica litteris mandatae, poſt vero a IOH. AMOS COMENIO translatae in Latinam editaeque *anno* 1657. *in* 4. Mille interpoſitis impedimentis admodum timide hoc in negotio verſatus Comenius fuit; verebatur quippe tam comminationes diuinas, ſi negligeret, quam cenſuras humanas, ſi ſuſciperet editionem, et vaticinia euentu deſtituerentur. Inde factum, vt pauciora modo exemplaria excudenda curarit, quibus variae figurae minores, aeri inciſae, acceſſerunt. Sequuta eſt *anno* 1659. *in* 4. altera editio, nominata *Hiſtoria Reuelationum Chr. Kotteri, Chriſt. Poniatouiae et Nicol. Drabicii,* caet. quae mutila tamen, quum, praeter Comenii Praefationem ampliſſimam, in qua adſerere conatur, donum futura praedicendi nondum Eccleſiae Dei eſſe ſubtractum, complura alia deſiderantur. Interim ferunt, omnia prope exemplaria coemta fuiſſe a Galliarum Rege, Ludouico XIV, teſte BÜNEMANNO in *Catalogo MStor. et libror. rariſſ. p.* 107. *n.* 162. Tum ipſe Comenius *anno* 1663. *in* 8. dedit *Epitomen Reuelationum diuinarum in vſum ſaeculi noſtri*

ſtri quibusdam nuper factarum, quae vero deſideria quorundam excitauit potius, quam ſedauit, qui reuelationum ſatiari fragmentis non poterant. Itaque ad editionem pleniorem et perfectiorem adornandam acceſſit, eandemque *anno* 1665. *in* 4. exhibuit, titulo ſic non nihil immutato: *Lux e tenebris, nouis radiis aucta, h. e. ſolenniſſimae diuinae Reuelationes, in vſum ſaeculi noſtri factae*, caet. Multum id ipſum exemplar diſtat a prioribus, eſt enim 1.) auctius Drabicii reuelationibus nouis 270, item rerum geſtarum hiſtoria, informatione, disquiſitione de veritate, apologia, et relatione, quaenam ex praedictis impleta ſint vel minus, et quomodo impleta ſint: ſubiectae paſſim etiam notae, obſcurius ſcripta illuſtrantes; 2.) longe adcuratius, omnibus ſecundum autographa vernacula recognitis; 3.) ornatius, ſiue typorum ſpectes formam, chartaeque nitorem et magnitudinem, ſiue inſerta argumentorum emblemata picta, iconesque hominum vaticinantium; 4.) vtilius et commodius, ob Indicem copioſiſſimum et ſumma cura confectum, qui fili eſt inſtar Ariadnaei in hoc labyrintho. Exempla huius libri in plurimorum Principum aulis diuulgata, vnumque et Imperatori Turcarum a Tigurino quodam ſacerdote oblatum fuiſſe dicitur. Vberius dictae recenſentur editiones, quas Belgium haud dubie produxit, et nunc temporis interuallum fecit rariores, in BAVMGARTENII *Nachr. von einer Hälliſch. Biblioth. Vol. VII. p.* 337. *ſq.* et FREYTAGII *Apparatu litter. Tomo III. p.* 776. *ſq.* Separatim Kotteriana Vaticinia, Germanice reddita, et *göttliche Offenbahrungen* inſcripta, *anno* 1664. *in* 8. *Amſtaelodami*, ſi quidem verus adiectus locus, prodiiſſe, docet *Catalogus Biblioth. Loeſcherianae, P. I. p.* 520. Poniatouiae autem *Hoechſtwunderſame Offenbahrungen*, ſine loci mentione, *anno* 1711. *in* 8.

lucem

lucem viderunt, vti obſeruaui in *Catal. Bibl. Vffenbach. Tomo I. p. 897.* Caeterum, quod ad Comenium attinet, ingenio ditatum a natura feliciſſimo, ſed aduerſis fatis vehementer adflictum, quae mala non parum auxit apocalypticarum viſionum imaginatio, euoluatur BRVCKERI *Hiſt. crit. Philoſ. Tomi IV. P. 1. p. 628. ſq.* De Drabicio autem, Neopropheta in Hungaria delirante ac turbulento, ſingularis exſtat et erudita Diſſ. IOH. DAV. KOELERI *Altorfii a. 1721.* typis impreſſa. Summa eius recenſetur in *Faſtis Acad. Altorfinae a. 1721. p. 163. ſq.* Ipſam Koelerianam Diſſertationem quum ante oculos habeam, non nulla exinde, praeter ea, quae iam ante deſcripſi, memorare iuuabit. Scilicet *p. 7. ſq.* legimus, complures eidem obueniſſe viſiones inde ab a. 1638. vsque ad diem 9. m. Iulii anni 1664. quo, vt ipſe dixit, iuſſu Dei ceſſarunt, Argumentum vniuerſum harum patefactionum fuiſſe reſtitutionem exſulum in priſtinas ſedes; poenam de Domo Auſtriaca et Pontificiis, ob libertatis et conſcientiae oppreſſionem, ſumendam; cataſtrophen ſequuturam eſſe vniuerſalem et rerum in melius mutationem, in primis ad frugem reditum gentilium, Iudaeorum, Turcarum, ac Tartarorum, tum vero congregationem Chriſtianorum vnum in coetum, deletis Sectarum quarumcunque nominibus. Terminum fatalem ingentis huius conuerſionis conſtitutum fuiſſe in patefactionibus a. 1653. eodem prorogato deinde vsque ad a. 1664. et 1665. Drabicii ex opinione auctorem iſtarum reuelationum non fuiſſe Angelum, multo minus hominem, ſed ipſum Deum trinunum, cuius tamen faciem nunquam viderit. Eueniſſe reuelationes per exſtaſin, per ſomnia, moxque per vocem viuam, euigilantis in aures penetrantem, clareque ac diſtincte ab eo perceptam. Compluribus deinde exem-

pliſ Koelerus oſtendit, vana fuiſſe nominis male ſani vaticinia, tandemque tragicum ipſius exitum refert. Quoniam enim non raro frena laxarat calumniae, inque Reges ac Principes admodum erat iniurioſus, praecipue autem Domum Auſtriacam, nec ſolum Ferdinandum III, ſed Leopoldum etiam Imperatorem horrendis inuaſerat conuiciis, ac diris deuouerat, omnis praeterea vaticiniorum ratio ad gentes concitandas, ad bella conflanda, ad ſeditiones commouendas videbatur vnice comparata, miſer homo, tamquam laeſae diuinae humanaeque Maieſtatis reus, rebellionis auctor, ac pacis publicae turbator, Poſonii menſe Iulio anni 1671. iuſſu Caeſareo peracerbum, iuſtoque omnino grauius, ſubire ſupplicium debuit. Publico quippe in foro dextra eius a carnifice deſecta, mox caput quoque gladio amputatum, et lingua inde exſciſſa ſtipiti infami adfixa eſt. Truncus denique, vna cum capite ac dextra, et libello ipſius vaticino, carro iniectus carnificis, et extra vrbem, penes patibulum, magnae lignorum ſtrui illatus, combuſtus, inque cineres redactus fuit. Ante obitum funeſtum Drabicius, eiurata doctrina ſua, Pontificiorum amplexus eſt ſacra, ſuaſu impulſuque Ieſuitae cuiusdam Bohemici, quod nonnulli quidem negant, Koelerus autem ſub finem ſcripti ſui perquam veriſimile reddidit. Quod in BIDERMANNI *Actis Scholaſticis Vol. VII. p. 246. ſq.* occurrit CASP. IENCHENII Progr. *Veſaliae a. 1746. in 4.* editum, et praecipua vitae mortisque Drabicii capita exponens, illud certe nihil continet noui; nec perſpexi ex recenſione, cognitam Auctori Diſſertationem Koelerianam fuiſſe.

§. XX.

Damnatorum librorum catalogo inſeruntur etiam a non nullis CABBALISTICI. *Deſcribit* BRVCKERVS in *Hiſtor. crit. Philoſoph. Tomo II. p. 832*

Cabba-

Cabbalam his verbis: *Ea nobis* Metaphyſicam Iudaicam *exhibet, quae ſublimius et μυςικωτέρως de Deo diuinisque rebus philoſophari viſa, deſertis Moſaicis veſtigiis, licet contrarium profiteretur, gentiles ſemitas ſequuta eſt.* Eius contaminatae Philoſophiae origines non ad Esdram, ſed potius ad Aegyptios, et quidem Reges Ptolomaeos, eſſe referendas, ſuperiori Capite *p. 690.* iam demonſtrauerat Vir doctus. Idem *p. 834. ſq.* de R. Akibha, et R. Schimeon Ben Iochai agit, quorum ille ſaeculo poſt C. N. primo, alter ſaeculo II. magnam nominis celebritatem in profundiori Philoſophiae cabbaliſticae cognitione conſequutus eſt. Poſt Iochaidis vero aetatem a Saeculo III. vsque ad Saec. X. exiguam huius ſtudii notitiam in ſcriptis Iudaeorum chronologicis et litterariis occurrere addit. Dixi ſupra, libros eiusmodi plane reiici a quibusdam; cuius rigoris cauſſa eſt, quod perſuaſum ſibimet habent, Cabbalam Atheiſmo ianuam aperire. At quamquam non deſunt, qui peruerſis vſi fuere fundamentis: alii tamen, atrum ab albo probe ſecernentes, in veris Cabbalae principiis recte Philoſophiae fontem reperêrunt. Interim harum rerum peritiores exiguum eſſe in corroboranda religionis Chriſtianae veritate iſtius ſtudii vſum adfirmant. Id etiam concedunt, ſcripta cabbaliſtica antiquiora, qualia ſunt Soharica, Iezirah, Bahis, et ſimilia, tanta caligine, tam denſa nocte repleta, tantaque confuſione exarata eſſe, vt aeque facile ſit, quadrata et rotunda ex iis eruere, eademque veriſimilitudine dogmata effingere e diametro ſibi aduerſa. Vid. plura apud laudatum BRVCKERVM *l. c. a p. 1058.* vsque ad finem. IOH. PISTORIVS, Nidanus, Medicinae Doctor, et March. Badenſi olim a conſiliis, collegit, ac *Baſileae a. 1587. in f.* edidit *Artis cabbaliſticae, hoc eſt, reconditae Theologiae et Philoſophiae*

Scriptorum Tomum I. In Opere hoc rariori, cuius Tomus II. ab Editore in Praefatione promiſſus non prodiit, exhibentur, iuſſu ſummi alicuius et primarii Principis Germaniae, PAVLI RICII ſcripta, IOH. REVCHLINI *ars cabbaliſtica*, et plura alia. Vid. VOGTII *Catal. libr. rar.* v. Piſtorius, nec non REIMANNI *Catal. Bibl. theolog. p. 871.* cuius hoc eſt de conatu Piſtorii iudicium: *Sane comprehendit hic Tomus ſcriptores varios Cabbaliſticos, Chriſtianos et Iudaicos, non facile obuios, ipſa etiam haec Collectio iam rarenter occurrit in tabernis litterariis; Sed qui in ea continentur Doctores, omnes ſunt recentioris aeui, et auctoritate claſſica deſtituti, vt nec antiquitate, nec dignitate cum Auctoribus librorum* Iezira, Bahir *et* Sohar *comparandi. Et Piſtorius ipſe dum in Praef. pollicetur, ſe in Tomo II. daturum* Maiorum gentium *Cabbaliſtas, fatetur tacite, hos Deos eſſe* Minorum gentium. Hactenus Reimmannus. Inter recentiores Cabbalae principiis nituntur HENR. MORVS et CHRIST. KNORRIVS a ROSENROTH.

Ac de Moro quidem obſeruat BRVCKERVS *l. c. Tomi IV. P. 1. p. 439.* neminem, quam hunc, ſaeculo praeterito Philoſophi Platonico-cabbaliſtici nomen vel meliori iure meritum eſſe, vel maiori eruditione tueri ſategiſſe. Et *p. 441.* ſubiicit, quod eumdem occupauerit opinio, late tunc in Schola regnans Cantabrigienſi, in qua litteris operam dederat, vetuſtiſſimam Ebraeorum ſapientiam ad Pythagoram, et ab eo ad Platonem, eiusque diſcipulos, perueniſſe, atque eorum ex ſcriptis, reiectis alienigenis, primaeuae et arcanae veritatis erui rudera poſſe. Quum autem Philoſophiam cabbaliſticam ex eodem manaſſe fonte crederet, ſibique haberet perſuaſum, ſumma illa myſteria recludi ab hiſce magiſtris, quibus ad verae diuinaeque ſapientiae

radios

radios conſpiciendos graſſari licet, totum ſe iſti Philoſophiae generi conſecrauit, ita tamen, vt rationem quoque liberam vocaret in ſubſidium; vnde tria philoſophiae ſuae fundamenta conſtituit, ſcripturam, Platoniſmum, et rationem liberam. Quibus totum philoſophiae ſuae aedificium ſuperſtruxit, eamque libris, profundas cogitationibus prae ſe ferentibus, explicuit, et contra obiectiones aliorum defendit. Id quod ita eſt ab eodem factum, vt Philoſophiam cabbaliſticam eſſe veram illam et antiquam ſapientiam oſtendere, et quid inter Pythagorae et cabbaliſtarum dogmata intercedat concordiae, exponere, ac in quibus cabbaliſtae recentiores a veteri ſapientia defecerint, declarare conaretur. Inde ſcripta enata ſunt huius argumenti, nimirum *Coniectura cabbaliſtica in tria prima capita Geneſeos*; *Defenſio Cabbalae triplicis*, litteralis, philoſophicae et myſticae; *Trium tabularum cabbaliſticarum decem Sephiroth, ſiue numerationes, exhibentium deſcriptio*, in qua Pythagoricae et cabbaliſticae Philoſophiae conſenſum demonſtrare voluit; et alia, quorum pleraque KNORRIVS *Tomo I. Cabbalae denudatae* inſeruit, teſtante BRVCKERO *l. c. p. 441.* Opera Mori theologica et philoſophica coniunctim prodiere Tomis III. *in f. Londini a. 1675. ſq.*

Subiicienda non nulla, quae ad Knorrium ſpectant. Is patria Sileſius Principi, ſeu Comiti Palatino, Solisbacenſi ab a. 1668. vsque ad a. 1689. quo ex vita diſceſſerat, a conſiliis ſanctioribus, atque per plures etiam annos a Concellariae, vt vocant, directione fuit. Litteris conſignauit non pauca, ſed omnia vel ficto, vel nullo plane adſcripto nomine diuulgauit. Collectanea eius manu exarata, inter quae ſunt multa autographa, caſu quodam obtinuit, ac deinde in Bibliothecam Auguſtam Guelpherbytanam

nam tranſtulit IAC. BVRCKHARDVS, ipſo id memorante in Vita ſua, *Catalogo librorum 4. 1748.* adiuncta, *p. 187. ſq.* Praecipuum Knorrii opus eſt iam nominata *Cabbala denudata*, qua libri difficillimi *Sohar* verſionem Latinam ex parte dedit, eiusque depellere tenebras adminiculis variis adlaborauit. Tomis abſoluitur duobus, iam admodum raris, quorum alter *Solisbaci anno 1677.* alter *Frf. ad M. a. 1684. in 4.* lucem adſpexit publicam. Prior Adparatum quadruplicem, poſterior ſpecimen Operis ipſius, cum introductione praemiſſa, et adpendice ſcriptorum diuerſorum cabbaliſticorum, Latine redditorum, continet. Vtrumque Tomum diligenter recenſuit IOH. FRANC. BVDDEVS *Introd. ad Hiſtor. philoſoph. Ebraeorum p. 232. ſq.* Laborem iſtum ſtupendum talium rerum periti plerique maximis encomiis, aliqui cenſura ſatis acerba, excepere, at ſine ratione ſolida. Quamquam enim ſingulares animo imbiberat Knorrius opiniones de veterum Ebraeorum dogmatibus cabbaliſticis; nemini tamen eas obtruſit, nec pertinaciter propugnauit, ſed ſaltim, tamquam problemata, virorum in hisce ſtudiis exercitatorum adcuratiori reliquit diſquiſitioni. Vide, vnde profeci, *Vitae Knorrianae curriculum* in KRAVSII *Nouis litterar. anni 1718. p. 191. ſq.*

Maiori iure damnanda videtur Cabbala HENR. KVNRATHI, Lipſienſis, anno 1605. Dresdae mortui. Inter alia, quae ſcripſit, hic ſibi locum vindicat *Amphitheatrum Sapientiae aeternae, ſolius verae, Chriſtiano-cabbaliſticum, diuino-magicum, nec non phyſico-chymicum.* Prodiit *Hanouiae anno 1609. in f.* aeneis ornatum figuris. Complures aliae paſſim editiones memorari ſolent, quarum tamen multos eſſe chimaericas arbitratur MOLLERVS *Cimbriae litt.*

Tomo

Tomo II. p. 440. Vbi de vita eius et ſcriptis agit. Laudibus hominem extulere non pauci; at veretur Mollerus, vt elogia huiusmodi eum ab Enthuſiaſmo, Chymicis familiari, et ſuperſtiti iam a non nullis obiecto, immunem fuiſſe, plerisque perſuadeant Theologis. Monet praeter haec STRVVIVS, figuras libri obſcuras ipſius dogmatibus peruerſis, atque aeque obſcuris, reſpondere. Conqueri ſimiliter de implicato, plenoque tenebrarum, dicendi genere, quo vſus eſt Kunrathus, IAC. GAFFARELLVM in *Curioſitatib. inauditis Cap. II. p. 267.* Mollerus profitetur idque verbis illius probat, quae ſunt ſequentia: *Hic, cum ſui ſimilibus, nullo alio fine ſcribere videntur, quam vt non intelligantur, ea ratione bellum naturae inferentes, quae linguam et ſermonem hominibus conciliauit, cuius beneficio alii aliis animi ſui ſenſa patefaciant.*

Anno huius ſaeculi *ſexto* non Romae, vt mentitur titulus, ſed *Roſtochii* vel *Berolini in* 8. aliquot plagulis excuſus eſt IOH. GE. WACHTERI *Elucidarius cabbaliſticus, ſiue reconditae Ebraeorum Philoſophiae breuis et ſuccincta recenſio.* Diſplicuit, propter dogmata ſanae religioni contraria, libellus iſte, raro nunc obuius, non paucis, inter quos REIMMANNVS occurrit memoriae, ſic differens in *Catal. Bibl. theolog. p. 1047. Sole liquidius adparet, Spinozam vix vnquam habuiſſe apertiorem Promachum, quam Wachterum, qui non tantum in hoc Elucidario, ſed et in ſcriptis aliis, tum editis, tum ineditis, manifeſto Spinozizat, et a Spinozae doctrina, velut omnium ſcientiarum claue, in Theologia, Philoſophia, Iurisprudentia caet. putat faciendum eſſe exordium. Iniquus admodum Cabalae Iudaicae reſerator, ſi I. I. Syrbium audias in Diſſ. de origine Atheiſmi, §. 14. p. 11. ſq. cuius Doctores nouitios male confudit cum veteranis, iisque inui-*

tis phraſes ad Spinozae principia accommodauit, et id impegit cunctis, quod paucorum eſt tantummodo, ſi quod eſt, peccatum. Addi poſſunt *die vnſchuld. Nachr. anni 1709. p. 417.* NICOL. HIERON. GVNDLINGII *Hiſtor. Philoſoph. moralis, Cap. VII. ſ. 4. p. 90. ſq.* et WOLFII *Bibl. Ebraea, Vol. II. p.* 1236. qui Auctor doctus toto libro ſeptimo huius Voluminis diligentiſſime de libris cabbaliſticis diſſeruit. Nec STRVVIVS, eiusque ſucceſſores, ſine fructu hac in re dimittent Lectores, ſi euoluere voluerint *Bibliothecae Philoſophicae Tomum I. p. 99. edit. nouiſſ. Kahlianae.*

§. XXI.

MYSTICI quamquam complures eorum non diſcrepant a fanaticorum et enthuſiaſtarum dogmatibus, tamen hic loci ſingularem poſtulant pertractationem. Iactant eiusmodi homines inhabitantem in ipſorum animis gratiam coeleſtem, donaque ſpiritus ſancti interna, et quia atra plerumque bile laborare ſolent, multa percipiunt ac vident, quae vires naturae ſuperant. Vulgo, vt paucis complectar omnia, *Theologiam cordis* ſe poſſidere profitentur. Commode de hoc argumento conſuli poteſt GODOFR. ARNOLDI *Hiſtoria et deſcriptio Theologiae myſticae ſeu Theoſophiae arcanae et reconditae, itemque veterum et nouorum myſticorum, Francof. a. 1702. in 8.* Germanica interpretatio ſtatim ſucceſſit *anno* 1703. *ead. forma.* Multam liber iſte hiſtoriae Theologiae myſticae lucem adfert, ſingularique induſtria auctores eius, qui omni aetate vixerunt, vna cum illorum ſcriptis percenſuit Arnoldus: in iudiciis autem de iſtis a recta ſaepe via declinauit, quum laudanda, vel defendenda, ſuſceperit, quae nec laudari, nec defendi poſſunt. Paſſim augendus etiam liber, emendandus, ac pumice expoliendus. Vid. WALCHII *Bibl. theol. Tomo II. p.* 1179.

et

et REIMMANNI *Catal. Bibl. theol. p. 48.* Inſertum Opuſculum exhibens *ſolidam defenſionem Theologiae myſticae, vna cum Epiſtola de principiis et characteribus praecipuorum ſcriptorum de rebus myſticis et ſpiritualibus, qui poſtremis hisce ſaeculis vixerunt.* Auctor eſt POIRETVS, qui id ipſum, Praefationis loco, praemiſerat Collectioni, *La Theologie réelle, vulgairement dite la Theologie, Germanique* inſcriptae, editaeque *Amſtael. a. 1700. in 12.* Latine, ſed parum exacte, ſi Auctorem *Vitae Poiretianae* in eiusdem *Opuſculis poſtumis ſſ. XLVII. p. 30.* audias, reddidit hancce Commentationem Arnoldus, vt REIMMANNVS *l. c.* me docuit. Ipſe Poiretus locupletiorem atque ornatiorem eam exhibuit *a. 1707.* in editione *Amſtaelodamenſi* libri *de eruditione ſolida* caet. itemque in *Bibliotheca myſtica, ibidem anno 1708. in 8.* euulgata, teſte WALCHIO *l. c.* Huc etiam facit ANDREAS DU SAUSAY *in ſelectis Diſſertationibus de myſticis Galliae ſcriptoribus, multiplicique in ea Chriſtianorum rituum origine, Pariſ. a. 1639. in 4.* In hoc autem Volumine de S. Paulo, apoſtolo, tamquam Galliae conſecratore, S. Lino, Sequanorum apoſtolo, S. Sauiniano, Galliae Celticae apoſtolo, S. Potentiano, ſecundo Senſonenſium antiſtite, S. Martiale, Aquitaniae vtriusque apoſtolo, et potiſſimum de S. Dionyſio, Areopagita, agit, cuius genuinam probare auctoritatem contendit. Interſperſit multa de diuerſis Eccleſiae catholicae ritibus; vtpote de officiis et iudiciis eccleſiaſticis, de Pallio Pontificiali, de benedictione, caet. Verum BAILLETVS in *Jugemens des Savans, Tomo II. P. I. p. 162. edit. primae*, ita iudicat: *Il faut avouer, que cet Auteur avoit beaucoup de lecture, mais il avoit encore plus de ſimplicité, avec aſſez peu de iugement, et de genie même. La plus part de ſes Ecrits ne ſont, que des compilations indigeſtes, ou il ne paroit ni choix, ni discernement.*

En un mot: c'eſt une Critique de mauvais goût. Neutiquam contemnenda eſt, ſi ſit purioris doctrinae, Theologia myſtica: ſed ii, qui de rebus myſticis peruerſe diſſerunt, ac dogmata aperte falſa et abſona diſſeminant, carbone notari merito debent. In qua poſteriori claſſe collocandi WEIGELIVS, BOEHMIVS, POIRETVS, (cuius *La Theologie du Coeur, ou Recueil de quelques Traités, qui contiennent les lumieres les plus divines des Ames ſimples et pures, Coloniae anno* 1690. et 1697. *in* 12. prodiit) ſupra iam inter fanaticos numerati, nec non, vt alios praetermittam ſilentio, CHRISTIANVS HOBVRGIVS et FRANC. SALIGNAC DE LA MOTTE FENELON.

De Hoburgio complura ſtudioſe congeſſit MOLLERVS *Cimbriae litt. Tomo II. p.* 337. *ſq.* Intelligimus exinde, illum, patria Luneburgenſem, primum Lauenburgi Cantoris ſcholaſtici, atque Oratoris ſacri extraordinarii munus, diebus profeſtis horisque diei ſolis matutinis explendum, obtinuiſſe, tum Vlzenae Subrectorem, itidemque Eccleſiaſten extraordinarium egiſſe, quo a loco deiectum Hamburgi liberos Baronis a Kniphauſen priuata opera erudiuiſſe, hoſpite autem ſuo aliorſum demigrante, in percelebri Sterniorum typographia Luneburgenſi, librorum excudendorum emendationi vacaſſe, horasque ſubſeciuas libellorum ſacrorum ſcriptioni atque editioni conſecraſſe. Qui quum variis Theologis Lutheranis haud probarentur, et Sternii ab his fuiſſent moniti, vt hominem paradoxum, ingens haud dubie officinae ipſorum dedecus adlaturum, dimitterent, quod et non ita multo poſt factum eſt, mox inuitatur ab Auguſto, Duce Brunsuicenſi eruditiſſimo, in aulam eius Hoburgius, vbi, oratione ſacra omnium plauſu recitata, trium parochiarum, quarum vni praeeſſet, data eſt optio. Elegit is in agro minimam, nec adduci pot-

potuit, vt altiorem dignitatem, ſequenti die oblatam, ſacrorum quippe antiſtitis, imponi ſibi pateretur. Admirabatur inſignem hanc modeſtiam Princeps, gratiaque cumulabat hominem, vix tamen exacto biennio mentem mutabat, certior de peruerſa eius doctrina redditus, et a diuerſarum Academiarum Theologis, et ab aliis etiam Principibus. Ita eundem in Senatu eccleſiaſtico adlocutus eſt Auguſtus: *Hoburg, wenn ich euch laenger fürſtehen ſollte, ſo haetten wir einen neuen Pfaffenkrieg.* Poſtulabant, qui tunc temporis aderant, Theologi Guelpherbytani, vt propter perperam ſcripta, nec non propter voces contumelioſas, in ordinem eccleſiaſticum emiſſas, palinodiam caneret. Sed negauit conſtanter, vnquam oraculis diuinis aliquid ſe ſcripſiſſe contrarium, ſacerdotum autem vitia vere meritoque detexiſſe confirmauit, ideoque, lata nomine Principis ſententia, non a munere tantum ſacro remotus, ſed Ducatum quoque vniuerſum cum vxore et octo liberis, relinquere iuſſus eſt. Exſulem Doctor quidam theologus, ciuis ipſius olimque commilito, inuitauit Quedlinburgum, quo anno 1650. peruenit pecunia ignoti mercatoris Norimbergenſis adiutus. Neque tamen hic loci adfulſit ei laetior fortuna. Quoniam enim retractare nolebat librum *anno 1644. in 8.* hoc titulo, forte *Amſtaelodami*, excuſum: *Spiegel der Misbräuche beym Predigamte im heutigen Chriſtenthume - - aufgeſezt und herausgeſandt von* ELIA PRAETORIO, *Evangeliſchen Prediger in Liefland*, omnes collegas irritauit, hoſtesque expertus acerrimos eſt. Inde in Geldriam, auctore amico, ſeceſſit, quumque die Sabbathi aedes iſtius ingrederetur, et ſtatim rogatus, vt ſequenti die ſacerdotis abſentis, nec mature ſatis reducis, partes in ſe ſuſciperet, tantopere placuit oratio eius ſacra auditoribus, atque inter hos cuidam

dam e proceribus prouinciae, vt Hoburgium in arce Cappelenſi domeſticum familiae ſuae eccleſiaſten conſtitueret. Ibi per quinquennii ſpatium commoratus eſt; quo elapſo Patronus ille, ob crimen enorme ab ipſo priuatim ſaepe reprehenſus, tandemque, nulla emendationis ſpe adparente, interdictus vſu ſacrorum, templi eum aditu intercluſit; ideoque aliquamdiu in aedibus ſuis de rebus diuinis verba fecit ad populum. Deinde a Conſiſtorio Reformatorum, probante, quae ab eo contra Patronum geſta fuerant, perſuaſus certa conditione, vt ſe ipſorum adiungeret coetui, ſacerdotii Latumenſis prouinciam obiit per XVI. annos continuos. Tunc vero edita, ſine cenſura Conſiſtorii, Theologia myſtica, ſcriptisque aliis pluribus, nouas concitauit turbas, ac palinodiam propoſitam detrectauit, omnia, Chriſtianis a ſe exprobrata, veriſſima eſſe contendens. Quam animi declarationem ſequutum eſt vetitum, ne fungeretur ad tempus munere ſuo, neue quaeſtor ſtipendium aliquot annorum reſiduum ipſi numeraret. Aegre hoc ferens Hoburgius Amſtaelodamum abiit, et Ioh. de Labadie atque Antoniae Bourignoniae familiaritate vſus eſt, at ſenſim diſplicuere his mores eiusdem. Bourignoniae, quae in aedes ipſum ſuas receperat, aliquot tunc temporis libros in linguam tranſtulit Germanicam. Inopem plane anno 1672. Amſtaelodamo in vrbem Zeelandiae, Mittelburgum euocauit filius, typographus, ſuoque in domicilio aluit. Ob calamitates belli aduerſus Belgas Gallici Hoburgius filium, et eius familiam, anno ſequenti Hamburgum comitatus eſt, moxque Altonauiae ſacerdotis apud Mennonitas prouinciam accepit, et ibidem ſeptuagenario proximus anno 1675. diem obiit ſupremum. Scripta Germanico ſermone plurima edidit, partim vero nomine, partim larua Bern. Bau-

Baumanni, Andr. Seuberlichii, Chriſt. Montalti, vel Eliae Praetorii indutus. His autem in libris non pauca ei excidiſſe ſanae doctrinae perquam aduerſa, plerique Theologorum noſtrorum teſtantur. Dicunt ipſum Schwenckfeldianorum ac Weigelianorum dogmatum patronum, Theologiae myſticae amatorem nimium, et ſic praeconceptis abreptum opinionibus, vt fanatico contemtu in Magiſtratus, horumque bella et iudicia, in Ordinem eccleſiaſticum vniuerſum, in Academias et Scholas, imo ipſas bonas litteras, earumque cultores, vehementiſſime inuehatur. Ex iis, quae diuulgauit, ſequentia pertinent ad rem noſtram; ſcilicet

1.) *Theologia myſtica, das iſt, verborgene Krafttheologie der Alten, in drey Theilen, Amſterdam 1656.* porro *1671.* et *1675. in 8.* item *Nouiomagi 1684. in 12. Frf. 1700.* et *1717. ead. forma*, praeter quas editiones adhuc aliae memorari ſolent. Auctor de poenitentia differit, de illuminatione et coniunctione cum Deo, et quamuis paſſim ſalutaria exponat praecepta; haec mixta ſunt tamen haud adcurate ſatis dictis.

2.) *Lebendige Hertzenstheologie, oder andächtige Betrachtung, wie Ieſus im Hertzen der Menſchen wohne vnd würcke, Amſt. a. 1661.* ac *1676.* item, additis Soliloquiis verſibusque Latinis, Gallicis, Germanicis et Belgicis, *Frf. a.* 1683. 1691. *et* 1696. *in 8.* Interpretatio Belgica primae ſtatim editioni ſucceſſit *Amſtael. anno* 1661. *in 8.*

3.) *Poſtilla Euangeliorum myſtica, das iſt, verborgener Hertzensſafft aller Sontags- vnd Feſt-Euangelien durchs gantze Iahr, in Andachten vnd Seelengeſprächen, das Hertz in der Kraft Gottes zu reinigen, zu erleuchten, zu ſtärcken, vnd mit dem Hertzen Gottes zu vereinigen in Zeit vnd Ewigkeit. Amſtaelod. a.* 1663. et 1696, nouiſſimeque

Fran-

Francof. et Lipſ. a. 1716. *in f.* Hoburgius in Praefatione ad Lectores hoc Opus omnibus eius generis ipſe praefert, immediato quippe flaminis diuini inſtinctu, ſine vlla librorum ope, compoſitum, illudque medullam et ſuccum ſubtiliſſimum exhibere iactat, neque cuidam Chriſtianorum ſectae fore offendiculo, ſed omnibus potius vtile, quod in eo, neglecta fuſiori textus exegeſi, nullisque immixtis controuerſiis, cuncta homini praecipue interno adcommodentur, ſolaque practica tractentur et myſtica, pronunciat. Verum enimvero multa ibi tradi libris diuinis contraria, dicendique formulas vſurpari ambiguas, obſcuras, et minus vſitatas, alii obſeruarunt. Prae caeteris hanc Poſtillam examinauit, atque conuenientiam eius cum enthuſiaſtis, Schwenckfeldianis, Weigelianis, anabaptiſtis, chiliaſtis, caet. oſtendere ſtuduit POMARIVS in ſcripto contra Gutmannum, eiusque editorem, de quo ſupra *ſ. XVIII.* actum, toto fere *Capite quarto Partis II.* LILIENTHALII in *der theol. Biblioth. Vol. II. p.* 201. hoc eſt iudicium: *Seine Poſtilla myſtica iſt vnſtrittig ſein beſtes Buch, davon einige viel Weſens machen, vnd darinnen auch würcklich manch Gutes vorkommt, zumahl was den geheimen vnd geiſtlichen Sinn der Euangelien anlanget, darinnen er wenige ſeines gleichen hat. Iedoch auch dieſelbe muß mit dem Geiſte der Prüfung geleſen werden, weil viele Brocken der falſchen Myſtic mit vnterlaufen.* Reliqua larga manu ſuppeditat MOLLERVS *l. c.* itemque WALCHIVS *Bibl. theol. Tomo II. p.* 84. *ſq.* Vtriusque me hic araſſe vitulo, non equidem infitior. Adde, ſi lubet, *den vnpartheyiſchen Bibliothec. Parte IX. p.* 748. *ſq.*

A Fe-

A Fenelonio, Archiepiſcopo Cameracenſi, qui anno huius ſaeculi quinto ac decimo ex vita deceſſit, accepimus *Explication des maximes des Saints ſur la vie interieure.* Prodiit liber *Pariſiis a. 1697. in 12.* ac deinde ſaepius recuſus eſt, v. g. *Amſtael. a. 1698. in 12.* Declaratione quorundam Galliae Praeſulum, Epiſtolisque Fenelonii binis, et vna Regis ſui ad Pontificem Romanum, locupletior. Ampla eius recenſio exſtat in *Actis Erud. Lat. anni 1698, p. 268. ſq.* Translatus etiam fuit in Anglicam, Belgicam, Italicam, Latinam Germanicamque linguam. Latina editio, cui titulus: *Placita Sanctorum explicata, Francofurti a. 1699.* Germanica *Veſaliae eodem anno in 8.* hac inſcriptione: *Erklärung der allgemeinen Lehrſaetze der Heiligen*, lucem adſpexit. Poſteriorem tamen verſionem REIMMANNVS in *Catal. Bibl. theol. p. 729.* ineptam vocat, ſtupidam, ieiunam, ſcatentem vocibus nouis et auribus Germanorum inſuetis; phraſibus exoticis, et redolentibus Galliciſmum; nec non periodis ſenſum vel nullum exhibentibus interdum, vel inuolutum, dubium, ac perobſcurum. Probauerat Fenelonius ac defenderat illuſtris inter populares ſuos feminae principia myſtica. Erat ea IOH. MARIA BOUVIERES DE LA MOTTE GUION, a magiſtro inſtituta, cuius in recentiorum myſticorum catalogo ſatis eſt cognitum nomen, FRANC. DE LA COMBE. Inde factum etiam, vt Archiepiſcopus ille de libro ſuo componendo eſſet ſollicitus, in quo viam indicat ad vitam interiorem per diuerſos Theologiae myſticae gradus. Eoque conſilio primum veram praemonſtrat, exemplis Sanctorum firmatam, deinde falſam ac periculoſam depingit. Princeps autem pertractationis argumentum ad amorem erga Deum ſpectat, quumque illum in purum diuidat atque impurum, eum tantum eſſe purum ſtatuit, cuius ratio non

non in vlla propria felicitate, ſiue huius, ſiue futurae vitae, ſed vnice in Deo ipſo, et ita quidem poſita ſit, vt hic ametur, quoniam amari propter ſe ipſum debeat. Hoc ſane praecipuum eſt caput controuerſiae, quam Fenelonii liber peperit, quodque multorum ſcriptorum praebuit materiam. Eundem enim damnabant ſtatim ſummi Galliae Praeſules, atque inter hos maxime Ludov. Anton. Noallius, Archiepiſcopus Pariſinus, Iac. Benignus Boſſuetus, Epiſcopus Meldenſis, et Paul. de Godet des Marais, Epiſcopus Camutenſis, qui *Pariſiis a.* 1697. *in 4.* edidere, vt iam ſupra memoraui, Declarationem circa librum, cui titulus eſt: *Explication des maximes* caet. Noallius quoque ſpeciatim diuulgauit *ibidem, eodemque anno et forma, Inſtruction paſtorale ſur la perfection chrétienne et ſur la vie interieure, contre les illuſions des faux myſtiques:* et Boſſuetus *Pariſ. in 12.* ſub idem tempus *Summam doctrinae libri, cui titulus*: Explication des maximes des Saints, *deque conſequentibus ac defenſionibus et explicationibus.* Hisce oppoſuit Fenelonius *Inſtruction paſtorale ſur ſon livre intitulé:* Explication des maximes des Saints caet. *Cameraci a.* 1697. *in 4. Lugduni* tertiumque *Amſtael. a.* 1698. *in* 12. Quae in Declaratione trium Praeſulum Auctori obiiciuntur, ea hic ita ſtudet diluere, vt mentem ſuam vberius explicet. Vid. omnino *Acta Erud. Lat. anni* 1698. *p.* 281. *ſq.* Addidit idem *anno* 1698. *in* 12. *Reponſe à la Declaration de Mr. l'Archeveque de Paris, de Mr. l'Eveque de Meaux, et de Mr. l'Eveque de Chartres, et à l'Ouvrage de Mr. de Maux, intitulé*: Summa caet. *contre le livre:* Explication des maximes des Saints. Poſt alia quaedam ſucceſſit *Pariſ. a.* 1698. *in 8.* et *Bruxellis eod. a. in* 12. BOSSVETI *Relation ſur le Quietiſme*, quo in libello totius controuerſiae hiſtoria plenius exponitur. Statim vero dedit Fenelonius *Reponſe à l'ecrit*

de

de Mr. de Meaux, intitulé: Relation ſur le Quietiſme *in 12.* quae reſponſio, ab Auctore correcta, denuo typis eſt impreſſa *Bruxell. a.* 1698. *in* 8. Lecta eadem Boſſuetus exarauit, et *Pariſ. anno 1698. in 8.* exhibuit *Remarques ſur la Reponſe de Mr. l'Archeueque de Cambray à la Relation ſur le Quietiſme.* Hoc ſcriptum aliud excepit Fenelonii, *anno* 1698. *in* 8. excuſum hoc titulo: *Reponſe aux Remarques de Mr. l'Eueque de Meaux ſur la Reponſe à la Relation du Quietiſme.* Vtrumque iterum prodiit, et poſtremum quidem ipſius Fenelonii cura emendatius, *Bruxellis anno* 1698. *et.* 1699. *in* 8. Reliqua plura opuſcula eriſtica, ne nimis fatigetur Lector, ſilentio praetermittam. De his, quae attuli, ſolo excepto vltimo, copioſe diſſeritur in *Actis Erud. Lat. a. 1699. a pagina 132.* vsque ad *pag. 148.* Add. NICERONIVS in *Vitis Erudit. Parte XIV. p. 5. ſq. edit. Germanicae*, vbi Fenelonii ſcripta recenſentur, et in *Vita Boſſueti, Parte III. p. 214.* TENTZELIVS in *den monathl. Vnterred. a. 1698. p. 1017. ſq.* itemque WALCHIVS *Bibl. theol. Tomo II. p.* 1010. *ſq.* Omnis res, Ludouici Regis inſtinctu, tandem Pontificis relicta eſt arbitrio. Apoſtolicam tunc temporis ſedem tenebat Innocentius XII, cuius damnatio ac prohibitio libri Feneloniani *Romae a.* 1699. prelo exiit. Breue hoc, vt vulgo adpellari ſolet, integrum inſertum *Eruditorum Actis l. c. p.* 148. videmusque exinde, Propoſitiones tres ac viginti, ex Fenelonii libro decerptas, reprobatas fuiſſe. Submiſit ſe Pontificis decreto Archiepiſcopus Cameracenſis, publicamque cecinit palinodiam; quo facto diremta eſt penitus controuerſia, quae tantos in Gallia motus concitauerat. Legi de his etiam poteſt IOH. GE. PRITII Oratio *de lite Fenelonio intentata, Lipſiae 1699. in 4.* et IOH. WOLFG. IAEGERI *Gallia diſcors in cauſſa pietiſtico-myſtica, Tubingae anno* 1715. cuius Diſſertationis academicae ſumma

ma paucis indicatur in *der Gelehrten Fama Vol. IV. Parte 45. p. 667.*

§. XXII.

Ad paradoxos, quorum iam permultos recenſui, alii adhuc referri debent, in veritatem, vt vulgo dicunt, doctrinalem peccantes. Scenam hic aperiat MICHAEL SERVETVS, Hiſpanus natione, qui ſaeculo XVI. vixit, *anno*que *1531. Hagenoae* in Alſatia, quamquam locus adiectus non eſt, plagulis 15. *in* 8. edidit *de Trinitatis erroribus libros VII.* Pugnat auctor ſceleſto auſu, at ſine omni ordine, contra myſterium Trinitatis, doctrinamque, qua Deum eſſentia vnum, in tribus ſubſiſtentem perſonis, credimus, ex Theologia eiicere voluit, atque hanc in rem Codicis diuini teſtimonia temere ac malitioſe peruertit. Data ſimul occaſione alia interſperſit haudquaquam toleranda. Sic v. g. *fol. 52.* de aeterna generatione non ſine blasphemia loquitur. Perrara eſt haec libri editio, ſtupendoque olim pretio veniit, quod inde potiſſimum factum, quoniam pleraque exemplaria, variis in locis, tradita flammis fuerunt, ne virus ibi occultum latius ſerperet. Interim ante triginta, et quod excedit, annos clam recuſus fuit in Germania, Ge. Serpilii, Theologi Ratisbonenſis, fraude. Audire iuuabit REIMMANNVM in *Catal. Bibl. theol. p. 1042. Nec hoc*, ait, *taciti poſſumus praetermittere, rumores ſatis conſtantes, nec ſine auctore ad nos allatos, G. S. infandum hoc Opus typis furtiuis quidem, ſed veteratoriam hanc formam exacte referentibus, recudi curaſſe, et exempla non pauca, quaſi forte fortuna ſibi oblata, quibusdam, harum deliciarum cupidis, valde care vendidiſſe, quo ipſo et nomini ſuo, et officio, et conſcientiae, male conſuluit, et hac vafritie effecit, vt emtori adcurate diſpiciendum ſit in poſterum, ne pro genuino exemplo, quale hoc eſt noſtrum,*

ipſi

ipſi ſuppoſititium obtrudatur. Exſtat quoque REINERI VITELLII verſio Belgica, *anno 1620. in 4.* exhibita, cuius in titulo quidem alia Serueti Opuſcula dicuntur adiuncta, quae vero non acceſſere. Vid. LILIENTHALII *theolog. Bibl. Vol. I. p.* 886. *ſq.* Maioris notam raritatis habent *Dialogorum de Trinitate libri II.* et *de iuſtitia regni Chriſti Capitula quatuor*, itidem *Hagenoae a.* 1532. *in* 8. plagulis ſex excuſa; quo in libello, ad Dialogos maxime quod attinet, tantum abeſt, vt ſaniora doceat, vt priorem potius errorem denuo defendere atque corroborare laboret, quamquam nonnulla, in libris de Trinitatis erroribus ſcripta, emendauerit. Difficillima autem inuentu nunc eſt (vix enim quinque, aut ſex exemplaria flammis ſunt erepta,) eiusdem *Chriſtianiſmi reſtitutio* caet. *Viennae Allobrogum a.* 1553. *in 8.* plagulis 46. euulgata. Hoc in libro longe deteſtabiliorem, quam antea, oſtendit audaciam atque temeritatem, ac ſummas in Trinitatem iniurias immiſit; vnde et ipſi peperit exitium. Mox ſcilicet, Ioh. Caluini inſtinctu, auctor Geneuae cuſtodiae eſt traditus, dictoque Volumine femori eius adligato, die m. Octobris ſexto ac viceſimo eiusdem anni combuſtus fuit. Cf. SCHELHORNII *Amoen. litt. Tomo VIII. p.* 378. vbi de variis poenis in libros ſtatutis ſermo eſt Viro doctiſſimo. Cuncta haec Serueti ſcripta Palmerus, bibliopola quidam Londinenſis, lucri nefandi cupidus, anno circiter 1720. denuo vocare ſub prelum conſtituerat; ſed mature ſuppreſſus eſt, auctoritate publica, conatus. Vid. *die Leipz. gel. Zeit. anni* 1723. *p.* 505. et ALBERTI *Briefe, betreffend den Zuſtand der Relig. vnd Wiſſenſchaften in Groſsbrittannien, Parte III. p.* 731. itemque *Nouvelle Bibliotheque anni* 1740. *menſis Octobr. articulo I.* Optime de hominis miſeri hiſtoria meritus eſt IOH. LAVR. MOSHEMIVS, ſaeculi noſtri decus. Poſt co-

pioſam enim Diſſertationem, quam de eodem *Helmſt. a.* 1727. produxerat, multa ipſi obuenerant documenta nondum edita, multae aliorum obſeruationes, antea minus cognitae. Quae vt prodeſſent orbi litterato, compoſuit magnum ſatis et elegantiſſimum Opus, *anderweitiger Verſuch einer vollſtaendigen und unpartheyiſchen Ketzergeſchichte* inſcriptum, emiſſumque *Helmſtadii anno* 1748. *in 4. mai.* Ibi libro III. ſolita doctrinae exquiſitiſſimae copia inſtructus de ſcriptis Serueti agit, ſigillatimque *p.* 316. *ſq.* adcuratam libri de Trinitatis erroribus expoſitionem immiſcet. Neque in hoc adquieuit Moshemii induſtria. Prodierunt quippe *anno* 1750. *ibidem* et *eadem forma Neue Nachrichten von dem berühmten Spaniſchen Artzte, Mich. Serveto, der zu Genev verbrannt worden.* Vtrumque Volumen haud vulgariter Lipſienſes recenſuerunt in *Act. Erud. Lat. anni* 1751. *p.* 297. *ſq.* Nolo plures cumulare Scriptores, qui de Serueto, librisque ipſius, commentati ſunt. Attulit hos WALCHIVS *Tomo I. p.* 951.

De BERNARDINI OCHINI, Itali, ſi aetatem ſpectes, Serueto vtique praeferendi, doctrina et moribus non omnes eruditorum vno ore conſentiunt. Varia eius ſunt ſcripta, atque inter haec prae caeteris innotuere *Dialogi XXX. diuiſi in duos libros, quorum primus eſt de Meſſia, continetque Dialogos XIIX. Secundus eſt cum aliis de rebus variis, tum potiſſimum de Trinitate.* Hic eſt libri titulus, quem auctor Etruſca exarauit, typisque imprimendum curauit, lingua, SEBAST. autem CASTALIO tranſtulit in Latinam, et *Baſil. anno* 1563. *in* 8. recuſum exhibuit. Multis aliis linguis eundem eſſe expreſſum, teſtatur ABRAH. BZOVIVS in *Hiſtor. eccleſ. ex Baronii Annal. ad ann.* 1542. *ſ.* 30. Non eſt quidem igno-

ignotum, Ochinum cum FLORIMVNDO RAEMVNDO *Hiſtor. baeret. ſaec. XVI.* (quod Opus et Gallice, et Latine, et Germanice exſtat, patriaque lingua hoc eſt inſignitum titulo: *de la naiſſance, progrez et decadence de l'Héréſie de ce Siècle,*) *lib. III. cap. 5. p. 230.* plerumque Trinitatis adpellari oppugnatorem; neque tamen hoc ex Dialogorum libris patet, quorum in priori Chriſtum eſſe verum Meſſiam, argumentis ſane non leuibus confirmat: in ſecundo autem Trinitatem contra omnium obiecta vindicat grauiter. Vnicum eſt in eodem reprobandum, quod in Dialogo XXI. de Polygamia non ad Orthodoxorum mentem ſenſerit: alias ex integro libro nihil contrarii conſtabit. Ita STRVVIVS iudicat, qui *Obſeruat. ſelect. Halenſ. Tomo IV. Obſeru. 20. p. 406.* et *Tomo V. Obſ.* 1. *ac* 2. *p. 3. ſq.* cum *de vita, religione et fatis,* tum *de Dialogorum libris ſcriptisque reliquis Bernardini Ochini, Senenſis,* vberrime atque luculenter egit. Exemplaria horum Dialogorum publice fuiſſe combuſta, Henr. Bullingerus adſerit apud BOXHORNIVM in *Hiſtor. vniuerſali ad ann.* 1552. vti BAELIVS in *Dict. hiſt. et crit. v.* Ochin, *p. m.* 524. docet; quae relatio ſi vera ſit, cauſſa facile poteſt cognoſci, cur liber tam raro inueniatur. Vidimus, Struuium de eodem ſententiam tuliſſe mitiſſimam. Eum et alii ſequuntur, v. g. CHRIST. AVG. SALIGIVS in *der Hiſtor. der Augſpurg. Confeſſ. Tomo II. p.* 422. quem locum deſcripſit VOGTIVS *Catal. libr. rar. p. m.* 492. Subiicit autem GVST. GEORG. ZELTNERVM in *Hiſt. Crypto-Sociniſmi Altorfini, Lipſ.* 1729. *in 4, p.* 1163. longe ab hac opinione abeſſe, et exiſtimare, iſtos Dialogos, quos diabolos vocare ſolitus fuerit Hottingerus, SS. Trinitatis et ſatisfactionis Ieſu Chriſti vicariae myſteriis oppugnandis fuiſſe deſtinatos, certe a Socinianis, ad ea collabefactanda, tamquam primum et praecipuum arie-

tem, admotos. Eodem ſpectant Venerabilis WALCHII *Tomo I. p. 923.* verba, quae haec ſunt: *De libro hoc nonnulli mitiorem quidem ſententiam ferunt: imo de ipſo Ochino honorifice indicant; alii autem, nec ſine cauſſa, arbitrantur, ſpectare illum ad dogmata trinitatis ac ſatisfactionis Ieſu Chriſti oppugnanda: certe ad ea labefactanda adhibitum eſſe.* Tribuendus etiam Ochino Catechiſmus, de quo dubitauit olim Struuius, partim, quod excuſus dicatur anno 1591. quum tamen ante triginta fere annos Ochinus fuerit mortuus: partim, quoniam Conrad. Geſnerus, Tiguri, vbi aliquamdiu commoratus eſt Ochinus, natus, ac munere ornatus publico, nihil de Catechiſmo habeat, quamquam omnia hominis huius recenſeat ingenii monumenta. Ideoque alius cuiusdam tenebrionis putat Struuius foetum eſſe, perperam Ochino adſcriptum. Sed nunc quidem controuerſia hac de re non eſt. Producitur certe in THEOPHILI SINCERI *Neuer Sammlung von alten vnd raren Büch. P. II. p.* 142. hic ipſe Catechiſmus lingua Italica, ſequenti titulo: *Il Catechiſmo, o vero inſtitutione Chriſtiana di M.* BERNARDINO OCHINO *da Siena, in forma di Dialogo. Interlocutori il Miniſtro, et illuminato. In Baſilea* 1561. *in* 8. Non tamen vidiſſe librum Auctorem, contendit AVG. BEYERVS in *Memoriis hiſt. crit. libr. rar. p. 223.* vbi teſtatur ſimul, Dreſdenſium Bibliothecas perueſtiganti, occurriſſe. Raemundus infinitis librum ſcatere Atheismis pronunciat. Apud Beyerum contra altum eſt de tanto crimine ſilentium: in plurimis potius dogmatibus Lutherano-Euangelicorum veſtigia ſequutus ipſi videtur Ochinus. Interim eundem a Socini, Senenſis, popularis ſui, erroribus, Carteſiique dubitationibus, plane abſoluere non audet. Forte idem fuit Raemundo, ad quem hic prouocauit Struuius, Lutheri eſſe adſeclam, et athe-

atheum. Cf. STOLLII *Nachricht. von den Büch. ſeiner Bibliotb. Vol. I. Parte 4. p. 422.*

GVILIELMVM POSTELLVM, qui Pariſiis a. 1581. mortuus eſt ſeptuagenario maior, licet non pauci ſummis exornent laudibus; plerique tamen malae notae hominem eundem fuiſſe contendunt. Alii atheum, alii deiſtam, alii naturaliſtam, alii indifferentiſtam, alii fanaticum dixere. Nec ipſi, iudice WALCHIO *Tomo I. Bibl. theol. p. 987*, fit iniuria, ſi vel huic, vel illi ſectae adiungatur. Vti enim multitudo, ita etiam varietas eſt commentorum, quae diuulgauit. Paradoxi certe, vt mitiſſime ſentiam, fuit ingenii, grauiumque et abſurdorum errorum auctor. Doctae proſtant IOH. FRANC. BVDDEI *de Guil. Poſtello* Diſſertationes *Obſeruat. ſelect. Halenſ. Tomo I. Obſeru.* 21. *p.* 323. et *Tomo IV. Obſ.* 12. *p.* 232. *ſq.*; quae legi hic omnino merentur. In his vero diſerte adfirmat, ab Atheiſmi ſuſpicione Poſtellum omnia eius ſcripta, imo omnes omnium librorum lineas liberare: inque Opere *de Orbis terrae concordia*, cuius binae exſtant editiones, altera in forma, quam octauam vocant, quae non niſi librum primum continet: altera *in f.* ex libris quatuor conſtans: vtraque ſine loci ac temporis, quo excuſa ſit, indicio, (prior tamen *Pariſ. a.* 1543. abſoluta videtur, poſteriorem Gesnerus in Bibliotheca ſua *Baſil. a.* 1544. exhibitum eſſe refert,) Chriſtianae religionis veritatem tam egregie ipſum comprobare, vt ab illis etiam, qui caeteroquin iniquiores videantur in eum, foetus hicce laudetur. Tandem BVDDEVS in Diſſert. poſteriori *ſ. XIV.* ſuum de Poſtello iudicium ita exponit: *Fuit citra controuerſiam probus et honeſtus, ſcelerumque purus, et qui Atheiſmi ſuſpicionem non niſi apud imperitiſſimos, aut ſumme ma-*

 leuo-

leuolos rerum ſuarum exiſtimatores ſubire poterat; fuit etiam excellenti, vt omnes fatentur, ingenio praeditus, penetrauitque in intimos orientalis Philoſophiae receſſus, cuius multa in ſcriptis ſuis prodit arcana: idem tamen ob ſummam ingenii vim interdum iudicii expertus eſt defectum, imprudenterque ex orientalium ſcitis arripuit et infeliciter cum Chriſtianorum ſcitis coniunxit, quae adcuratiori prius ſubiicere examini debuiſſet. Errores varios et paradoxas opiniones in eius occurrere ſcriptis nemo infitias iuerit, quo ipſo tamen fatum omnibus magnis ingeniis commune expertus eſt. Atque ad excedentem imaginationis impetum illud quoque refero, quod reuelationis interdum et angelorum commercia commemorat, vtpote cum in libro de Natiuitate Mediatoris *ſe myſteria quaedam ab Angelo Raziele, quem et Adami praeceptorem faciunt Ebraeorum magiſtri, edoctum eſſe profiteatur.* Aegre id WERNSDORFFIVS tulit in Tract. *de Indifferentiſmo Religionum,* vbi *p.83. edit. Germ.* ſcriptum eſt, *der Autor dieſer Obſeruation verthaydige Poſtellum mit einer denen Herren Halenſern gantz gebräuchlichen d. i. der ärgſten Manier vnd Schreibart.* Permulta habemus ingenii monumenta, quibus Poſtellus innotuit: ſed pleraque ſunt aliena ab inſtituto. Locum hic ſibi vindicant ſaltim

1.) *Panthenoſia, ſiue compoſitio omnium diſſidiorum, circa aeternam veritatem aut veroſimilitudinem verſantium,* caet. Adſumſit ELIAE PANDOCHAEI nomen, editusque liber, nec loco, nec anno adiecto, *in 8.* Sunt, qui perhibent, id anno eſſe 1544. factum apud Baſileenſes. Hoc in libro Poſtellus ingenii paradoxi clariſſima dedit ſpecimina. Vt enim opiniones taceamus, inſolitas vtique, ac nullo vel rationis, vel reue-

reuelationis, fundamento nixas, v. g. animam Meſſiae fuiſſe rerum creatarum primaeuam, eſſe ſpiritum, ſiue animam mundi, vt res omnes animet, ad beatitudinem reuocet, animumque, ſpiritum, corpus felicitate donet, caet. ita circa omnium Philoſophorum, haereticorum, et quoscunque error a Chriſti diſciplina alienauit, opiniones verſatur, vt eas cum Scriptura ſacra in concordiam redigere ipſo ſyſtemate dualiſtico, quo non foedior error a Chriſtianis doctrinis abhorret, non excepto audeat. Haec eſt BRVCKERI ſententia in *Hiſt. crit. Philoſ. Tomo IV. Parte I. p. 753.*

2.) *de Natiuitate Mediatoris vltima nunc futura, et toti orbi terrarum in ſingulis ratione praeditis manifeſtanda* caet. *Baſil. a. 1547. in 4.* quod FRISIVS in *Epitome Bibl. Geſner. p. 709.* teſtatur. Ipſe enim hic annus in titulo non adparet. Admodum obſcure, vt in plerisque aliis ſcriptis conſueuit, mentem explicat ſuam. Paucis recenſuit hoc Opus, idemque Baſil. a. 1547. prodiiſſe confirmauit SALLENGRIVS in *Memoires de Litterat. Tomo I. p. 35. ſq.* Libri huius titulus et capita ſunt, cum aliis nonnullis, paullo ante adiecta eiusdem *Abſconditorum a conſtitutione mundi Claui, qua mens humana tam in diuinis, quam in humanis, pertinget ad interiora velaminis aeternae veritatis*; *Guil. Poſtello ex diuinis Decretis Exſcriptore.* Annus in titulo deſideratur, quem fuiſſe 1546. ex *l. c.* SALLENGRII *p. 22.* colligendum. Recuſum deinde Opuſculum, ſtudio Abrah. von Franckenberg, *Amſtael. a. 1646. in 16.*

3.) *Le prime Nove del altro mondo, cioè, l'admirabile Hiſtoria, et non meno neceſſaria et utile da eſſer letta et inteſa da ogni uno, che ſtupenda, intitulata:*

lata: La Vergine Venetiana. - - - *Appreſſo del Autore* 1555. *in* 8. Venetiis id factum eſſe, intelligitur ex FLACII *Praefatione,* Poſtelli ad Schwenckfeldium Epiſtolae praemiſſa. Vid. *Obſeruat. Halenſ. Tomus I. p.* 359. Verum haec mihi relatio adhuc videtur dubia, quoniam apud eos, qui de Poſtelli fatis egere, deprehendi, eundem iam anno 1553. diſceſſiſſe Venetiis, moxque rediiſſe Lutetiam Pariſiorum, nec deinde repetiiſſe dictam Italiae vrbem. Quodſi ergo vera ſcripſerit Flacius, non ipſum Poſtellum credo libellum hunc octoginta ſaltim paginarum prelo apud Venetos ſubieciſſe, ſed cuidam typographo eius demandaſſe curam. Rariſſimum eſſe, vnicumque forte in tota Europa exemplar adſeruaſſe quondam Claudium le Gros de Boze, Bibliothecae libris minus obuiis refertiſſimae poſſeſſorem, contendit NICERONIVS in *Vita Poſtelli, P. VIII. p. 390. edit. Germ.* At occurrit tamen idem ſcriptum in *Biblioth. Vffenbachiana vniuerſali, Tomo I. p. 767.* hodieque exſtat in Regia Dreſdenſi, vbi legit hoc depinxitque GOETZIVS *Vol. II. der Merckw. der Königl. Bibl. zu Dreſden p. 437. ſq.* Hiſtoriam libelli, quocum coniungi debet, alius eiusdem argumenti, a Poſtello *Pariſ. anno* 1553. *in* 16. hoc titulo editus: *Les très merveilleuſes Victoires des femmes du nouveau monde,* caet. deſcriptusque a SALLENGRIO *l. c. Tomo II. Parte* 1. *p.* 196. *ſq.* ſuppeditat NICERONIVS dicta *Parte VIII. p. m.* 356. 381. et 389. *ſq.* Goetzius, paullo ante laudatus, quae ſentiat de Opuſculo hoc Italico, ipſius exponere verbis placet. Ita vero ille: *Poſtellus ſaget in dieſem Werckgen alle die vngereimten, närriſchen vnd theils laeſterlichen Dinge*

ge, deren er von den Gelehrten beſchuldiget wird. Vergebens haben ſich einige, die ſeine Schriften nicht geleſen, bemühet, ihn zu entſchuldigen. Es iſt gewiß, daß er ſeine Mutter Iohanna (eo enim nomine Virginem ſuam Venetam ſignauit Poſtellus) *zur zweyten Erlöſerin der Menſchen machet, obgleich mit einem Vnterſcheide von der Erlöſung vnſers Heylandes. - - - Die Schwärmereyen vnd Thorheiten, die in dieſem kleinen Büchlein enthalten ſind, können vnmöglich alle beſchrieben werden, abſonderlich, da ſo viele, philoſophiſche, phyſicaliſche, cabaliſtiſche, arabiſche Träume vnd theologiſche Dinge vnter einander geworfen, vnd mit den allerheiligſten Geheimniſſen der Religion verglichen, oder, beſſer zu ſagen, verwirret worden. Ohne Zweiſſel hat Poſtellus dieſes Büchlein ſelbſt gedruckt, vnd nur wenigen Leuten ausgetheilet, vnd ich bin verſichert, wenn ihm ſeine iedermann bekannte Narrheit nicht zu ſtatten gekommen wäre, daß man mit ihm, als dem gröſten Ertz-Ketzer vnd Gotteslästerer einen kurtzen Proceß würde gemacht haben.* Idem profert tum *p.* 440. alium Poſtelli libellum *il Libro della divina Ordinatione, dove ſi tratta delle coſe miracoloſe,* caet. inſcriptum, euulgatumque *Patauii anno 1555. in 8.* vbi prioris blaſphemias et repeti, et confirmari teſtatur.

In his vero et pluribus ſcriptis Poſtellus ſtatuere conatus eſt, religionis Chriſtianae veritatem ex rationis rectae ſcitis demonſtrari poſſe; animam Seruatoris noſtri ante orbem conditum creatam, ac τῷ λόγῳ iunctam eſſe, per quam vt creatio rerum omnium, ita et earundem reſtitutio peragatur; mun-

mundum ſex tantum annorum eſſe millia duraturum; ſperandam eſſe rerum omnium reſtitutionem. De hisce ſingularibus opinionibus fuſius diſſerit BVDDEVS *Obſeru. Halenſ. Tomo IV. p.* 238.. *ſq.* Sed quum de Poſtello defendendo praecipue ſollicitus fuerit Auctor, nec multos eius libros ipſe inſpexerit, facile credendum, alios, qui illorum adcuratius examinandorum poteſtatem habuere, longe foediora his dogmata inueniſſe. Praeter eos, quos iam attuli, de Poſtello Scriptores memoranda adhuc THOMAE ITTIGII Diſſertatio hiſtorico-theologica *de Gvil. Poſtello, Lipſ.* 1704. *in* 4. inſerta deinde eiusdem *Opuſculis variis, ibidem* CHRIST. LVDOVICI ſtudio *a.* 1714. *in* 8. collectis. Hac ex Commentatione naturalem, facilem, et inadfectatam dictionem, librorum rariſſimorum lectionem, rerum ſexcentarum, quae incognitae ſint aliis, expoſitionem elucere, ac de Poſtelli vita, ſcriptis et doctrina neminem vnquam diſſeruiſſe copioſius, REIMMANNVS ſcribit in *Catal. Biblioth. Tomo II. p.* 281. Non vidit hasce ſchedas Sallengrius, qui tamen varia congeſſit, etiam ab Ittigio non obſeruata, *l. c. Tomo I. p.* 1. *ſq.* vbi occurrunt *Memoires pour ſervir à la Vie de Guillaume Poſtel.* Add. etiam IACOBI LE DVCHAT *Obſervation ſur l'age, au quel eſt mort Guill, Poſtell,* in *Bibliotheca Bremenſis Claſſe VIII. faſc.* 2. *p.* 358. *ſq.* Notum eſt enim, diuerſa hac de re tradidiſſe complures.

Superiori ſaeculo motuum nonnihil excitauit IOH. STELLERI *Pilatus defenſus*, quod Opuſculum *Dresdae a.* 1674. iterumque cum DANIELIS MAPHANASI, i. e. HARTNACCII, Pomerani, patria Mulchentinenſis, et CHR. THOMASII Confutatione, Diſputatione academica *Lipſiae a.* 1675. propoſita, excuſum eſt *Lipſ. a.* 1676. *in* 4. Idem exſtat in THOMASII Collect. *Diſſert. iuridicar. Lipſienſium p.* 41. *ſq.*

Con-

Contendit Auctor paradoxus in cauſſa Chriſti Pilatum nihil admiſiſſe ab officio iuſti iudicis alienum, partim ob Iudaeorum ἀυτονομίαν, partim conſuetudinem, horumque modo ſententiam exſequutum illum fuiſſe. Itaque reprobatus eſt libellus a Theologis Saxonicis, eiusque mox venditio, auctoritate publica, prohibita. Quod quidem diſplicuit REIMMANNO in *Catal. Bibl. Tomo I. p.* 1005. quoniam controuerſia ſit iuridica potius, quam theologica, et Chriſtum iniuſte damnatum non infitietur Stellerus; ſed a Pilato tantum iniuſte damnatum nolit concedere. Interim certum eſt omnino, Auctorem omiſiſſe facta hiſtorica, quae ipſi contraria videbantur, et finxiſſe alia, nullis argumentis corroboranda, ac praeter haec allotria complura inepte immiſcuiſſe. Cf. CHR. MATTH. PFAFFII Diſſ. *de precibus Chriſti, pro crucifixoribus ſuis fuſis, Tubingae a.* 1746.

§. XXIII.

Partem librorum, qui a veritate doctrinali alieni ſunt, conſtituunt quoque MAGICI. Ex horum tamen numero eximendi omnes, qui ad cognitionem quandam occultarum naturae virium faciunt, oſtenduntque viam ope ſcientiarum, vulgi ſuperantium intelligentiam, veluti adcuratiore Matheſeos peritia, talia efficiendi, quae ſtupidis miracula videntur. Eos intelligo potius, qui docent, qua quis ratione, adminiculo Daemonum ſuffultus, res agere ſtupendas poſſit. Quam quidem artem ineptiſſimam hac noſtra licet aetate acutiora ingenia merito derideant, et characteres, formulasque magicas quascunque, nugas eſſe credant et glaucomata hominum fraudulentorum; animus tamen exinde perſpicitur malitia ſumma impletus, tum gratiae diuinae renunciantes commercium cum infernali ge-

nio

nio habere geſtiunt. Et hanc omnino propter cauſſam, ne imprudentiores ac ſuperſtitioſi corrumpantur abducanturque ad ſimilem nequitiam, recte libri magici reponi in damnatorum ac prohibitorum catalogo ſolent. Negari autem nequit, eximios haud raro homines ob rerum ciuilium perfectam cognitionem, diuinum prope in rebus naturalibus ingenium, aduerſariorum calumnias, temporum ignorantiam atque credulitatem, caet. ignobili Magorum cateruae fuiſſe additos. Inde ſcripſit GABR. NAVDAEVS *Apologie pour touts les grands Perſonnages, qui ont été fauſſement ſoupçonnés de Magie*, cuius libri *Pariſ. a.* 1625. *in 8.* primum euulgati, diuerſas alias editiones iam *Tomo II. cap. 8. §.* 15. me recenſere memini. Acceſſiones, tamquam alteram Partem, olim eſt meditatus ARPIVS, quod cum ipſe indicat in *Feriis aeſtiualibus p. 65.* tum a MOSHEMIO adſeritur in *Theſ. epiſtol. Lacroziano Tomo I. p. 273.* Sed nihil huius argumenti fuit in lucem productum. Omnem Naudaeus adhibuit induſtriam, vt oſtenderet, multos Magiae fuiſſe inſimulatos, qui politicis maxime ſtudiis caput extulerint, vel diſciplinarum mathematicarum abundarint arcanis; ideoqne Zoroaſtrem ſpeciatim, Orpheum, Numam Pompilium, Democritum, Empedoclem et Apollonium, Tyaneum patria, atque ex recentioribus Raymund. Lullium, Arnold. Villanouanum, Petr. Aponum, (de quo lectu digniſſima HEVMANNI Diſſertatio exſtat *Actor. Philoſ. Vol. II. p. 69. ſq.*) Theophr. Paracelſum, aliosque excuſat, et multa proponit notanda. Germanice Naudaei ſcriptum a IOH. REICHIO redditum eſt cum aliis eiusdem argumenti, hoc titulo *Halae M. a. 1703. in* 4. exhibitis: *Vnterſchiedliche Schriften von Vnfug des Hexen-Proceſſes.* Naudaeanae Apologiae interpretationem ipſi textui authentico hoc nomine eſſe praeferendam, REIM-

MAN-

MANNVS in *Catal. Bibl. Tomo I. p.* 781. opinatur, quod capita eius ab interprete certos in paragraphos ſint digeſta, et ſummariis illuſtrata: poſtponendam autem eſſe, quod in ea non pauca, nec leuidenſia, παρερμενείας peccata ſint commiſſa, quorum et quaedam detecta ſint a Wahrliebio, ſeu vero nomine IOH. CHRISTOPH. FRANCKIO, in *der Nichtigkeit der vermeynten Hexereyen, P. I. cap. 5. ſſ. 14. p.* 158. Praemiſſis his, de libris quibusdam viriſque, ob artes magicas infamibus, agere nunc ſigillatim animus eſt.

De HENRICO CORNEL. AGRIPPA communis olim traditio fuit, quod Magiae ſe addixerit totum, et malum Daemonem, canis nigri ſpecie, ſemper ſecum duxerit. Vid. quae hac de re narrat PAVL. IOVIVS *Elogior. Cap. CI.* Sed canem hunc fuiſſe naturalem, pueriliter a domino amatum, adeo, vt et in menſa et in lectulo ei adeſſet, WIERVS teſtatur *de praeſtig. Daemonum lib. V. cap. 5.* Idem quoque monet, quum Agrippa, inter chartas licet ſuas librosque plerumque delituerit, nec toto octiduo vix ſemel prodierit ex domo, quicquid tamen in diuerſis euenerit regionibus, ex amicorum, quos vbique habebat, plurimorum litteris cognouiſſet, id omne imprudentiores cani eius, tamquam Daemoni, acceptum tuliſſe. Occaſionem autem eiusmodi criminationis excogitandae ipſe ſuppeditauit Agrippa. Quoniam enim adoleſcens in libros cabbaliſticos, magicos, huiusque furfuris alios, inciderat, et callide intelligebat, aenigmata talia lectorem ignorantem, vt admiratione obſtupefieret, commouere, eiusmodi characteres, ſuo, quod condere coeperat, rerum naturalium ſyſtemati adplicuit, et ſic ad ſimilitudinem doctrinae cabbaliſticae valde iuuenis adhuc librum compoſuit de *occulta Phi-*

Philoſophia, *ſiue de Magia*; coniiciendumque non ſine veriſimilitudine, Agrippam, vt erat Thraſonis Terentiani mirus imitator, inſolita, et naturae vires excedentia, haud raro apud imperitos iactaſſe. Quum enim ſe mutare metalla, et ex ſiderum curſu diuinationes patefacere poſſe profiteretur, dubium non eſt, quin in reliquis artibus arcanis ſimiles fumos vendiderit. Maxime vero hanc auxit ſuſpicionem, quod paſſim amicis perſuaſerit, ſe clauem iſtius libri, totiusque negotii, ſibi atque ipſis reſeruaſſe. Qua declaratione abuſus eſt temere nebulo quidam, et hancce clauem, quaſi librum quartum Agrippae *de occulta Philoſophia*, *cum Elementis magicis* PETRI DE ABANO, ſeu, quod idem eſt, Petri Aponi, *anno* 1565, adeoque diu poſt fata illius, *in* 8. ſine loci indicio publicauit. Rariſſima haec eſt editio libri, qui, quod Magiam practicam exponit, ſpirituumque docet adiurationes, veterem accuſationem ſubinde confirmauit. Sed partum hunc eſſe ſuppoſitum inſulſumque, non ſolum WIERVS *l. c. lib. II. cap.* 5. monet, verum etiam dictio ab Agrippae ſcribendi genere plane diſtans, ac tota barbara, nonnullae item hypotheſes, quae ſyſtemati magico, quod is formauerat, e diametro repugnant, ſatis luculenter produnt. BRVCKERVS, ex quo haec ſcribens hauſi, in *Hiſt. crit. Philoſ. Tomi IV. Parte* 1. *p.* 407. locum ex Agrippae profert Epiſtolis, qui comprobat, eundem longe aliam intellexiſſe clauem, quam quae a fraudulento editore fuit exhibita; nec a veritate penitus diſcedere credit Naudaei coniecturam, hanc nimirum clauem Agrippam merae oſtentationis cauſſa memoraſſe, vt admirationem ac deſiderium eius iniiceret amicis, eosque circumduceret per dolos. Addit Bruckerus paullo poſt, a Monachis praecipue honoribusque eccleſiaſticis, Magiae crimen obiectum

iectum fuiſſe, in tanta tamen irarum et indignationum, quae inter hunc et illos intercesserint, magnitudine rem omnem redire ad calumnias. Cf. *ſummariſche Nachr. von auserleſen. Büch. in der Thomaſiſch. Bibl. Vol. I. p. 183. ſq.* Libri Agrippae, ſupra iam nominati, *de occulta Philoſophia* ſaepius fuerunt excuſi. Prima editio *Antwerpienſis* eſt *in 4. annum* 1531. praeferens, omniumque dici debet rariſſima. Sequuta mox *Pariſienſis* quaedam, item *Colonienſis*, qui tamen locus ſilentio eſt praetermiſſus, *a.* 1533. *in f.* Omnes quatuor libri, eo ſcilicet adnumerato, qui perperam Agrippae tribuitur, coniunctim lucem viderunt *anno* demum 1567. *in 8.* et quidem *Pariſiis.* CLEMENT in *Bibl. de livr. dificiles à trouver, Tomo I. p. 93.* obſeruat, huius exemplaris interpretationem Gallicam *anno* 1727. *in 8. Hagae Com.* Tomis II. prodiiſſe. Magni ingenii ſcriptum hoc eſt Agrippinum, quo natura quid valeat, docetur, quae Daemonum ſint operationes, quae horum illuſiones. Falſis tamen ſe vſum eſſe principiis, ipſe teſtatur ac dolet auctor. In libro enim *de vanitate Scientiarum Cap. XLVIII. p. m. 189.* ita loquitur: *De magicis ſcripſi ego iuuenis adhuc libros tres, amplo ſatis volumine, quos de occulta Philoſophia nuncupaui, in quibus, quicquid tunc per curioſam adoleſcentiam erratum eſt, nunc cautior hac palinodia recantatum volo: permultum enim temporis et rerum in his vanitatibus olim contriui. Tandem hoc profeci, quod ſciam, quibus rationibus oporteat alios ab hac pernicie dehortari. Quicunque enim non in veritate, nec in virtute Dei, ſed in eluſione Daemonum ſecundum operationem malorum ſpirituum diuinare et prophetare praeſumunt, et per vanitates magicas, exorciſmos, incantationes, amatoria agogima, et cae-*

 tera

tera opera daemoniaca et idololatriae fraudes exercentes, praeſtigia et phantaſmata oſtentantes, mox ceſſantia miracula ſeſe operari iactant: omnes hi cum Ianne et Mambre, et Simone Mago aeternis ignibus cruciandi deſtinabuntur. Imo *Cap. XLV.* omnes eiusmodi tenebrarum libros cum Vlpiano, Icto, *improbatae lectionis* adpellat. In quo autem vera conſiſtat Magia, *Epiſtol. lib. V. Epiſt. 19.* ſequentibus oſtendit verbis: *Quod ad poſtulatam Philoſophiam attinet, te ſcire volo, quod omnium rerum opificem cognoſcere artificem ipſum Deum, et in illum tota ſimilitudinis imagine, ceu eſſentiali quodam contractu, ſiue vinculo, tranſire, quo ipſe transformeris efficiareque Deus, ea demum vera ſolidaque Philoſophia ſit: quemadmodum de Moyſe ait Dominus, inquiens: ecce, ego conſtitui te Deum Pharaonis. Haec eſt illa vera et ſumma mirabilium operum occultiſſima Philoſophia. Clauis eius intellectus eſt, quanto enim altiora intelligimus, tanto ſubilimiores induimus virtutes, tantoque maiora et facilius et efficacius operamur. Verum intellectus noſter, carni incluſus corruptibili, niſi viam carnis ſuperauerit, fueritque propriam naturam ſortitus, diuinis illis virtutibus non poterit vniri, (non enim niſi quam ſimilibus congrediuntur,) ac peruidendis illis occultiſſimis Dei et Naturae ſecretis omnino inefficax eſt: atque hoc opus, hic labor eſt, ſuperas euadere ad auras. Quomodo enim, qui in cinere et mortali puluere ſe ipſum amiſit, Deum ipſum inueniet? quomodo apprehendet ſpiritualia, carni immerſus ac ſanguini? an videbit Dominum homo et viuet? Quem fructum adferet granum frumenti, ſi prius mortuum non fuerit? Mori enim oportet, mori,*

in-

inquam, mundo et carni, ac ſenſibus omnibus, ac toti homini animali, qui velit ad haec ſecretorum penetralia ingredi: non quod corpus ſeparetur ab anima: ſed quod anima relinquat corpus, de qua morte Paulus ſcribit Coloſſenſibus: Mortui eſtis, et vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto: et alibi clarius de ſe ipſo ait: ſcio hominem in corpore, vel extra corpus, neſcio, Deus ſcit, raptum vsque ad tertium coelum: et quae reliqua ſequuntur. Hac, inquam, pretioſa in conſpectu Domini morte mori oportet, quod contigit pauciſſimis, et forte non ſemper. Ex his profecto nulla improbi animi, artibusque addicti magicis, veſtigia adparent. Plura de viro hoc legi poſſunt, praeter laudati BRVCKERI collecta, in *den Fraenckiſchen Actis erud. et curioſis, Vol. I. p. 49. ſq.* vbi docta IOH. FRID. CHRISTII Obſeruatio occurrit, itemque in GE. FRID. RAVII Diſſ. *de Henr. Corn. Agrippae, eruditorum portenti, vita, fatis, ac ſcriptis, Vitemb. a. 1726.* Opera Agrippae omnia ſaepius *Lugduni* apud fratres Beringos, (quod fictum eſſe putat nomen, vti illud Petri Marteau, CLEMENT *l. c. p. 96.*) prodiere; at rarius inueniuntur, et plerumque in librorum prohibitorum Indicibus ſuum nacti locum ſunt. Notae editiones, *anno 1531.* et *a. 1600, in* 8. Tomis II. adornatae: tres etiam aliae, nullius anni habentes indicium, et quibusdam Opuſculis, in prioribus haud obuiis, auctiores. Singulae autem vitioſae caſtrataeque dicuntur. Optimam eſſe eam, quae *anno* 1580. repetita fuit *Lugduni* et in *Catalogo Biblioth. Rinckianae p. 998.* GLAFEIVS, et in *Lexico Erudit. Tomo I. p. 67. edit. nouiſſ.* IOECHERVS obſeruant. Sed vellem, huius rei adiectae cauſſae fuiſſent.

STRVVIVS in prioribus libri ſui editionibus ſequentia ſubiunxit: *Huc faciunt Clauiculae Salomo-*

nis, VALENT. WEIGELII (fanatici illius, de quo ſupra,) *Theoſophia pneumatica*, *Semiphoras et Schemhamphoras Salomonis Regis*, *Arbatel de Magia veterum*, VAL. WEIGELII *Geomantia noua, quae per* Andream Lupium *Veſaliae fuerunt edita* 1686. *in 4. Iſta enim omnia ſunt ſcripta ſpuria, ex falſae potius Magiae principiis deducta.* Separatim ſingula paucas tantum plagulas implentia, produxit Luppius. Ad *Clauiculas Salomonis* quod attinet, libellus hic plagularum trium ac dimidiae ipſo ab editore ſuppreſſus eſt, quum periculum capiti imminere reſciſceret. Inde raritas eius. Breue huius, lingua Germanica exarati, compendium dedit GODOFR. TILGNERVS in *Noua libr. rarior. Collect. Groſchuffiana*, quam continuauit, *Faſc. IV. p. 747. ſq.* Inter alia transſcribere placet, quae *p.* 754. occurrunt oculis. *Nos difficiles nugas*, inquit Tilgnerus, *conſulto ſilentio praetereuntes, pergimus ad formulas, quibus Theoſophum in citando Genio, ſibi iam familiari et notiore, vti conuenit, quibus accedunt Praeparatoria, vocationi ipſi praemittenda: Lauatio nempe corporis; mutatio veſtimentorum cum nouis, aut recens purgatis; confeſſio peccatorum; à Venere et Baccho per triduum abſtinentia; ieiunium et diſtribuendae egenis eleemoſynae; creſcente porro luna in locum purum, et ab omni humano ſtrepitu remotum, ſeceſſus, et precum tandem, poplite flexo recitandarum, ſolemnitas. Iſtarum precum breuiſſima duo, quae exhibentur, ſpecimina hic quidem referre horreo, ob abuſum Sacroſancti Nominis diuini deteſtandum. Apparente Spiritu, quodcunque Theoſophus ſcire auet, laconicis verbis proponendum, et ne quaeſtionum numerus ternarium excedat, cauendum: Daemonium ipſum vltra horam non defatigandum, ſed accepto conſignatoque reſponſo, cum*

gra-

gratiarum actione, dimittendum. Inhabiles ſunt ad Eudaemones exciendos omnes gibboſi, luſci, claudi, aut ſimili corporis vitio deformes. Acceſſit recenſioni Agellii Tranquilli, i. e. GE. FR. TRYLLITII, *Epiſtola ad Tilgnerum*, in qua plura de libello fatuo impioque diſſeruntur. Ante aliquot annos is ipſe, Straubii, bibliopolae olim Vindobonenſis, machinationibus, recuſus fraudulenter eſt venditusque ſex aureorum pretio. Vid. *die Hamb. freyen Vrtheile a.* 1753. *p.* 784. Complures eiusmodi libros, *Clauicula Salomonis* vocatos, reperies in IOH. CHRIST. GODOFR. IAHNII *Bücherverzeichnis, Vol. II. Lipſ. a.* 1754. *in* 8. exhibito, a *p.* 680. *vsque ad p.* 700.

Magicae artis princeps fere habetur IOHANNES, ſeu, vt alii GEORGIVS FAVSTVS, a plebe Doctoris honoratus titulo. Vitam eius, acta magica, exitumqne horrendum partim ex ipſius Fauſti, partim famuli eius, Iohannis Waigeri, Schedis congeſſit, linguaque Germanica *Hamburgi a.* 1599. *in* 4. edidit GE. RVDOLPH. WIDMANNVS, additis vbique Obſeruationibus. Repetitus liber typis, nouisque quibusdam adnotamentis auctus, cura IOH. NICOL. PFITZERI, Medicinae Doctoris, *Norimb. a.* 1681. itemque *a.* 1717. *in* 8. hac quidem inſcriptione: *das ärgerliche Leben vnd ſchreckliche Ende des viel berüchtigten Ertz-Schwartzkünſtlers, D. Iohannis Fauſti.* Primam editionem, cuius ſequens eſt titulus: *wahrhaftige Hiſtorien von den greulichen vnd abſcheulichen Sünden vnd Laſtern D. Ioh. Fauſti,* recenſuit copioſe STRVVIVS in *Biblioth. antiqua anni* 1706. *menſe Iunio p.* 232. Singularibus quoque de eodem Diſſertationibus egerunt IOH. GE. NEVMANNVS *Vitemb. a.* 1683. ac denuo *a.* 1711. et 1743. quod Opuſculum tamen hominem prodit, tunc temporis nondum in ſcribendo ſatis exercitatum; conuerſum interim

Germanice, et *Parti I. Deliciarum Manipuli* illatum, qui *Dresdae ac Lipſiae a.* 1702. *in* 8. prodiit; IOH. CONR. DVRRIVS apud SCHELHORNIVM *Amoenit. litter. Tomo V. p.* 50. *ſq.* vbi putat Auctor *p.* 71. rem omnem fabulam eſſe, et Monachorum ortam inuidia, et pertinere ad Ioh. Fauſtum, Germersheimenſem Palatinum, vel, vt ipſe loquitur, ex fictitio et ſcenico Iohanne Fauſto, mago, refingendum eſſe verum, et non necromanticum, ſed typographico atramento nigricantem Ioh. Fauſtum; ac denique CHR. AVG. HEVMANNVS, quippe qui de Fauſto varia congeſſit erudita et fide digniſſima in HAVBERI *Bibliotb. magica, Tomo III. P.* 27. *p.* 184. *ſq.* Translata eſt, ni plane fallor, haec ipſa Commentatio Germanica in *die Hannöueriſchen Beyträge zum Nutzen vnd Vergnügen a.* 1759. *P. XXXIX. p.* 609. *ſq.* Cf. quae idem ex IOH. TRITHEMII *Epiſtolis familiaribus*, iam rariſſimis, protulit in *Miſcell. Lipſ. nouor. Vol. II. p.* 122. *ſq.* Tribui ſolet Fauſto liber, *Practiſirter Geiſter-Zwang* dictus, et ARPIO teſte *de Operibus Talismanes caet. p.* 126. *Paſſauiae a.* 1605. *in* 12. excuſus. FREYTAGIVS *Anal. litterar. de libr. rarior. p.* 334. incidiſſe ſe refert apud bibliopegum in Mstum quadraginta foliorum, cuius hic fuerit titulus: *Der heimliche vnd vnerforſchliche Höllenzwang D. Fauſtens, gedruckt zu Lion* 1407. Annus hic manifeſto eſt falſus, nec ſubſtituendus cum Freytagio *annus* 1470, quo quippe nondum erat natus Fauſtus. Adiicitur deinde hoc iudicium: *Vt voces hebraicas, graecas, et latinas corruptas deprauatasque taceamus, tot putidis ineptiis, tot abſurdis nugis, tot impiis et ſibi contradicentibus adiurationibus omnia repleta conſpiciebantur, vt ſtolidus, fatuus, et blennus fuerit, cui non primo ſtatim adſpectu deteſtanda impietas, quae cum ſumma malitia et ſtultitia coniuncta eſt,*

in

in oculos incurrat. In Catal. Biblioth. Hulſianae P. I. p. 331. inuenitur inter Mſtos Forçat des Demons, ou autrement magie noire, *qui forte quandam ſimilitudinem cum Mſto, quod vidimus, habuit.* Clar etiam FRANCKIVS in *Catal. Bibl. Bunav. Tomi I. Vol. 2. p.* 1237. eximiam hanc Bibliothecam ſeruare memorat Coniurationes Spirituum, lingua Germanica ſcriptas, Fauſtique nomen praeferentes, in quo ſcripto praeter ſanctiſſimum ſummi Numinis nomen, centies tamen per abuſum repetitum, nihil ſanae mentis homine dignum occurrat. In FRID. ROTHSCHOLTZII *Collect. I. Herrenſt. a.* 1732. *in* 8. vna plagula excuſa, quae Catalogum rariorum librorum et manuſcriptorum magico-cabbaliſtico-chymicorum continet, *p. 8. et 9.* plures inuenio libros, quibus Fauſti nomen adſcriptum eſt, magicos; at, quantum ſuſpicari licet, omnes haud fuere in lucem producti. Forte tales ineptias nebulonis cuiusdam ingenium peperit, Fauſtoque adſeruit, malis artibus, et adiurationibus Daemonum olim tam famoſo.

De HIERONYMI MENGI *Flagello Daemonum,* iterum *Francof. a.* 1608. *in* 8. edito, IAC. FR. REIMMANNVS in *Catal. Bibl. Tomo I. p.* 788. haec indicat lectoribus ſuis; *Lege, ſtupeſces! Stupeſces, inquam, enormem nominis diuini et SS. et Sacramentorum abuſum, ſimulque deprehendes artis exorciſticae vanitatem, ſtoliditatem, impietatem, et auctoris huius impudentiam, qui linguae Ebraicae et Graecae imperitus nomina diuina mire deprauauit, et integras benedictiones, et coniurationes ex Elementis magicis Petri de Abano, aliisque libris ſpurciſſimis exſcripſit. Atque hinc factum procul dubio, vt poſt primam editionem Bono-*

 nien-

nienſem, quae A. C. 1589. exiit, et rarior facta eſt, Romanenſes ſacerrimum hunc librum prelo rurſus ſubmittere noluerint, veriti, ne lectores vna cum arte exorciſtica, et artem magicam inde condiſcerent. Atque de alio eiusdem libro, *ibid. eodemque anno in 8.* recuſo, qui *Fuſtis Daemonum* adpellatur, *adiurationes formidabiles complectens,* ſic ſcribit Reimmannus *l. c. p. 793. De quo ſacerrimo libro vide, quae de Auctoris flagello Daemonum diximus. Cuius flagelli hic fuſtis eſt Pars tertia, ſi huius editionis Indici fidem habeas; ſi vltimae, quae ſine die et conſule prodiit, hic fuſtis flagelli eſt Pars ſecunda. Quae quocunque modo ſe habeant, fuſtis aeque ac flagellum dignus, qui aeternis tenebris obruatur.* Quae poſtquam ſcripſeram in FREYTAGII *Analect. de libr. rarior. p.* 596. forte obuenit mihi eiusdem *Fuga Daemonum, adiurationes potentiſſimas, et exorciſmos formidabiles, atque efficaces, in malignos Spiritus propulſandos, continens. Venet. a.* 1596. *in 8.* Libri duo priores, quod ignoraſſe videtur Reimmannus, ſuum etiam locum inuenere in *Malleo Maleficarum, Tomo III. num.* 1. *et* 2. Huius Operis deteſtabilis, cuius primae editiones, (v. g. *Colonienſes annos* 1489. *in 8.* et 1494. *in f.* item *Norimbergenſis Koburgeriana annum* dictum 1494. *in 4.* praeferentes,) longe ſunt rariſſimae, nouiſſima et abſolutiſſima eſt editio *Lugdunenſis anno* 1669. *in 4.* Tomis IV. producta. Primus varia, ex quibus conſtat, ſcripta collegit IAC. SPRENGERVS, Ordinis Praedicatorum. Vberius de hac ipſa Sylloge actum ab EBERH. DAV. HAVBERO in *Bibliotheca magica, Tomo I. p. 26. p. 90. p.* 311. *et p.* 317. *ſq.* Add. VOGTIVS in *Catal. lib. rar. p. m.* 435. LILIENTHALIVS in *der theol. Biblioth. Vol. I. p.* 995. et FREYTAG. *Analect. de libr. rarior. p.* 561. Generatim hoc loco Bibliotheca magica Hauberiana, quam *Tomo II.*

cap.

cap. 6. Sect. 1. ſ. 25, vbi de Diariis Germanorum philoſophicis ſermo eſt, paucis iam recenſuis inſpici ab iis meretur, qui plura de ſcriptis ad res magicas pertinentibus noſſe voluerint.

§. XXIV.

Veritati morali repugnant libri Polygamiae patrocinium ſuſcipientes, nec non libri Sotadici, ſiue obſceni.

Polygamiam, eamque ſimultaneam, primum quantum ſciam, licitam eſſe ſtatuit HVLDRICHVS NEOBOLVS, (id eſt, quod veri nonnullis ſimillimum, Mart. Bucerus, Theologus Proteſtantium, negante hoc tamen SCHELHORNIO *Vol. I. Parte* 4. *der Ergoetzlichkeiten aus der Kirchenhiſtorie vnd Litteratur, p.* 637. *ſq.*) edito *anno* 1541. *in* 4. ſine loci mentione Dialogo, *ob es Göttlichen, Natürlichen, Keyſerlichen vnd Geiſtlichen Rechte gemeſſe, oder entgegen ſey, mehr dann ein Eeweib zugleich zu haben?* De quo rariſſimo hodie libro, ex quatuor et viginti plagulis conſtante, qui ea de cauſſa compoſitus videtur, vt coniunctio Philippi, Landgrauii Haſſiaci, cum Margaretha a Sahl, viua adhuc vxore, Chriſtina, Principe Saxonica, defendatur, ita ſententiam ſuam dixit, animo incitato, Lutherus: *Wer dieſen Buben vnd Buch folget, vnd darauf mehr denn eine Frau nimmet, vnd will, daſs es ein Recht ſeyn ſoll, dem geſegne der Teuffel das Baad in Abgrund der Höllen. Amen.* caet. Vid. SECKENDORFII *Hiſtoria Lutheraniſmi, lib. III. ſ.* 113. *p.* 1879. Cf. *die vnſchuld. Nachr. a.* 1704. *p.* 225. *ſq.* et BAVMGARTENII *Nachricht. von merckwürd. Büch. Vol. V. p.* 503. *ſq.* vbi ampla exſtat ſcripti huius recenſio.

Neobulum ſequutus eſt BERNARDIN. OCHINVS, qui in Dialogis ſuis, et quidem *Dialogo XXI.* iti-

itidem Polygamiae ſe praebuit patronum, vt ſupra iam ſ. XXII. *huius Capitis* indicaui. Turbauit dogma id concitauitque Tigurinos, aliosque Heluetiae Theologos. Inde nec parum auctori moleſtiae creatum. In Polonia etiam, quum Polygamiam licitam eſſe, non pro roſtris ſacris reticuiſſet, a mulieribus male habitus, et hoc ex regno commigrare in Morauiam coactus eſt, referente id SAM FRID. LAVTERBACHIO in *Socinismo Polonico*, *oder dem ehemahligen Polniſchen Arianiſchen Socinismo*, *Frf. et L. a.* 1725. *in* 8. *p.* 147. Praecipue ea fuit Ochini opinio, ſi quis vxorem habeat vel ſterilem, vel frigidam, vel aduerſa laborantem valetudine, ipſe vero continentiae dono non ſit praeditus, is Deum de eo concedendo implorare debeat. Quae preces vbi ſucceſſu careant optato, tunc faciendum eſſe id, ad quod Deus impellat, alteram ſcilicet, non repudiata priori eſſe ducendam vxorem, ita tamen, vt quis diuinum inſtinctum exploratum habeat. Vid. *Obſeruat. ſelectae Halenſes, Tomo V. p.* 30. *et* 31. In ſubſequenti ſ. XX, dictae Obſeruationis Auctor, STRVVIVS, mirari ſe profitetur, qui factum fuerit, Ochinum tam acres propterea nactum cenſores eſſe, quum alii, iam ante eundem, longe maioris auctoritatis grauitatisque viri, eadem publice docuerint. Prouocat potiſſimum ad quaedam LVTHERI noſtri verba, *Tomo II. Opp. Germ. Ienenſ. p.* 156. obuia, vbi inter alia haec adſerit exſtare: - - *Als man wohl findet ſo ein halsſtarrig Weib, das ſeinen Kopf auffetzet, vnd ſolt der Mann zehenmahl in Vnkeuſchheit fallen, ſo fraget ſie nicht darnach. Hie iſt Zeit, daß der Mann ſage: Wiltu nicht, ſo will eine andere, will Fraue nicht, ſo komme die Magd*, caet. At hunc quidem locum Theologis noſtris explicandum relinquo. Id clarum certe, repugnare his

ea,

ea, quae ſupra de Neobulo pronunciauerat Lutherus. Subiicit Struuius: *Quid autem magis pium? Ochinus in caſu vltimae neceſſitatis, omnibus adhibitis mediis et praemiſſis precibus ardentibus, ſequendum docet inſtinctum diuinum: Lutherus proprium. Ochinus ſi vxor fuerit vel ſterilis, vel frigida: Lutherus ſi tantum refractaria. Ochinus docet aliam priori ſuperinducere: Lutherus, priori repudiata, alteram ducere.* Singulari libro *de Polygamia et diuortiis, Geneuae a.* 1568. *in 8.* euulgato, *ibidem*que *anno* 1569. cum Tract. *de repudiis;* item 1591. recuſo, THEODOR. BEZA examinauit et euertere ſtuduit argumenta Ochini, turpi plagio, magna ex parte, Neobulo ſurrepta, teſte SCHELHORNIO *l. c. p.* 635. Hunc Ochini de Polygamia Dialogum, Anglicam in linguam translatum, *Londini a.* 1657. *in* 12. prodiiſſe, indicat LILIENTHALIVS *Vol. I. der theolog. Biblioth. p.* 1157.

Nunc accedendum ad IOH. LYSERVM, Polycarpi, Theologi Lipſienſis, filium, quem varii Scholae Portenſis, prope Numburgum, Rectorem falſo dixere. Ibidem enim ſacrorum fuit Antiſtes, ac Dioeceſeos Inſpector, ſiue, quae magis ſolita vox eſt, Superintendens. Quum admodum negligenter ſuis fungeretur partibus, Saydam, quod paruum eſt oppidum, Vitembergae vicinum, Paſtor ac Superintendens ablegatur. At mox, deſerto nouo munere, abit clanculum, Holmiamque contendit. Ibidem operam dedit ſcriptioni, excitatusque a Comite quodam Suecico, de Koenigsmarck, coniugis ſuae, nobilis Dominae de Wrangel, pertaeſo, de Polygamia ſimultanea commentari coepit, atque eam non licitam ſolum, ſed diuino etiam humanoque iure praeceptam, imo ad huius ac futurae vitae feli-

lici-

licitatem obtinendam prorſus eſſe neceſſariam, et ſibi, et aliis perſuadere conatus eſt. Noli tamen, Lector, exinde ſuſpicari, Lyſerum rei venereae fuiſſe appetentiſſimum. Tantum enim abeſt, vt vxorem habuerit vnquam, vt potius ab omnibus eius generis amoribus plane viſus ſit alienus. Praeter haec corpus eius debile fuit vtique, minutum, exſangue, morbis item, et variis rerum diſcriminibus, mirifice maceratum. Exſtitere tunc temporis plures, iique loci non infimi, apud Holmienſes viri, qui in conuiuiis, et inter amicos, Polygamiae ſeſe profeſſi ſunt fautores. Qua concertatione audita cognitaque, BALTHASAR MENZERVS, ibidem degens, familiari cuidam, quae ſua eſſet de hoc argumento ſententia, et viua voce coram expoſuit, et litteris conſignauit. Vbi ſcriptum hoc in multorum peruenerat manus, auctore inſcio typis impreſſum eſt *Holmiae a.* 1670. et hoc quidem titulo: *Herrn D. Balth. Menzers Schreiben zu Stockholm, an einen fürnehmen guten Freund abgegeben über einem mit ihm gehaltenen Geſpräche, betreffend die Polygamie und Eheſcheidung.* Atque haec ipſa Epiſtola Lyſero ſuppeditauit occaſionem, vt, adſumto SINCERI WARENBERGII nomine, in Suecia *anno* 1671. *in* 4. diuulgaret

1.) *Kurtzes Geſpräch von der Polygamie;* quo in Dialogo Bernhardus ac Theodorus ita inter ſe de hacce cauſſa diſputant, vt Theodorus, Polygamiam verbo diuino haud eſſe prohibitam demonſtraturus, dicta Codicis ſacri, a Menzero adlata, excutiat, iisque contineri quidquam neget, quod Polygamiae aduerſaretur. Transmittebatur libellus mox Darmſtadium, vbi ſummi Sacerdotis aulici dignitate fulgebat Menzerus; itaque Epiſtolam ſuam Holmienſem, ipſumque ſimul Warenbergii Dialogum, prelo iterum ſubiecit, et, ne veneno deeſſet anti-

antidotum, adiunctis animaduerſionibus obiectiones Warenbergii confutauit. Exhibita haec editio *Francof. a. 1672. in 4.* Surrexit etiam contra Lyſerum CHRISTIAN. VIGIL, i.e. FRID. GESENIVS, ſacrorum Garlebienſium Antiſtes, qui *Germanopoli*, ſeu *Garlebiae, anno 1673. in 4.* plagulis quinque, vnoque folio, in quo errata typothetae emendantur, prodire iuſſit *Epiſtolam ad Sincerum Warenbergium, Suecum, ſuper Polygamia ſimultanea.* Quum vero auctorem ſcripti Warenbergiani dixiſſet Sam. Puſendorfium, nouum exinde bellum, idque acerbiſſimum, coortum eſt, non de Polygamia ipſa, ſed vnice de Dialogi architecto. Longum nimis foret, totam hanc litem commemorari. Adeat, qui rem geſtam cognoſcere penitus cupit, CHRIST. GOTTLIEB CLVGII Diatriben epiſtolicam *de ſcriptis Ioh. Lyſeri, ad tuendam ſuadendamque Polygamiam editis, Vitemb. a.* 1748. *in 4. p. 10. ſq.* Redeo iam ad Lyſerum, qui paullo poſt priorem Dialogum exarauit alium Germanicum, neſcio an typis vnquam publicatum. Ipſe Vigil, ſiue Geſenius, qui eundem Latine reddidit, in Praefatione libellum, prelo iam dum deſtinatum, ſe accepiſſe monet. Editionis Geſenianae haec eſt inſcriptio:

2.) *Diſcurſus inter Polygamum et Monogamum de Polygamia, auctore Aletophilo Germano.* (Hoc enim ficto nomine vſus eſt Lyſerus.) *Prodiit iam Latine, cum cautione, praefatione, et notis marginalibus Chriſt. Vigilis, huius Epiſtolae ad Warenbergium ſubnexus, a. 1673. in 4.* Videmus ex hoc, duarum plagularum ſcriptum cuius interpretatio non ſatis Latina dicitur, *Epiſtolae* VIGILIS, ſupra productae, ſaltim acceſſiſſe. Notae etiam, in margine obuiae, leuioris

ris laboris ſpecimen ſunt. In Dialogo autem ipſo colloquuntur inter ſe Polygamus et Monogamus; et quamquam Monogamus ea profert e ſacris litteris, quibus et Monogamiam confirmari, atque Polygamiam oppugnari poſſe arbitratur, imo ad auctoritatem Eccleſiae communemque ſententiam prouocat, ad interdicta item Magiſtratus ciuilis, et ad incommoda, quae ex Polygamia naſcantur; vbique tamen diſcedit inferior, quippe Polygamus ea ſubinde opponit, quae animum Monogami ita dubium reddunt et ancipitem, vt tandem, argumentis illius confutandis ſe imparem ſentiens, eius in partes deſcendat. Sequutus eſt

3.) *Diſcurſus politicus de Polygamia*, Latine compoſitus, *auctore Theophilo Alethaeo, Friburgi apud Henr. Cunrath, a. 1674. in 12.* paginis 96. Chartae typorumque nitor dubitare vix ſinit, Opuſculum in Belgio lucem adſpexiſſe. (*Amſtaelodami* eſſe factum id, NICERONIVS teſtatur in *Vita Lyſeri.*) Ibidem repetitum eſt typis, et quidem auctius, explet enim plagulas vndecim *anno 1676. in 8.* Hic ea, quae in Dialogis breuiter ſtrictimque propoſuerat, maiori adhibita vi, pluribusque inſtructus copiis, vberius explicare et corroborare ſtuduit Lyſerus. Belgicam libelli interpretationem, annum 1678 in 12. praeferentem exhibet *Catalogus Biblioth. Chriſtiae, Parte I. p. 362.*

4.) *Anno 1676. in 4. Friburgi ap. Henr. Cunrath* plagulis ſex atque dimidia prodiit *Politiſcher Diſcours zwiſchen Polygamo vnd Monogamo von der Polygamia, oder Vielweiberey, aufgeſezt, vnd mit mehr als hundert Anmerckungen erklähret von I. L.* Singularis eſt Dedicatio, his verbis concepta: *Allen Goettern auf Erden, d. i. allen Obrigkeiten,* *Ho-*

Hohen vnd Niedrigen, *Geiſtlichen vnd Weltlichen als beſten Anfängern*, *groeſten Beförderern*, *vnd mächtigſten Beſchützern der Viel-Weiberey*, *übergiebet dieſes Autor*. *Actor. XIII, 46.* Euch (*als groſſen Patronen der Viel-Weiberey*, *ſo als ein weltlicher Contract Euch vor allen Dingen angehet*) muſte (*vermöge der Gewiſſens-Vnruhe*, *ſo viele mit mir in dieſer Sache empfinden*) zuerſt (*vor allen Schriftgelehrten*, *ſo wegen vorgefaſter Meinung die Wahrheit nicht alsbald ſehen*, *auch vor den gemeinen Pövel*, *ſo das auch nicht leicht begreifen kan*,) das Wort Gottes (*von der Gerechtigkeit der Viel-Weiberey*, *daß ſie weder dem Geſetz der Natur*, *noch auch den zehen Geboten zuwider läufft*) geſaget (*vnd in dieſem Diſcours deutlich vnd vnverwerfflich vor Augen geſtellet*) werden. Nun ihr es aber von Euch ſtoſſet, (*die Wahrheit vnterdrücket*, *hemmet*, *hindert*, *vnd nicht befördert*,) vnd acht euch ſelbſt nicht werth des ewigen Lebens (*ſo die Viel-Weiberigen Alten*, *Abraham*, *Iacob*, *Simeon*, *Gideon*, *Elkana*, *David*, *Salomon*, *Rehabeam*, *Ioas*, *caet*. *ſind theilhafftig worden*) ſihe ſo wenden wir vns zu den Heyden (*ſo aus dem Licht der Natur ein beſſer Erkaentnis dieſer Wahrheit haben*, *die werden einmahl auffſtehen*, *vnd euch verdammen*) Denn alſo hat vns der Herr befohlen, *das iſt Gottes gnädiger Wille und Wohlgefallen*. Hocce autem ſcriptum nihil aliud eſt, quam Dialogus Germanicus, num. 2.) memoratus, quem recognouit, multumque locupletauit, Auctor. Conſpicitur idem hac inſcriptione nonnunquam: *Das koenigliche Marck aller Laender*, *das iſt*: *Politiſcher Diſcours* caet. Quae exemplaria, in honorem forte Maecenatis ſui, Comitis de Koenigsmarck, ſic mutata, prioribus longe rariſſima ſunt, iuſſu quippe Dano-

Danorum Regis a carnifice combuſta magno numero. Edictum Regium, Hafniae a. 1677. menſe Martio datum, reuerendus Vir, IOH. IOACH. GOTTLOB AM-ENDE, *Memoriis Inſpector. Portenſium, Vitemb. a. 1748. in 4.* excuſis, *p. 40.* integrum inſeruit. Intelligitur exinde ſimul, Lyſerum, cum comminatione vltimi ſupplicii ſi vnquam redierit, ex Dania eiectum fuiſſe. Mox igitur Stadam, Kiloniam, atque tum Guſtrouium conceſſit, tandemque Sueciam petiit, Holmiaeque commoratus eſt aliquamdiu. Et hic merces ſuas exponere venales coepit, adſcito Wahrmundi nomine. In hoc enim regno libellum priorem, *Politiſcher Diſcours* inſcriptum, denuo prelo ſubiecit, ac titulo quidem ſequenti: *Vornehmer Leute Gedancken vom Eheſtande, zuſammen getragen von* GOTTLIEB WAHRMVND. *Gedruckt zu Friburg durch Henr. Kunrad 1679. in* 4. plagulis ſeptem. Nihil omnino mutatum, praeter Praefationem, quam ampliorem reddidit Lyſerus, ac Dedicationem ad Magiſtratum in genere, ſatis ridiculam, quam plane praetermiſit, eiusque loco haec adiecit ſaltim: *allen vnpaſſionirten Liebhabern zu weitern Nachſinnen in dem neuen Iahr übergeben vom Autor.* Quae editio, eundem praeferens annum, ſic etiam exſtat inſcripta: *Gewiſſenhafte Gedancken vom Eheſtande, zuſammen getragen von* GOTTLIEB WAHRMVND, caet. In Praefatione correxit Auctor articulorum numerum, antea corruptum, et articulo X. nonniſi pauca quaedam verba addidit. Reliqua omnia reſpondent editioni priori. Sparſis vbique exemplaribus parum certe aberat, quin a mulieribus, ira concitatis, diſcerperetur Lyſerus, niſi Magiſtratus prouidentia hinc ereptus peri-

periculo, carcerique ſtatim incluſus fuiſſet. Per aliquot temporis ſpatium detentus eodem, tandem, lata in Curia Holmienſi die 14. m. Iulii, anni eiusdem, ſententia, exilio punitur, ita tamen, vt antea ſcriptum eius per carnificem publice combureretur, in conſpectu Auctoris. E Suecia migrauit in Italiam, paucisque ibi repertis dogmatum ſuorum amicis, ad Belgas tranſiit, et *Amſtaelodami*, non Londini Scanorum, vti quidem titulus mentitur, *anno* 1682. *in 4.* exhibuit

5.) *Polygamiam triumphatricem, id est, Diſcurſum politicum de Polygamia, auctore Theoph. Alethaeo, cum notis Athanaſii Vincentii, omnibus Anti-Polygamis vbique locorum, terrarum, inſularum, pagorum, vrbium, modeſte et pie oppoſitam.* Hoc Volumen, quod noua eſt editio *Diſcurſus politici*, *anno* 1674. et 1676. editi, vt ſupra num. 3. dictum, praeter Praefationem, Addenda et Indices, paginas 565. complet. Deſideratur in expurgandis typothetae mendis diligentia adcuratior: imo, eiusdem culpa, integrum argumentum, quod ad ipſam cauſſam ſpectat, omiſſum fuit. Caeterum pleraque, vti olim dicta erant, hic occurrunt. Id monendum tantum, Diſcurſum politicum conſtare ex theſibus octoginta: Polygamiam contra triumphatricem ex nonaginta. Ei quippe intexuit Lyſerus, quae a theſi quinta, vsque ad quartam ac decimam, leguntur, hiſtoriamque Polygamiae enarrauit, ab antiquiſſimis inde temporibus vſu inter mortales comprobatae; quod eo quidem conſilio videtur feciſſe, vt eandem et Iure naturae, et communi gentium conſenſu niti oſtenderet. De reliquis huius nouae editionis acceſſionibus, videatur CLVGIVS *l. c. p. 20. ſq.*

 Ideo

Ideo autem libro huic Polygamiae *triumphatricis* nomen impoſuit, quoniam IOH. BRVNSMANNVS, Theologus Danus, ſcriptis Lyſerianis, Polygamiae cauſſam agentibus, *Monogamiam victricem Francof. a.* 1679. *in* 8. obiecerat. (Cf. BAVMGARTENII *Nachr. von merckwürd. Büch. Vol. V. p. 498.*) Hunc etiam virum Lyſerus confutandum ſibi praecipue ſumſit in notis, quas ipſe libro ſuo adiunxit, ampliſſimis, at ineptis paſſim, et ab inſtituti ratione alienis.

Recenſui nunc omnia huius generis ſcripta, Auctori, qui ne vni quidem mulieri, quantum coniicere ex eius corpuſculo licuit, ſuffeciſſet, vbique locorum non niſi inuidiam et periculum conflantia. Singula raritatis eximiae notam habent, cumprimis inter priora quaedam. Plures nactus eſt Lyſerus aduerſarios: ſed pauci ſolide diſputarunt. Non ita multo poſt editam Polygamiam triumphatricem, per varios caſus in Galliam tendens, Lutetiam Pariſiorum peruenit, vbi exactis aliquot menſibus grauiter aegrotauit, quo morbo nonnihil leuatus Verſaliam ſeſe recepit; at nec in ſplendidiſſimo loco inuenit, qui ſubſidia vitae porrigerent rebus omnibus egentiſſimo, ideoque pedibus iter denuo adgreſſus eſt ad Pariſienſes, in quo admodum eneruatus, morboque nouo correptus, haerere cogitur. Praetereuntes, commoti miſericordia, in vicinam caſam deferunt hominem infelicem, vbi extremum vitae diem anno 1684. obiit, MASIO teſte in *Epiſtola ad Petr. Allixium*, quae inſerta BAELII *Nouvell. de la Rep. des Lettr. m. Aprili 1685. p. 362. ſq.* Idem BAELIVS in *Dict. hiſt. et crit.* v. Lamech, *nota A. Tomo III. p. m. 40.* ſic ſcribit: *C'eſt un plaiſant homme que l'Auteur du Polygamia triumphatrix, qui uſa*

ſes

ſes biens et ſa vie, à travailler pour le dogme de la pluralité des femmes, lui, qui en auroit eu trop d'une. Il traite d'action heroïque la reſolution, que prit Lamech, d'en épouſer deux, et il le loue extraordinairement d'avoir été le premier, qui examina avec beaucoup d'attention cet ordre de Dieu croiſſez et multipliez, *et qui l'aiant bien examiné ſe mit en devoir, d'y obeïr ſelon toute l'etendue de ſes forces, en ſe mariant à deux femmes. - - - Voilà comment ce pauvre Auteur s'étoit entête de Polygamie: il en avoit fait ſa marotte;* caet. Prae caeteris de Lyſeri fatis ſcriptisque perquam diligenter egerunt laudati iam abs me AM-ENDE *p.* 18. *ſq.* et CLVGIVS, anno 1760. Vitembergae hominum viuorum coetui ereptus, qui et *p.* 50. *Diatribes* ſuae obſeruat, haud dubie Lyſerum in Dialogos Bern. Ochini incidiſſe. *Quantum,* ait, *e Theod. Bezae libro de Polygamia et diuortiis, his Ochini Dialogis oppoſito, mihi conſtat, Ochinus in eadem inſiſtit via, quam Lyſerus ſibi calcandam ſumſit. Vtitur iisdem argumentis, e Scriptura ſacra petitis. Dicta Scripturae, Polygamiae aduerſantia, exceptionibus ludicris eneruat, et, dum alios de hoc argumento loquentes facit, ſententiam ſuam in animo lectoris clanculum defigit. Et quamuis Lyſerus in ſcriptis ſuis nullam de Ochino, quantum memini, mentionem iniiciat, tamen inter vtrumque Scriptorem ita conuenit, vt nullus dubitem, Lyſerum, lecto Ochini Dialogo, aut opinione iſta infectum, aut in ea magis magisque confirmatum eſſe. Et nonne homines fraudulenti, et qui aliena ſcrinia expilant, id agunt ſedulo, vt fontes, e quibus ipſi biberunt, ſilentio quaſi tegant?* Vſus eſt horum Duumuirorum laboribus eruditis CLEMENT in *Bibl. de livr. dificiles à trouver, Tomo I. p.* 172. *ſq.* Idem et ego feci: emendatis tamen ad-

 iectis-

iectisque nonnullis, quum pleraque haec Lyſeriana habere olim ante oculos contigerit.

Sub idem tempus, quo Lyſerus in defendenda Polygamia occupatus fuerat, et *anno* quidem 1679. *in* 4. paginis 249, ſi Epiſtolam exceperis dedicatoriam, ſine loci tamen mentione prodiit: *Kurtze, doch vnpartheyiſch- vnd gewiſſenhaffte Betrachtung des in dem Natur vnd Göttlichen Recht gegründeten heiligen Eheſtandes, in welcher die ſeither ſtrittige Fragen vom Ehbruch, der Ehſcheidung, vnd ſonderlich von dem vielen Weiber-nehmen, mit allem beyderſeits gegebenen Beweisthumb, dem chriſtlichen Leſer vorgeſtellet werden durch* DAPHNAEVM ARCVARIVM. Sub ficto hoc nomine latere LAVR. BEGERVM, ſiue Bögerum, Carolo Ludouico, Electori Palatino a Bibliotheca tunc temporis, Virum aliis libris, ad Antiquitates remque numiſmaticam pertinentibus, celeberrimum, nemo iam facile ignorabit. Ipſe hic Princeps, litterarum haud ſane rudis, vt colorem daret matrimonio, quo iungere ſibi conſtituerat illuſtrem Virginem a Degenfeld, Coniugi ſuae, Charlottae, Landgrauiae Haſſiacae, a miniſteriis aulicis, omnem adparatum librarium perluſtrauerat, inque ſchedulis notauerat quaecunque commendare ac probare inſtitutum videbantur. His Begero traditis praecepit eidem, vt ſingula conſcripta redigeret in ordinem, iuſtumque componeret librum, ex quo Polygamiam eſſe licitam intelligi poſſet. En! veram, cui idem ille ortum debet ſuum, cauſſam. Singulare autem eſt, quod ex CAROLI ANCILLONII *Memoires, concernant les Vies et les Ouvrag. de pluſieurs Auteurs modernes p. 440.* memoratur in *Actor. Erudit. Supplem. Tomo IV. p. 464.* ſcilicet Carolum, nouum Electorem, qui Patri anno 1680. ſucceſſe-

ceſſerat, iniuriamque aegre ferebat, Matri illatam, adegiſſe Begerum, vt quicquid conſarcinauerat ad Polygamiam excuſandam, commentatione alia confutaret, idque ſcriptum, nunquam editum, poſt Caroli mortem caſu quodam ad Begerum rediiſſe, ac deinde haeſiſſe in viduae ipſius manibus. An hodie et vbi locorum, adhuc exſtet, mihi plane ignotum. De libro Begeri typis impreſſo nunc ſpeciatim adferam, quae Lectoribus meis non fore iniucunda confido. Dedicatio exarata eſt *an das Durchlauchtigſte, Groſsmächtigſte, Hochgebohrne, Hoch- vnd Wohledle, aufrichtige, Ehr- vnd Tugendliebende chriſtliche Frauenzimmer*, inque hac purgat ſe Auctor de conatu ſuo. Sequitur Praefatio, et poſt eam *Sectio I.* generalia de origine et natura matrimonii, de adulterio, ac diuortio, eiusque cauſſis, continens. *Sectio II.* de Polygamia ex Iure naturae agit. In *Sect. III.* Polygamia ex Iure diuino ſcripto perpenditur. *Sectio IV.* varias proponit quaeſtiones v. g. an Patres quidam eccleſiaſtici Polygamiam permiſerint? an in Nouo Teſtamento exempla nonnulla Polygamiae reperiantur, et praecipue an Valentinianus eandem lege permiſerit? caet. Sub finem quatuor occurrunt Adpendices, quarum primum eſt Mandatum Philippi, Landgrauii Haſſiaci, Mart. Bucero anno 1539. datum, quid ei ſit expediendum apud Lutherum atque Melanchthonem: alterum trium horum Virorum ſententia, Landgrauio Germanice ac Latine oblata: tertium Notarii, Georgii Nuſpickeri, Vidimatio, vt vulgo dicitur, huius ſententiae: quartum denique Inſtrumentum copulationis Philippi, et Margarethae a Sahl, Latine itidem et Germanice. Singulae Sectiones in Capita ſunt diuerſa diſtributae. Notandum autem, duas proſtare libri editiones, de quibus adcurate diſſerit DAV. CLEMENT *l. c. Tomo II. p.* 13. Itaquidem ille:

J'ai cinq Exemplaires diférens de cet Ouvrage devant moi. - - - Je dois donc l'avertir, qu'il y en a deux Editions, que la Copie porte non ſeulement le même titre, la même date, que l'Edition originale; mais qu' elle lui répond page pour page, et presque par tout ligne pour ligne: qu'elle en a retenu les fautes d'impreſſion, pour en conſerver l'Errata à la fin; artifice ſingulier, au quel d'autres Impoſteurs n'ont pas penſé ordinairement. De ces cinq Exemplaires il n'y en a qu'un ſeul de la premiere Edition, les quatre autres n'en ſont que des Copies: ce qui fait voir, que la premiere Edition eſt beaucoup plus rare, que la ſeconde. Je donnerai ici quelques marques, aux quelles on les pourra dicerner, a fin que les Curieux n'y ſoient pas atrapés. La premiere Edition eſt imprimée ſur du beau papier, et en beaux Caractéres, que les Imprimeurs de ces païs ici nomment kleine Mittel Fractur. *La copie eſt imprimée ſur du moindre papier, les lettres en ſont plus grandes, et de l'ordre, qu'on nomme ici* grobe Mittel Fractur. *Dans la premiere on lit p. 40. lin. 11.* πολυγυναικία: *et dans la ſeconde* πολυναικία. *Dans tout l'Ouvrage il n'y a point de page, qui trahiſſe mieux le ſecret, que la page 47. où les lignes ne ſe répondent point. J'en donnerai la troiſiéme ligne pour exemple. Dans l'Original on lit:* alle Thiere gelehrt habe; ſo müſſe man dann nicht nur ein Theil. *Voici à preſent la troiſiéme ligne de la Copie:* recht alle Thiere gelehrt habe; ſo müſſe man dann nicht nur. *Cela ſufira pour ſervir de pierre de touche à ceux, qui voudront ſavoir, s'ils ont l'Edition originale et* rare, *ou ſi ce n'eſt que la Copie, dont on a répandu, ſelon toutes les aparences, un bon nombre d'E-*

d'Exemplaires dans le monde. Cf. IOH. GE. SCHELHORNII *Singularia de libris quibusdam*, in *Miſcell. Lipſ. nouis*, *Vol. IV. p. 670. ſq.* qui et hac occaſione *p. 673.* nonnihil verborum de Neobuli Dialogo facit; et REIMMANNVS in *Catal. Biblioth. Tomo I. p. 696.* vbi hunc Begeri foetum acutum vocat et ſpecioſum, et vario eruditionis adparatu inſtructum, et hoc nomine Ochini, et Lyſeri, et aliorum lucubrationibus longe anteferendum.

Noſtro hoc ſaeculo SAM. FRID. WILLENBERGIVS, Ict. et Gymnaſii Gedanenſis Inſpector, anno 1748. admodum ſenex mortuus, ob editas anno 1712. theſes *de finibus Polygamiae licitae*, in quibus apud Chriſtianos recte quidem Polygamiam ſimultaneam prohiberi, neque tamen huius prohibitionis fontem ius eſſe diuinum, ſed humanum potius, adſeruerat, graues perpeſſus eſt calamitates. Ex Decreto enim ſupremi in Polonia Tribunalis Petricouienſis huius ſcripti exemplar cum iteratis Auctoris Vindiciis, ſeu, vt ipſe adpellat easdem, Praeſidiis iuris diuini, contra Ioach. Weickhmannum, Theologum Gedanenſem, in loco triuiali fori ciuitatis Petricouienſis per carnificem, ad ſonitum tubae, combuſtum, ac Willenbergius, vna cum Reſpondente ſuo et Opponentibus, ad poenam infamiae, comprehenſionis liberae, ſtrangulationis et in rogo concremationis fuit damnatus, Senatui etiam ciuibusque Gedanenſibus mulcta centum aureorum Hungaricorum millium indicta, niſi omnia illorum ſcriptorum exemplaria conquiſiuerint, eademque, carnificis miniſterio, igni tradiderint, et, ne tales peſtiferi libelli poſthac prodeant, praecauerint. At neglexit Senatus ſententiam tam atrocem propterea, quod tribunali Petricouienſi iuris nihil ſit in ciuitatem Gedanenſem. Cf. laudati SCHELHORNII

Amoenit. litterar. Tomo IX. p. 742. ſq. et copioſior CONSTANTINI WIERNOWSKI (quo ſub nomine ipſum deliteſcere Willenbergium, haud equidem dubitó,) *Conſideratio inculpata Decreti Tribunalis Petricouienſis in Polonia* caet. *anno 1715.* edita, qui libellus, cum aliis quibusdam huius argumenti, ſeparatim acceſſit WILLENBERGII *Selectis Iuris matrimonialis, Halae M. anno 1720. in 4.* Addi poteſt et WALCHIVS *Bibl. theol. Tomo II. p. 1154. ſq.*

§. XXV.

Pergimus ad Scriptores illos, qui praecipue corrumpunt probos mores, inter quos longe maius, quam Polygamiae defenſores, damnum adferre ſolent libri obſceni, ſiue Sotadici. Legenda de his Diſſ. moralis IVLII NIGRONI *de librorum amatoriorum lectione, iunioribus maxime vitanda*, quae *a. 1622. Mediolani*, octoque annis poſt *Colon. Agripp. in 12.* excuſa fuit; FRANC. SACCHINI Oratio *de vitanda librorum moribus noxiorum lectione*, adiuncta eius Opuſculo *de ratione libros legendi*; item, in quod nuper incidi, BAPT. MANTVANI, Theologi Carmelitae, carmen elegiacum *contra Poetas impudice loquentes*, haud inuenuſtum profecto, quod eiusdem libris *de ſuorum temporum calamitatibus Dauentriae anno* 1501. *in 8. mai.* acceſſit. Sub finem ſaeculi ſuperioris ab ADAMO RECHENBERGIO Diſſertationem quoque accepimus *de libris obſcenis*, in qua libri quinam vere dici debeant obſceni, declarat. Prodiit *Lipſ. a.* 1689. ac poſtea inſerta eſt Auctoris *Exercitationibus in N. Teſt. p. 403. ſq.* Quae STRVVIVS olim hoc loco ſcripſerit, malo ipſius, quam meis, verbis repetere. Audiamus ergo eundem! *Miramur certe*, ait, *qui fiat, quod tot libri hodie commendentur, etiam iuuentuti, qui deteſtandi prae aliis,*

et

et ſub alio titulo maximum virus tegunt: pauciſſimi inter prohibitos referuntur. Quis ignorat Priapaea carmina ab eruditis variis notis fuiſſe illuſtrata, et publice, ſub cenſura etiam, edita? Ouidii Metamorphoſes, in quibus tot ſcandala Deorum, Amorum libri, Terentius, Plautus, Martialis, Iuuenalis, Catullus, Apuleius, Petronius, (ex quo phraſes elegantiores, at laſciuiores etiam, decerpſit Caſp. Scioppius, quae in editione Petronii Lotichiana *P. II. p. 152. ſq.* occurrunt,) *et tot ſcriptorum quisquiliae in ſcholis etiam proponuntur et gymnaſiis, imo iuuentuti commendantur. Rationem hanc probant, ob dictionis fieri venuſtatem. Verum melius eſſet, in ſcholis Orthuini Gratii deliteſcere, quam inter ſubſellia Priapaeorum. Supereſt Cicero, ſupereſt Salluſtius, quos felicius imitemur, quam ſcriptores eiusmodi. Tacemus Albertum M. tacemus Pontificiorum Caſuiſtas et Moraliſtas, quos non excuſat, ſingulas factorum ſpecies expoſuiſſe, omnes enim, etiamſi ſpeciatim non expoſitae, ex ſacrae ſcripturae canone facile poterunt decidi. Aſt Petr. Baelius ſimilem ſcribendi licentiam, ſi modo verborum laſciuia vitetur, defendere conatur in ſuis ad ſecundam Dictionarii editionem additionibus p. 3159. Ratione vtitur, quod nulla lege, inter eruditos recepta, fuerunt prohibita, nec etiam ſcriptores, qui impudicitiae atque obſcenitatis notas in ſcriptis ſuis prae ſe ferunt, ideo vel honoris, vel fortunae, quidpiam perdidiſſe, potius multi ſemper fuiſſe aeſtimatos, nec deeſſe auctoritates contrarias illorum, qui haec in ſcriptis defenderent. Tandem concludit, tolerari haec poſſe, quia non per ſtatuta Reipublicae litterariae et leges ciuiles fuerint prohibita, ipſe tamen fatetur, cum legibus Euangelii*

Ccc ccc 5 *haec*

haec ſtare non poſſe. Vno verbo, Baelius non eſſe contra decorum iudicat. Verum dicat, quid velit, Baelius, multa legibus non ſunt prohibita, quae tamen Chriſtianis plane non conueniunt. Non prohibentur haec ab eruditis, tolerantur, conceduntur, laudantur, imo commendantur, ſed quanta horum ſit peruerſitas, in propatulo eſt. Hoc enim certum, ſumma eruditio proximus eſt gradus ad Atheiſmum. Hic eſt acerrimus eruditorum hoſtis, cum quo quotidie eſt confligandum. Neque etiam ex decori iure illa poterunt tolerari, cum et hoc ſanos probosque mores requirat. Neque haec a iuuenibus ſine offenſione, vel ad malum propenſione leguntur. Hactenus Struuius. Quae diſſeruit is de libris obſcenis, ſatis quidem pia ſunt, neque tamen in omnibus ei adſentior. Probanda potius credo dicta a clariſſimo FVNCCIO in libro ſingulari *de lectione Auctorum Claſſicorum, Lemgouiae a. 1730. in 4.* diuulgato, *Cap. IV. ſ. 9. p. 49. ſq.* vbi et nonnulla Struuii repetiit. Eandem fouet ſententiam cum in Tract. *de adoleſcent. Lat. linguae, Cap. III. ſ. 38. p. 159.* tum in Tract. *de imminenti Lat. linguae ſenectute, Cap. III. ſ. 61. p. 164. ſq.* et *ſ. 102. p. 226.* Ne quis autem, re non adcurate perpenſa, mihi haec talia ſcribenti ſuccenſeat, ingenue atque vltro profiteor, obſcena illa, quae in Scriptoribus antiquis reperiuntur, a me neutiquam defendi: mihi perſuadeo ſaltim, eiusmodi Auctores ideo non extorquendos eſſe iuuenum manibus, quod immiſcuerint quandoque bonis moribus noxia. Actum eſſet de litteris politioribus, ſi cultores earum ab omnium illorum lectione retraherentur. πάντα καθαρὰ τοῖς καθαροῖς; *nilque prodeſt, quod non laedere poſſit idem. Igne quid vtilius? ſi quis tamen vrere tecta comparat, audaces inſtruit igne manus,* vt OVIDIVS canit

canit *Triſt. libro II. v. 266. ſq.* Ii certe, qui amant obſcena, etiam non inſpectis his libris gratum animo ſuo pabulum facillimo negotio aliunde nanciſcentur. Tacco vulgare illud: nitimur in vetitum, magisque negata cupimus. Interim lubenter conceſſerim, atro eſſe lapillo damnandos complures, quorum ampliſſimus poſſet catalogus confici, libros ſordibus Venereis turgidos. Recenſebo aliquos paullo fuſius, ac tales quidem, qui prae caeteris eminent in hoc argumento.

Capiam autem ſermonis initium ab IOH. BONEFONI *Panchari*, ſeu *Baſiis*, *tam Latino*, *quam Gallico ſermone* primum *Pariſ. a. 1587. in 12.* ac poſtea ſaepius editis. Vid. CLEMENT *Bibl. de livres dificiles à trouver*, *Tomo V. p. 62. ſq.* In Sotadicis peſſimis numeranda haec eſſe poemata, tantundemque iis intexi laſciuiae, quantum alias habent venuſtatis, ipſa mox lectio docebit. Cf. *Bibliotheca Saltheniana*, *Regiom. 1751. in 8. p. 561.* Eadem ferenda eſt, imo acrior, ſententia de Opuſculo turpiſſimo, ac paene infami, qui caſtiſſimae olim inter Hiſpanos feminae, Aloiſiae Sigeae, nomen mentitur. Inſcriptum id ipſum eſt ALOISIAE SIGEAE *Satyra Sotadica.* Quo anno lucem viderit, quaue in vrbe, titulus haud prodit. Exſtant variae eius editiones *in 12.* ſcilicet *Gratianopolitana*, omnium prima, *Geneuenſis*, *Hamburgenſis*, aliaeque, diuerſis etiam, ad fucum Lectori faciendum, titulis inſignitae, e. g. IOH. MEVRSII *Elegantiae Latini ſermonis; Colloquia Tulliae cum Octauia*; item *l'Academie des Dames*, *ou les ſept Entretiens ſatyriques d'Aloyſia*, *à Cologne anno 1681.* iterumque *a. 1700.* nec non *à Veniſe, chez Pierre Aretin plag. 14.* cui editioni acceſſere figurae ſex et triginta, deteſtabiles ac multiplices Veneris libidines ad viuum repraeſentantes, quae omnia, teſte

VOG-

VOGTIO in *Catal. libr. rarior.* v. Sigea, *p. m.625*, commemoro. In *Catal. Bibl. Saltbenianae p.* 562. alia occurrit ſic inſcripta: ALOISIAE SIGEAE *Toletanae Sotadica de arcanis amoris et Veneris. Editio noua, emendatior et auctior. Acceſſit Colloquium, antehac non editum, Feſcennini ex M. S. recens reperto, Amſtael. anno 1678. in 12.* Partem libri ſpurciſſimi, in Anglicum translatam ſermonem, hoc titulo: *A Dialogue beetween a married Lady and a Maid, Londini anno 1662. in 12.* paginis 47. excuſam eſſe, obſeruat FREYTAGIVS *Analect. de libr. rar. p.* 859. Ad editionem Hamburgenſem quod attinet, legimus in KOHLII *Hamburg. Berichten von gel. Sach. anno 1753. p.* 757. Abrah. van den Hoeck, typographum, qui tandem Gottingae mortuus eſt, adiutore Correctore ſuae officinae, MERVILLIO, clam recudendum curaſſe Opuſculum, illudque partim cum figuris, partim ſine iisdem, aliquamdiu nonnullorum Vncialium, tum viliori pretio vendidiſſe, donec, fraude comperta, reliqua exemplarium addicta fiſco ſint. De vero partus tam infelicis parente homines eruditi non vnam fouent ſententiam. Aloiſiam, Hiſpanam, artificem nequitiarum fuiſſe, nemini adhuc in mentem venit ſuſpicari. Nec vlla in Meurſio, Viro graui honeſtoque, culpa haeret. Recte omnino in Epiſtola, qua typographi Florentini ſuſceptam Operum Meurſianorum editionem annunciant, iudicatur verbis ſequentibus: *Caeterum, ſicuti de veris et genuinis, Meurſiani ingenii foetibus ſolliciti ſumus; ita ἀπόκρυφα et ſuppoſititia minime moramur: quare obſcenus ille liber, qui ſub Elegantiarum Latini ſermonis titulo circumfertur, vel quacunque alia appellatione cenſeatur, ab honeſta, et ſplendida, ac perutili hac Συλλογῇ iure optimo exſulabit; ne caſta eius et decora venuſtas ſacerrimi, et in omne aeuum deteſtandi, libelli abominanda ſpurcitie et turpitudine contemeretur. Dolendum enim,*

enim, quod paucis abhinc annis ille formis iterum in Italia excuſus ab impietatis contaminatiſſimae hominibus, non ſine ſapientum virorum indignatione et horrore, audacius neſcio, an impudentius, in vulgus proditus ſit. Aliquam veritatis ſpeciem eorum habet coniectura, Satyram hanc Sotadicam qui ex officina Iſaaci Voſſii productam eſſe, dixere. Is enim promiſerat aliquando integrum *de Proſtibulis veterum* librum: notiſſimus autem ipſius, etſi caeteroquin valde doctus, in Catullum Commentarius obſcenorum, rerumque dictu turpium, omne propemodum genus continet. Sed abſterſa eſt haec a fama Voſſiana fuligo per CHRIST. THOMASIVM, quippe qui primus indicauit in *den luſtig. vnd ernſthaften Monaths-Geſpräch. anni 1688. Parte II. p. 586. ſq.* atque ab amico ſe accepiſſe profeſſus eſt, Opuſculum infame a Legum quodam Doctore Hagienſi, cuius nomen littera tantum W. notauit, conglutinatum fuiſſe ex obſcenioribus Gallorum, Italorum, Hiſpanorumque ſcriptis, quibus ditiorem nemo vnquam illo homine Bibliothecam inſtruxerit. Rationes etiam, cur huic labori Aloiſiae Sigeae nomen impoſuerit, Latinamque eius interpretationem Muſae tribuerit Meurſianae, idem Thomaſius varias attulit et ſpecioſas quidem, at ſimul tales, quales habere alius quiſque libri huius auctor poterat. Clarius tandem nomen, a Thomaſio occultatum, expreſſit TENTZELIVS in *den monathl. Vnterred. anni* 1693. *p.* 168. quo loco, prouocans ad nouum teſtimonium amici, qui Satyrae illius exemplar in Anglia viderat, in quo Adrian. Beuerlandus ſua manu haec mandauerit litteris: *D. Ioh. Weſtrene Eroticon de Proſtibulis modernis ſub perſona laruata Aloiſiae Sigeae Ioh. Meurſii compoſuit.* Nunc vero nemo forte dubitabit, et hanc relationem parum firmo niti fundamento. Cum enim NICERONIVS in *Vitis Erudit.*

Parte

Parte XXXVI. p. 34. edit. Gallicae, tum in primis FRID. OTTO MENCKENIVS *Miſcell. Lipſ. nouorum Vol. IX. P. 2. p. 329. ſq.* docuerunt, auctorem libri nullum eſſe alium, quam NICOL. CHORERIVM, Parlamenti, vt vocatur, Gratianopolitani Aduocatum, aliis vtilioribus ſcriptis clariſſimum, inque extrema ſenectute anno 1692. rebus ereptum humanis. Digniſſima profecto tota Menckenii Obſeruatio elegans *de vero auctore libri famoſi, Aloiſiae Sigeae Satyra Sotadica inſcripti, l. c. p.* 324. obuia, quae attento animo perlegatur. Intelligimus quoque exinde *p. 330.* filio Nicolai, bibliopolae Gratianopolitani, a quo prima editio ſuſcepta fuerit, Gallicam tribui interpretationem, Geneuenſem autem, vnius Dialogi acceſſione ditatam, quum prima non niſi ſex habeat, parum eſſe adcuratam, et id quidem Chorerii culpa. Eum enim librum ſuum tam male ſcriptum, vt vix legi poſſet, Geneuam transmiſiſſe, atque tunc factum eſſe, quoniam ipſe praeeſſe non potuerit emendationi, vt erroribus operarum et multis, et venia vix dignis, miſere deformatus prodierit.

Eiusdem dicitur farinae eſſe HELOTII Opuſculum, *L'Ecôle des Filles* inſcriptum, et *in 12*, cum figuris aeneis, tamquam libidinum ſpeculo, euulgatum ſecreto *Pariſiis*. Quo tamen id anno factum ſit, ego quidem haud noui. Id vtique certum, exſtare editionem, cui adiectum eſt: *à Friburg. 1668.* teſte *Catal. Bibl. Salthenianae p. 562.* item verſionem Belgicam, *Amſtael. a.* 1680. *ead. forma* exhibitam. En! titulum: *L'Ecôle des Filles, of te Schole voor de jonge Dochters, of de Kunſt der Vryery.* Eadem repetita *anno* 1737. Vid. IOH. CHR. GOTTFR. IAHNII *Bücherverzeichnis, Vol. II. p.* 477. Ibidem *p. 455. num. 3731.* Germanica etiam occurrit interpretatio, at manu ſaltim exarata, cui adiectum: *Gedrukt zu*

Paris

Paris 1737. Publice olim apud Pariſienſes hunc foetum ſpurciſſimum igni fuiſſe concrematum, auctoremque, qui fuga ſibi proſpexerat, in effigie ſuſpenſum, mulcta ſimul irrogata librario, ex *Carpentarianis p. 80.* memorat SCHELHORNIVS *Amoen. litt. Tomo VIII. p.* 508. Eundem continet librum vna cum aliis non minus obſcenis, *La Bibliotheque d'Aretin, à Cologne chez Pierre Marteau in 12.* paginis 404. anno non adiecto; de qua Collectione vid. FREYTAGII *Anal. de libr. rar. p.* 45.

In hac porro librorum claſſe non infimum ſibi locum vindicant, quae ADR. BEVERLANDVS, Ictus Belgicus eximii ingenii, poſteritati reliquit. De vita ipſius, quam nondum ſatis adcurate habemus expoſitam, euoluatur BENTHEMIVS in *dem Hollaend. Kirch- vnd Schulen-Staat, p. 452. ſq.* NICERON. in *Vit. Erud. Parte XI. p. 36. ſq. edit. Germ.* et IOECHERI *Lexic. Erud.* Ex iis, quae CLEMENT in *Bibl. de livr. dificiles à trouver, Tomo III. p. 271.* attulit, coniicere licet, eum anno 1652. natum fuiſſe, annumque aetatis octauum circiter ac viceſimum egiſſe, quum primum ſcriptis Sotadicis edendis operam nauaret. Prodiit eius ex muſeo

1.) *Peccatum originale,* κατ' ἐξοχὴν *ſic nuncupatum, elucubratum a Themidis alumno. Eleutheropoli, extra plateam obſcuram, ſine priuilegio Auctoris, absque vbi et quando.* Sub finem libelli, paginas 146. *in* 8. implentis, haec leguntur: *In horto Heſperidum, typis Adami Euae, Terrae filii, anno 1678.* Sequuta mox eſt *anno* 1679. *ead. forma*, paginisque 157, nonnullis, quae praecedunt, et quae clauſulam imponunt labori, exceptis, altera editio, nomine Auctoris a priori diſtincta, et hoc quidem titulo: HADRIANI BEVERLANDI, *I. V. L. de Peccato originali,* κατ'

κατ᾽ ἐξοχὴν ſic nuncupato, *Diſſertatio.* Vtrumque exemplar excuſum eſſe in Belgio, dubio caret. Alterum Lugduno-Batauorum tribuitur in *Bibl. Vffenbach. Tomo I. p. 973.* Argumentum tractationis paucis detectum eſt a REIMMANNO in *Catal. Bibl. Tomo I. p. 1056.* eiusque haec ſunt verba: Beuerlandus *Agrippae oua ſua ſuffuratus, quae habet* in *Declam. de P. O. Parte II. Operum p. m. 553.* (quod iam diu ante obſeruarat IOH. ALB. FABRICIVS *de Plagiariis p. 84. Opuſcul. litter. Hamb. a. 1738. in 4.* collectorum,) *id agit, vt Lectori perſuadeat, arborem ſcientiae boni et mali eſſe Adami virilitatem, vſum coniugis homini integro eſſe interdictum, adeoque in ſe omni tempore malum, et κατ᾽ ἐξοχὴν peccatum. Primum peccatum fuiſſe fornicatiuum, ex quo natus Cainus. P. O. quod inde deriuetur, eſſe generandi cupidinem, S. S. eſſe corruptam, caet. Atque haec ea impuritate, obſcenitate, et laſciuia praeſtitit, vt pro atheo habitus, et in carcerem detruſus, et ex eo non prius dimiſſus fuerit, quam ſoluta poena pecuniaria, fidem dedit, ſe in poſterum eiusmodi ſcandaloſis ſcriptis nunquam rurſus manum immiſſurum.* Sed parum ſeruauit promiſſa, teſte NICERONIO iureiurando confirmata. Idem adſerit, locum carceris Hagae Comitum fuiſſe, ibidemque libellum hunc eſſe combuſtum. Quod quidem minus recte ſe habet. Ex certiſſimis enim documentis CLEMENT *l. c. p. 279. ſq.* probat, contigiſſe haec Lugduni Batauorum inde a menſe Octobri anni 1679. Cf. ABRAH. BERKELII *ad Ioach. Kuhnium* Epiſtola, in BAVMGARTENII *Nachr. von einer Hälliſch. Bibliotb. Vol. I. p.* 88. Solide, at non ſine iniuriis, acerbiſſimisque vocibus, Auctorem confutauit LEONH. RYSSENIVS, Theol. Doctor, in

in *iuſta deteſtatione ſceleratiſſimi libelli Adr. Beverlandi, Icti, de peccato originali, Gorinchemi anno 1680. in 8.* Vid. REIMMANN. *l. c. p.* 1057. vbi ſic ait vir doctus: *Beuerlandus vbique Ryſſenio eſt nugator, fanaticus, ſcurra, furcifer, nebulo, mendaciſſimus leno, Atheus, caet.* AVG. BEYERVS, qui annos vtriusque editionis per errorem immutauit, in *Memor. hiſt. crit. libror. rar. p. 226.* teſtatur, priori exemplari, quod habuerit ante oculos, Auctorem ipſum manu ſua adſcripſiſſe additamenta quam plurima, quae inſeri debuerint editioni nouae tertiae, titulo ſequenti aliquando euulgandae: *Poma Amoris, per* ADR. BEVERLANDVM *I. V. Licentiatum adornata. Editio tertia prioribus auctior et emendatior. Semper Auguſtus.* Sed id quidem non factum, quamquam anno adhuc 1712. ſuperſtes fuerit Scriptor, vt NICERONIVS adſeuerat.

2.) *de ſtolatae virginitatis iure lucubratio Academica, caet. Lugd. in Batauis anno 1680. in 8.* paginis 223. praeter Epiſtolam dedicatoriam, et breue carmen, in fine obuium. Et hocce opuſculum mali corui malum ouum eſſe, REIMMANNVS *l. c. p.* 1057. merito pronunciat. Eodem iudice ſtilus eſt decolor, inſolens, inflatus, tumidus, ſalebroſus, inaequalis, ventoſus, et ineptiſſime audax, barbariſmis etiam ac ſoloecismis conſpurcatus: ordo nullus, vel ita turbatus ſane et reconditus, vt aegre adpareat: res pleraeque immundae, ſordidae, obſcenae, ac foediſſimis vocabulis deſcriptae, quaedam ex aliis compilatae: permulta peregrina, et ab argumento toto coelo diſtantia, quaeque traducta huc diuino ex Codice, tam petulanti dictione ſunt propoſita, vt vel inde cognoſcatur, quam parcus Auctor et infrequens Deo-

Ddd ddd rum

rum cultor fuerit. *Anno* circiter *1680*, quo liber ille Beuerlandianus lucem adſpexerat, ſucceſſit etiam ALARDI VCHTMANNI, *Viri clariſſimi, τῷ νῦν ἐν ἁγίοις, Vox clamantis in deſerto, ad doctiſſimum Iuuenem, Hadr. Beuerlandum, Iuris-peritum, Medioburgi in 12. mai.* ſine anni indicio. Diatriba haec, ex paginis 61. conſtans, et, vt reliqua, hodie perdifficilis inuentu, in qua verbi diuini Miniſtri, Leidenſes praecipue, quorum inſtinctu in vincula coniectus Beuerlandus fuerat, acriter perſtringuntur, eum ipſum habet architectum. Vid. REIMMANN. *l. c. p.* 1058. et, qui errores quosdam NICERONII atque FREYTAGII monſtrat, CLEMENT *Tomo III. p. 279. ſq.* Proſcriptus Auctor, Superiorum ſententia, ex Hollandiae Selandiaeque terris Londinum petiit, ibidemque Iſaacum Voſſium nactus patronum eſt. In hac ipſa deinde Anglorum vrbe opulentiſſima exhibita fuit

3.) HADR. BEVERLANDI *de fornicatione cauenda, Admonitio; ſiue Adhortatio ad pudicitiam et caſtitatem.* Prima editio *in 8. annum 1697.* praefert ac rariſſime occurrit extra Britanniam. Frequentior eſt ea, quae in Belgio *eodem anno in 8.* paginis 109. repetita fuit, et quidem, vt in titulo confirmatur, iuxta exemplar Londinenſe. Tertiam editionem, eodem anno et hac inſcriptione notatam: HADR. BEVERLANDI *de fornicatione cauenda Admonitio, ſiue Adhortatio ad pudicitiam et caſtitatem: cui acceſſit R. P.* IOH. BRANDII, *Gratiani Torriſii Soc. Ieſu Deteſtatio nefandiſſimi ſceleris Onanitici grauiſſima.* (quod breue ſcriptum hic primum, neſcio an recte, adiectum,) *Editio noua, et iuxta exemplar Londinenſe correcta;* quae paginas 106. conficit, et abſo-

abſolutiſſima, non item, vt priores, elegans dicitur, quidam apud Germanos reduxit publicum in conſpectum. Vid. CLEMENT *p.* 275. LILIENTHAL. in *der theolog. Biblioth. Vol. I. p.* 1135. memorat nouam editionem *anno* 1710. paratam; quae relatio non liquet, quo fundamento nitatur. Canit autem Beuerlandus libello hoc palinodiam, vel canere ſaltim ſe ſimulat, et ſpurciſſima ſcripta, ante diuulgata, damnat, non dum edita ſe combuſſiſſe ait, librumque omnium foediſſimum *de Proſtibulis veterum* ad Academiae Leidenſis Rectorem transmiſiſſe. Quo in Opere condendo totum fuiſſe eundem, et figuras admodum laſciuas, quae ſex millium, et quod excedit, Imperialium pretio ipſi conſtiterint, collegiſſe, fama eſt, teſte quidem BEYERO in *Memor. hiſt. crit. libr. rarior. p.* 227. Atque haec de P. V. Collectanea hodienum in Bibliotheca Academica Lugduno-Bataua exſtant, vt ex *Catalogo* perſpicitur, *anno* 1716. excuſo, *p.* 333. Rogat deinde Beuerlandus, vt ad priorem redeam libellum, eos omnes, qui clam, vi, vel precario aliquid ab eo poſſideant manuſcriptorum, vt id remittant ad Auctorem, quo et ipſe tradat eiusmodi ſchedas Vulcano. *Quod ſi quis negligat,* inquit, *illi omnes imprecor calamitates, quae maligno et perfido ſolent contingere.* Patet ſimul ex his, vel a veritate prorſus deflectere illa BENTHEMII in *dem Hollaend. Kirch- vnd Schul- Staat, l. c. Wäre ſeine noch ärgere Schrift*, Proſtibulum veterum *genant, welche einer ſeiner Vertrauten, auf gegebenen Winck, bey Zeiten verbrannte, von der nachſuchenden Obrigkeit gefunden worden, würde man ihn ohn Zweifel ſcharf gezüchtiget haben:* vel poſtea nouam talium rerum Syllogen

 ſuſce-

ſuſcepiſſe Beuerlandum. Interim, quamquam is liber typis impreſſus non fuit, plurima tamen exinde Iſaac. Voſſium Obſeruationibus in Catullum immiſcuiſſe, ex NICERONIO FREYTAGIVS docet *Anal. de libr. rar. p.* 94. eaque de cauſſa etiam accidiſſe ſubiungit, vt, quum Catullus ab Voſſio illuſtratus excuderetur in Belgio, atque Opus ad finem prope perductum eſſet, Ordines praepotentes, ea de re moniti, typographo aeque ac bibliopolae interdicerent, ne quid amplius e volumine autographo prelum ſubiret: ideoque Catullum Londini prodiiſſe integrum, titulo ac fine libri ibidem abſoluto. Idem iam pridem ante Niceronium tradidit TENTZELIVS in *den monathl. Vnterred. anni 1693. p. 169.* Add. CLEMENT *Tomo VI. p. 464.*

Satis nunc, pro inſtituti ratione, de Beuerlando. Succedat libello eiusdem *de peccato originali* alius, argumenti ſimilis, Gallicus, qui ſic inſcribitur: *Etat de l'Homme dans le Peché Originel; ou l'on fait voir, quelle eſt la ſource, et quelles ſont les cauſes et les ſuites de ce peché dans le Monde. Prima Mali Labes. - - Imprimé dans le Monde en* 1714. *in* 8. plag. quatuor ac decem cum dimidia. Hoc exemplar ipſe habeo ante oculos. In Praeloquio tamen adſeritur, primam editionem anno iam 1713. exiiſſe, ſed admodum vitioſe. Itaque declaratur ea abſurda, plenaque mendarum et negligentiae. Recuſum eſt Opuſculum *anno* 1732. itemque 1740. *in 12. mai.* Vid. *Acta Erud. Lat. a. 1733. p. 326.* et *Catal. Biblioth. Kappianae, Parte I. p. 231* Imo fuit bibliopola quidam Halenſis, qui id ipſum, Germanice redditum, *anno 1746. in 8.* plagulis quinque ac decem produceret. En! iſtius, cuius Auctor fuit BERTRAMVS,

Ser-

Serueſtanus, litterarum ſtudioſus, interpretationis titulum: *Philoſophiſche Vnterſuchung von dem Zuſtande des Menſchen in der Erbſünde: wo man die Quelle, die Vrſachen vnd die Folgen dieſer Sünde in der Welt anzeiget. Prima mali labes - - Nach der ſechſten verbeſſerten Frantzöſiſchen Ausgabe überſetzt von M. Franckf. vnd Leipzig.* Huius editionis fata breuiter exponuntur a KRAFTIO in *der neuen theolog. Bibl. Tomo I. p. 265. ſq.* Auctor authentici librarius, quidam Belgicus dicitur, referente id LILIENTHALIO *l. c. p.* 1138. Falluntur autem, qui foetum huncce nonniſi translationem ſcripti Beuerlandiani eſſe arbitrantur. Ipſe illius parens adfirmat ſaltim, ſe Beuerlandum eſſe ſequutum; ita tamen, vt adcuratius quandoque tradiderit eius ſententias, quandoque contra in iisdem plane acquieuerit. Monet NICERONIVS in *Vita Beuerlandi p. m.* 39. varia ſimul eſſe deſumta ex Fabulis Fontainii, aliisque huius farinae. Si argumentum Auctoris ignoti ſpectetur generatim, pronunciare non dubitant Collectores *Actor. Erudit. l. c. p.* 327. eundem nequitia, foeditate, atque ſumma ſanctiſſimas res ad riſum detorquendi libidine longe multumque ſuperare. Locupletiorem etiam dicunt editionem anni 1732, quum in priore carmina aduerſus Petr. Burmannum, aliaque, contumelioſe in ſummos homines effuſa non adpareant. De libro: *der Baum der Erkäntnis des Guten vnd des Böſen, mit philoſophiſchen Augen betrachtet von einem Weltbürger, Berolini anno 1760. in 8.* euulgato, vide, ſi placet, *die Götting. Anzeig. von gel. Sach.* 1760. *P. CXLVI. p.* 1258. *ſq.*

Venus la populaire, ou Apologie des Maiſons de joye, Londini a. 1727. *in* 8. plagulis nouem prodiit. Libellus pernicioſus eſt, in quo ſcortatio ſatis impie defenditur, et neceſſitas luſtrorum ac lenoci-

niorum, priuilegiis publicis munitorum adſtruitur, quod iudicium debeo VOGTIO in *Catal. libr. rar. p. m.* 706. Hoc autem exemplar de Anglico eſſe conuerſum indicat LILIENTHALIVS *l. c.* et plura noſſe cupientem remittit ad Auctores *der Vnſchuld. Nachrichten a. 1730. p.* 1113. Idem laudatus VOGTIVS *p.* 348. librum ſumme Sotadicum et certe deteſtabilem, atque Aloiſiae Sigeae tam in ſpurcitie, quam in raritate, haud diſſimilem vocat

Hiſtoire du Prince Apprius. extraite des Faſtes du Monde depuis ſa creation, caet. Lucem vidit, niſi titulus mentitur, *Hagae Com. a.* 1729. *in* 8. plagulis ſex. Inter vtrumque tamen librum nonnihil intercedere diſcriminis putat FREYTAG. *l. c. p.* 456. quippe Aloiſiam ſine inuolucro, omnique depoſito pudore obſcena exponere; Hiſtoriam contra Principis Apprii allegoriam continere perpetuam, quam vero cum in Praefatione, tum in adiecta Claue remoueat, adeoque ſcripti turpitudinem ipſe prodat eius auctor. Quis ille ſit, nondum ſatis eſt exploratum, Parum forte nititur veritate coniectura STRODTMANNI in *den Beyträgen zur Hiſt. der Gelahrheit* caet. *P. II. p.* 34. vbi ex verbis quibusdam IORDANI in *Hiſt. d'un Voyage litteraire p.* 85. intelligendum credit CLAVDIVM GROSAEVM DE BOZE, Inſcriptionum Pariſienſi quondam a ſecretis.

Faciunt itidem THOMAE SANCHEZ *Diſputationum Tomi III. de ſancto matrimonii Sacramento*, primum *Geneuae anno* 1592. deinde *Antwerp. a.* 1614. et 1652. alibique ſaepius, noſtro etiam ſaeculo *in f.* editi. BAELIVS, v. Sanchez, *Tomo IV. p. m.* 134. *ſq.* multa congeſſit, quibus Opus hoc magnae molis, ob infinita loca obſceniora, damnatur: ibidemque non nemo id eſſe dixit *une vraye Bibliotheque de Venus.* Cf. RECHENBERGIVS in Diſſ. *de libr. obſcenis* §. *VII. ſq.* Maxime liber nonus, qui agit de debito coniugali,

iugali, plenus eſt rerum, caſtis animis moleſtiſſimarum.

Nec ab hoc abſoluendus crimine ANDR. TIRAQVELLVS in *Legibus connubialibus et iure maritali, Tomo II. Operum* inſertis, cuius curioſitas in obſcenis colligendis nimium exceſſit modum, quo infinitam ſuam lectionem in obſcenis Poetis dumtaxat oſtendaret, vti ſcribit IVST. HENNING BOEHMERVS *ſ. XIII. p. m. 25.* Diſſertationis *de iure circa libros improbatae lectionis.*

§. XXVI.

Superſunt libri ſeditioſi, ſtatumque publicum turbantes, quorum in numero primam conſtituunt claſſem Monarchomachi, de quibus iam dictum eſt ſpeciatim in *Bibliotheca* STRVVII *philoſophica, Tomo II. p. 279. ſq. edit. Kahlianae.* Eiusmodi Scriptores, imperio maxime infenſi nullis limitibus definito, quum Principum auctoritatem infringere quouis modo ſtudent, facile patet, interdictis publicis eorum libros priuatorum ſubduci conſpectui. Hoc tamen in iis tantum regnis atque prouinciis, ad quas ſpectant, locum habet. Alibi enim vel recudi ſolent, vel certe liberius vendi. Exemplo eſſe poſſunt, quae Ioh. Miltonus ad Regicidium gentis ſuae defendendum euulgauerat. Eius enim Defenſio pro populo Anglicano, Salmaſio oppoſita, et Pariſiis Toloſaeque iuſſu Magiſtratus combuſta publice ac prohibita, in aliis regionibus ſine fraude venalis fuit. Celebriores Monarchomachos, poſt Struuium *l. c.* recenſuit BRVCKERVS in *Hiſt. crit. Philoſ. Tomi IV. Parte 2. p. 795. ſq.* Inter tales referendus eſt merito

GVIL. ROSSAEI crudeliſſimus liber *de iuſta Reipublicae Chriſtianae in Reges impios et haereticos auctoritate,*

ritate, animaduerſione, iuſtiſſimaque Catholicorum ad Henricum Nauarraeum et quemcunque haereticum, a regno Galliae repellendum, confoederatione, Antwerp. a. 1592. in 8. emiſſus, et Pariſiis a. 1594. flammis traditus. Merito BOEHMERVS in *Diſſ. cit. p. 5.* peſſimum eundem vocat, quem nemo, niſi ferreus et impius, absque iuſto horrore legere poſſit. Auctor autem eſt Pſeudonymus, latetque poſt hoc velum nec BOVSCHERVS quidam, vt HENR. ERNSTIVS *Var. Obſeru. lib. II. c. 36. p.* 155. indicat, ſine dubio Ioh. Boucherium intelligens: nec GVIL. GIFFORDVS, natione Anglus, ac tandem Archiepiſcopus Rhemenſis; ſed, quod proximum vero, GILBERT. GENEBRARDVS, homo vehemens, et ad ſeditionem concitandam aptiſſimus, de quo vid. NICERON. *Parte XVI. p.* 141. *ſq. edit. Germ.* Eandem inflauit tibiam

IOH. MARIANA, Hiſpanus e S. Ieſu, qui *anno* 1599. *in* 8. *mai. Toleti apud Petr. Rodericum*, typographum Regium, edidit *de Rege et Regis inſtitutione libros III*, in quibus opinionum monſtra alit, et impias atque peſtiferas aduerſus ſummorum Principum capita et iura ſententias profert, ſpeciatimque *libro I. cap. 6, an tyrannum opprimere fas ſit?* inſcripto, de Henrico III. Galliarum Rege multa duriora diſſerit. Cf. BAELIVS, v. Mariana *Tomo III. p. m.* 329. *ſq.* Longe rariſſima haec eſt editio, Pariſiis anno 1610. die m. Iunii octaua ante templum, *de Nôtre Dame* dictum, carnificis manu in cineres redacta. Contrarius enim erat liber Decreto Gallico, anno 1415. in Concilio Conſtantienſi confirmato, ne liceat cuidam ſub quacunque cauſſa vim inferre Regi, vel alii Principi, cum ſumma poteſtate imperitanti. Vid. *der Hiſtor. Bilder-Saal Parte VII. p.* 794. et WESTPHALII *Centuria librorum, publica auctoritate combuſtorum, num. XLVIII. p.* 32. Altera libri damnati editio *Moguntiae a.* 1605. ac tertia

tia *Francofurti a.* 1611. *in* 8. luci eſt expoſita. At in his non nulla ſunt mutata. Ita v. g. in prima omnium dicta *Cap.* 6. *p.* 69. haec leguntur: *Sic Clemens ille periit*, (ſcilicet is Henricum III. interfecerat,) *aeternum Galliae decus, vt plerisque viſum eſt*, in editionibus repetitis plane deſiderantur. Idque iam obſeruatum a IAC. BVRCKHARDO in *Hiſtor. Biblioth. Auguſtae Wolffenbüttelenſis Parte I. p.* 271. Add. idem *Parte III. p.* 355. et GOETZIVS in *den Merckwürd. der Königl. Bibl. zu Dresden, Vol. I. p.* 348. *ſq.* nec non BAVMGARTENIVS, qui plura de libro hoc tradit, in *den Nachr. von einer Häll. Bibl. Vol. III. p.* 526. Lectu quoque ſunt digniſſima, quae IORDANVS in *Recueil de Litterat. de Philoſ. et d' Hiſtoire* a *p.* 69. vsque ad *p.* 124. ſuppeditat. Nec frequenter ſatis conſpicitur editio vtraque Germanica, quum Hiſpani Gallique coemiſſe dicantur quicquid nanciſci licuit exemplarium. Contra Marianam *Pariſ. anno* 1610. *in* 8. prodiit *Anti-Mariana; ou Refutation des Propoſitions de Mariana*, caet. cuius ſcripti, hodie parum obuii, architectus, teſte BAILLETO, cauſſarum quidam patronus in Parlamento Pariſienſi fuit, MICHAEL ROVSSELIVS. Cf. CLEMENT *Tomo I. p.* 371. Vti vero hi grauiter peccant, qui Principum vitae auctoritatique tantopere inſidiantur; ſic et illi acrem omnino merentur cenſuram, qui Principi licere cuncta contendunt, dummodo priuatum exinde commodum in eundem redundet.

De MACHIAVELLI *Principe*, libro iam ſupra *ſ. V.* producto, id notandum, eum pro ſtatu Florentinae Reipublicae compoſitum eſſe, vt ciuibus dominatus, quem adfectabant multi, exoſus redderetur. Quaecunque igitur de Principis poteſtate ea diſſeruit Auctor, quaecunque ex tyrannicis artibus

 ipſi

ipſi commendat, ea redolere ſatyram potius, quam veram animi ſententiam aperire, videntur.

Alio etiam loco, ſcilicet *ſ. XI. huius Capitis*, quid mali contineat HOBBESII *Leuiathan*, ſiue *de Republica* Opus, vberius oſtendi. Monſtrum id horrendum a multis ideo adpellari ſolet, quod in eo potentia regia, ſiue imperium abſolutum, confirmetur adſeraturque iuſto liberius. Summam libri Auctor *Vitae Thomae Hobbeſii*, cuius editio altera, *Carolopoli a.* 1682. *in* 4. parata, praeſto eſt, *p. 14.* verbis ſequentibus memorat: *Sine pace impoſſibilem eſſe incolumitatem, ſine imperio pacem, ſine armis imperium, ſine opibus in vnam manum collatis nihil valere arma, neque metu armorum quicquam ad pacem proficí poſſe in illis, quod ad pugnandum concitat malum morte magis formidandum; nempe dum conſenſum non ſit de iis rebus, quae ad ſalutem aeternam neceſſariae creduntur, pacem inter ciues non poſſe eſſe diuturnam.* Alii tamen excuſant Hobbeſium, librumque ſecundum ſtatum, qui illo tempore fuit, Reipublicae Anglicanae eſſe cenſent diiudicandum, quum pro iure regio adſerendo ſit elaboratus. Neque vero in omnibus patronos meretur Auctor, maxime vbi de poteſtate eccleſiaſtica diſſerit, quam abſolutiſſimam concedit Principi, ita quidem, vt ſacra poſſit introducere, quaecunque velit. Haec ſane nullo ſunt modo probanda, niſi forſan dixeris, ipſum obuiam ire ſtuduiſſe Clericorum technis, et adfectatae Pontificis Romani monarchiae.

Nec deſunt, qui nefariis ſuis conſiliis ſcriptisque bella conflare acerrima tentarunt. Talis eſt CASPAR SCIOPPIVS, a quo profectum eſt *Claſſicum belli ſacri, ſiue Heldus rediuiuus*; (erat is Matthias Heldus, Caroli V. Cancellarius, Proteſtantibus maxime infenſus,) *hoc eſt ad Carolum V. Imperatorem ſuaſoria de Chriſtiani Caeſaris erga Principes Eccleſiae rebel-*

rebelles officio, deque veris compeſcendorum haeretico-rum, et Eccleſiae in pace collocandae rationibus. Rariſſimum hocce ſcriptum Auctoris adiunctum eſt *Conſilio Regio, in quo a duodecim Regibus et Imperatoribus Catholico Hiſpaniarum Regi demonſtratur, quibus modis omnia bella feliciter profligare poſſit.* Prodiit illud *Ticini a.* 1619. *in* 4. eodemque anno *Francofurti* recuſum eſt. Exſtat quoque interpretatio Germanica *Rath vnd Anſchlag* caet. inſcripta, *Pauia* 1619. *in* 4. item *Allarm zum Religions-Krieg in Deutſchland, oder Claſſicum belli ſacri, extractsweiß deutſch ausgangen, eadem forma,* ſine loco autem annoque. Simile compendium itidem absque die et conſule exiit hoc titulo: *Scioppiani Flores de compeſcendis haereticis ex Caſp. Scioppii Claſsico ſacro excerpti;* quod et acceſſit *anno* 1622. LVDOV. CAMERARII *Cancellariae Hiſpanicae in* 4. Cf. *Theſaurus Bibliothecalis, Vol. II. p.* 124. In hoc autem Opuſculo, de quo plura memorat CHR. AVG. SALIGIVS in *Hiſtoria Auguſt. Confesſionis, Tomo I. p.* 775. *ſq.* ſuadet Scioppius Imperatori Ferdinando II, vt funditus euertat Proteſtantes, quos audacter rebelles vocat. Quantopere tale conſilium NICERONIO diſplicuerit, patet ex opere eius biographico, *Parte XIX.* vbi vita Scioppii exponitur, *p.* 312. *edit. Germ.* Repellere ſtatim conatum turbulenti hominis ſtuduit MATTHIAS BERNEGGERVS, quippe qui, adſumto THEODOSII BERENICI nomine, primum euulgauit *Argent. a.* 1619. *in* 4. *Proaulium Tubae pacis, occentae Scioppiano belli ſacri Claſsico,* ac deinde ſubiunxit *ibidem a.* 1621. *eadem forma* ipſam *Tubam pacis, occentam Scioppiano belli ſacri Claſsico.* Non differunt alia exemplaria, quae *annum* 1623. et *a.* 1624. locumque *Auguſtae Trebocorum* (i. e. Argentoratum) adſcriptum habent. Vid. CLEMENT in *Bibl. de livr. dificiles à trouver Tomo III. p.* 161. Idem fecit

IVSTVS

IVSTVS MEIERVS, Ictus et Anteceſſor Argentoratenſis, in *Iuriſpublici quaeſtione capitali: Sintne Proteſtantes Iure Caeſareo haeretici, et vltimo ſupplicio afficiendi? contra ſanguinarium* CASP. SCIOPPII *Claſſicum, Argent.* 1623. *in* 4. Hac occaſione alios quoque impudentiſſimi Scioppii libros producam, criminationibus in ſummos Principes pleniſſimos. Prioris haec eſt inſcriptio: *Eccleſiaſticus, auctoritati Ser. D. Iacobi, M. Britanniae Regis, oppoſitus,* caet. *Hartbergae a.* 1611. *in* 4. Menſe Nouembri anno 1612. per manum carnificis combuſtus eſt Lutetiae Pariſiorum, nec non Londini, liber ille nefandus, quod variis repletus eſſet in Henricum IV. Galliarum Regem, aliosque potentes Principes, contumeliis atque conuiciis. Vid. SALIGIVS *l. c.* et KOHLII *Briefwechſel der Gelehrten anno* 1751. *p.* 177. *ſq.* Eodem *anno* 1611. *in* 8. addidit Scioppius *Collyrium Regium, Ser. D. Iacobo, M. Brit. Regi, grauiter ex oculis laboranti, omnium Catholicorum nomine, gratae voluntatis cauſſa, muneri miſſum: vna cum Syntagmate de cultu et honore, iam tertio edito.* Mutato titulo iterum comparuit liber *a.* 1616. Tandem ſucceſſit *Moguntiae a.* 1612. *in* 4. *Alexipharmacum, Regium, felli Draconum et veneno aſpidum, ſub Philippi Mornaei du Pleſſis nupera Papatus hiſtoria abdito oppoſitum, et Ser. D. Iacobo, M. Brit. Regi, ſtrenae Ianuariae loco, muneri miſſum.* Propter haſce iniurias anno 1614. Madriti, vbi tunc commorabatur, iuſſu Henr. Wottoni, Legati Anglici, ab eius ſatellitibus miſere fuſtibus eſt caeſus, imo vulneratus etiam: inde vindictae amore impulſus *Ingolſtadii a.* 1615. *in* 12. ſub Oporini Grubinii nomine latens emiſit Scioppius libellum, perquam hodie rarum, cuius integer titulus hic eſt: *Legatus latro; hoc eſt definitio Legati Caluiniani, ex qua Catholici Reges ac Principes, quantum Caluinianis Legatis fidei habere debeant, conjicere*

iicere poſſunt: item relatio de latrocinio, quod Regis Angliae Legatus aduerſus Caſp. Scioppium Madriti nuper ſuſcepit, vndecim percuſſoribus ad eius caedem conſtitutis, deque miraculoſo auxilio, quod B. Virgo eidem Scioppio praeſtitit. Prudentius forte Auctor egiſſet, famaeque ſuae conſuluiſſet melius, ſi hanc ſcenae partem nunquam aperuiſſet. At quid non mortalia pectora cogit vltio? Tandem omnino eidem tribuenda ISAACI CASAVBONI *Corona Regia, id eſt Panegyrici cuiusdam vere aurei, quem Iacobo I. Magnae Britanniae Regi, fidei defenſori, delinearat, fragmenta ab Euphormione inter ſchedas τȣ̃ Μακαρίτȣ inuenta, collecta et in lucem edita, Londini a.* 1615. *in* 12. paginis 128. Fuere, qui libellum ex officina Erycii Puteani profectum eſſe crederent, qua de re vid. BAELIVS in v. Puteanus, *nota f.* Alii, teſte eo ipſo, quem ſequitur CLEMENT *l. c. Tomo VI p.* 355. auctorem dixere Ioh. Barclaium; ſed neminem eſſe alium, quam Scioppium, dubitari amplius non debet. Ob ſummam raritatem recudendum curauit. ſcriptum hocce CHRIST. THOMASIVS in *Hiſtoria Sapientiae et Stultitiae, Hal. Magd. a.* 1693. *in 8. Tomo I. p. 125. ſq.* Paullo ante *p.* 121. Thomaſius ita explicat inſtituti rationem: *In* hacce *Corona Regia ſub fabula, ac ſi fragmentum id eſſet panegyrici, quem Caſaubonus Regi paraſſet, repertum poſt mortem eiusdem in eius ſchedis, truculentiſſimo et impudentiſſimo more, quicquid vnquam colligi potuit veneni virulentiſſimi, in Iacobum, Caſaubonum, imo et Henricum, Eduardum, Eliſabetham caet. euomitur.* Quibus adiungi merentur illa BAELII *l. c. Il ne ſe peut,* ait, *rien voir de plus ſatirique: jamais les plus méchans Princes ne furent plus maltraitez par un Ecrivain demeant, que le bon Roi Jaques eſt déchiré la par le*

le terrible Scioppius; car il ne faut point douter, que Scioppius ne ſoit l'Auteur de cette ſanglante piece. Caeterum de Scioppio, hisque eius ſcriptis, conf. BAELIVS v. Scioppius, SCHELHORN. *Amoen. litter. Tomo IX. p. 699. ſq.* et WESTPHALII *Centuria libr. publica auctor. combuſtorum, num. 71. p.* 44. Dolendum, non perfeciſſe ante mortem CAROL. HENR. LANGIVM *Hiſtoriam Scioppii*, quam in Praefat. LAVR. RHODOMANNI *Vitae* praefixa exſpectare iuſſerat. Multa enim, parum adhuc nota, de fatis ac ſcriptis hominis huius ſperare licebat a viri docti diligentia.

Claſſico Scioppii, initio belli tricennalis euulgato, plura poſſent ſubtexi, quae triſtiſſima hac occaſione innotuerant. Sed aliqua ſaltim attuliſſe ſatis erit. Pertinet huc *Quaeſtio odioſa, ſed maxime notabilis et ſingularis, an non praeſentiſſima ſint inclytae domus Auſtriacae modernae abs imperiali axiomate, clauo et ſceptro remotio?* Sine auctoris nomine libellus perquam rarus, prodiit *anno* 1633. *in* 12. Poſſideo verſionem Germanicam, *eodem anno in 4.* paginis 10. excuſam, cuius en! titulum: *Die zwar vielen vnangenehme, gleichwol aber ſehr merck- vnd ſonderliche Frag: ob nicht des Ertzhertzoglichen Hauſes Oeſterreich Ruin, Fall, Aus- vnd Abſchaff- oder Verſtoſſung von deß Röm. Reichs Cron vnd Scepter da, vnd vor der Thüer? Nicht, ſowol auſs Weltlichen als Heil. Schrifft mit der Augenſchein- ja Handtgreifflichen Erfahrung, wol übereinſtimmenden Gründen, zwar kürtzlich, doch nach der Gnueg, erwieſen.* In fine haec leguntur: *Gnug auff diſsmahl, auſs Nechſte mit Mehrem.* Scriptor, quem IOH. GREISLAVIVM vulgo perhibent, praeter alia ex Codicis diuini, maxime Apocalypſeos, teſtimoniis hoc declarare voluit, quod

quod praedicere auſus eſt, quoniam Imperatores potentiſſimae Domus Auſtriacae verae religioni ſeſe oppoſuerint; ideoque Scripturae ſacrae loca, quae interitum contra veram agentibus minitantur, ad eandem adcommodat. Rationes autem ipſius ineptae ſunt, et vbique iudicii produnt imbecillitatem.

Longe doctior eſt HIPPOLITHI A LAPIDE Diſſertatio *de ratione Status in Imperio noſtro Romano-Germanico.* Primae editioni, quae modicum Volumen *in 4.* explet, rariusque occurrit, adſcriptus eſt *annus* 1640. (Errauit itaque STOLLIVS in *der Nachricht von den Büch. ſeiner Biblioth. Vol. II. P.15. p.* 646. vbi hanc poſteriorem eſſe contendit, anno 1648. productam.) Hunc tamen fictum dicit, ne pateret ſtatim, Auctorem, pacis conſtituendae tempore, Domui Auſtriacae nocere voluiſſe, librumque poſtea demum adſpexiſſe lucem, tradit REIMMANNVS in *der Einleitung in die Hiſtor. litterar. der Deutſchen Parte V. p.* 233. I. S. MÜLLERVS loco, quem infra communicabo tecum, factum id eſſe anno circiter 1646. haud inepte arbitratur: exaraſſe autem ſua Hippolithum poſt annum demum 1637. clarum eſt ex initio *Capitis ſecundi Parte libri tertia.* Locus in titulo nullus adparet: ſunt, qui *Hamburgi*, vel *Sedini*, paratam hanc ſuſpicantur editionem eſſe. Subſequutae ſunt aliae *in 12. Freiſtadii* locum, *annum*que 1647. praeferentes, quarum tres vidi diuerſas. Prima et altera habet paginas 583. tertia, charta aeque ac typis magis nitida, ex paginis 576. conſtat. Habeo etiam in ſupellectile mea libraria Gallicam interpretationem, ita inſcriptam: *Interets des Princes d'Allemagne - - ſous le nom d'Hippolitus à Lapide. Par* IOACHIM DE TRANSEE, *Ambaſſadeur de Sa Maj. Suedoiſe près Monſieur l'Electeur de Brandenbourg,*

bourg, caet. *Traduit par Mr.* BOURGEOIS DU CHASTENET. *A Freiſtade a. 1712. in 12. mai.* Tomis II, plagulisque quinque ac triginta. Videtur hoc Opus ex prelo quodam Pariſienſi prodiiſſe. Cf. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1717. *p.* 754. Nouiſſime Germanica eſt ab ignoto Auctore adornata verſio, quam *anno* 1761. *in* 8. accepimus. Complures is, ac ſaepe ampliſſimas, ſubiunxit notas, quarum ex lectione ſtatim conſpicitur, in quamnam ille partem inclinet. Praefatio docet aliquid ſingulare. Adſerit nimirum interpres, locupletiorem eſſe minorem editionem Latinam, Gallicumque exemplar ſequi eam, quae in 4. proſtat. Haec an recte ſe habeant, aliis explorandum relinquo. Iam enim tantum non eſt mihi otii, vt ipſe de rei veritate eruenda eſſe ſollicitus queam. Huic tandem interpretationi Germanicae *anno* 1762. *ead. forma* ſucceſſit noua Gallica, et hocce quidem titulo: *Les vrais Interêts de l'Allemagne, traduction du fameux ouvrage d'Hippolitus a Lapide, avec des Notes relatives aux conjunctures préſentes.* Tribus autem tota Hippolithi tractatio abſoluitur Partibus, in quarum priori Auctor ſtatum Imperii noſtri Germanici Capitibus 18. delineat, ita tamen, vt pluribus contra Monarchiam diſputet. Altera pars Capita 10. exhibet de vera, ſed magno cum patriae ac communis libertatis detrimento, huc vsque neglecta, in Imperio noſtro Romano Germanico ſtatus ratione: Pars denique tertia Capitibus 6. agit de mediis, quibus Imperii noſtri ſtatus, auitaque libertas reſtaurari, et de nouo in poſterum firmari poſſit. Verum complura eorum, quae proponit, non ſolum violenta ſunt, ſed etiam ſeditioſa, quum inter alia Domus Auſtriacae exſtirpationem ſuadeat, ſine quo facto Reipublicae Germanicae integritas reſtitui nequeat. Hoc eſt certe argumentum *Cap.* 2. *Parte III.* vbi hic ſtatim incipit:

Iun-

Iuncta omnium arma in defuncti Tyranni liberos (intelligitur hic Ferdinandus II, anno 1637. rebus humanis ereptus,) *ac totam iſtam familiam, Imperio noſtro, auitaeque libertati exitioſam, nullique, quam ſibi, fidam, Domum, inquam, Auſtriacam conuertuntor: Illa, prout de Republica noſtra merita eſt, Germania in totum pellitor: Ditiones eius, quas ampliſſimas Imperii beneficio conſequuta eſt, et ſub Imperio poſſidet, in fiſcum rediguntor.* Duriſſima haec ſunt, fateor, et neutiquam probanda: interim tamen ipſa libri lectio vnumquemque certiorem reddet, quod in caeteris multo cum iudicio ſcripta reperiuntur, quodque Hippolithus ille varios Imperii Germanici naeuos perite candideque detexerit. Ex quo luculenter adparet, virum hocce Opus excudiſſe, magno in rebus ciuilibus, patriaeque noſtrae hiſtoria, vſu praeſtantiſſimum. De vero igitur auctore varias eruditi opiniones animo imbiberunt. Credidere hunc eſſe alii IOH. IOACH. RVSDORFIVM, Conſiliarium intimum Palatinum; alii IOACH. TRANSEVM, Legatum in aula Berolinenſi Suecicum; alii IACOB. A STEINBERG, Conſiliarium Suecicum, ex terris Luneburgenſibus oriundum; alii IOH. ADLERVM SALVIVM, a Rege Suecorum ad pacificationem Weſtphalicam legatum; alii LVDOVICVM CAMERARIVM, Conſiliarium eiusdem Regis intimum, Legatumque apud Belgas; alii, vt ROUSSETUS in *Interêts des Puiſſances de l'Europe, Tomo I. cap. 3. p. 34.* et *45.* SAMVEL. PVFENDORFIVM, quod quam ſit ſimile vero, ii facile cognoſcent, qui Puſendorfium natum eſſe anno 1632. meminerint. Cf. *Beytrag zu den Leipz. gel. Zeit. Vol. III. p. 474.* Vid. de his plura in IOH. IAC. MOSERI *Biblioth. Iuris publici, Parte III. p. 898. ſq.* et HEVMANNI *Conſp. Reip. litter. Cap. VI. §. 37. p. m. 381. ſq.* Quem ſub ſiglis H. E. intellexerit TENTZELIVS in *den monatbl. Vnter-*

red. anni 1689. *p.* 318. mihi quidem non licet coniectura adſequi. Oedipus eſſe voluit, neſcio an ſatis feliciter, HEVMANNVS in Schediaſmate *de Anon. et Pſeudon. p.* 152. edit. ſecundae in *Bibliotheca Anonym. et Pſeudonymorum* MYLIANA obuiae, hiſce litteris forte indicari HENR. ECCARDVM, exiſtimans. Sed optarim ego, docuiſſet ſimul, vel tribus verbis, Heumannus, quis homo ille fuerit, ingenii viribus, ad librum eiusmodi componendum neceſſariis, tantopere inſtructus. PLACCIVS in *Theatro* ſuo *Anon. et Pſeudon. p.* 353. *n.* 1446. aliter aenigma hoc Tentzelianum interpretatur, et ad HVLDERICVM EYBENIVM, Camerae Imperialis Adſeſſorem, id ipſum ſpectare putat. Sed vide, quaeſo, EYBENII, filii, ad MAGIRI *Eponymologicum Additiones p.* 507. *ſq.* ac perpende hoc vnum, lucem adſpexiſſe Eybenium, patrem, anno 1629. Certior vtique, vt ad rem tandem perueniam, et locupletior de architecto libri teſtis eſt HERM. CONRINGIVS, memorans, *ſub Hippolithi a Lapide nomine latere* BOGISLAVM PHILIPP. CHEMNITIVM, *Martini* (Theologi clariſſimi) *nepotem, hiſtoriographum tunc temporis Sueciae, olim centurionem.* Vid. *Conringiana epiſtolica p.* 39. *edit. ſecundae, anno* 1719. exhibitae. Idem vir ſummus *p.* 352. ſequentem diſſerit in modum: *Hippol. a Lapide autor mihi eſt notus. Familiariter cum ipſo ſum conuerſatus. E colloquio non potui tantam peritiam obſeruare. Habuit patrem virum doctum, Cancellarium Pomeraniae. Fortaſſis incidit in illius chartas. Faſſus eſt, multa ſe malle indicta, crude nimis ibi propoſita. Liber inſcriptum habet annum* 1640. *Vtrum tunc prodierit, non auſim dicere. Anni ſunt viginti, cum a Senatore regni hic liber cenſurae meae eſt ſubmiſſus. Poſſideo editionem in* 4. *Pars III. huius operis quam maxime autorem poenitebit.*

bit. Dicit ſe abreptum odio Domus Auſtriacae. Erat enim Miniſter Sueciae. Anno 1653. actum fuit in Comitiis (Ratisbonenſibus) *de hoc libro comburendo manu carnificis. Requiſita fuit a magno quodam Imperii Miniſtro mea hac de re ſententia. Ego ſuaſi, ne fieret; futurum eo ipſo, vt fauillae latius per orbem ſpargerentur, et liber ab omnibus magis expeteretur. Fuit tamen prohibitus.* Hocce Conringii conſilium paullo ante, *p.* 37. vberius aperitur. Verba ſunt haec: *Vt Hippolithi a Lapide ſcriptum manu carnificis comburatur, neſcio equidem an ſit conſultum. Quid enim eo profeceris? num poſſet ita liber ille manibus excuti? Neſcis, quam late ſpargantur fauillae combuſtorum librorum? diſſimulata et neglecta quaſi ſponte tandem intereunt, quae ſi fodias, ingentem in flammam tandem erumpunt.* Cf. EHREG. DAN. COLBERGII Diſſert. *de tolerantia librorum noxiorum politica, Gryphisw.* 1693. *in* 4. Hoc noſtro ſaeculo alii etiam ſequuti ſunt Conringium; maximum vero robur addiderunt huic ſententiae HEVMANNVS in *Conſp. Reip. litter. l. c.* et V. C. IOH. SAM. MVLLERVS in Progr. *Hamburgi a. 1739. in f.* edito *de vero libelli de ratione ſtatus in Imperio Germanico auctore,* quod breue, at elegans ſcriptum poſtea recuſum fuit in KOHLII *Hamburg. vermiſchten Bibliothec, Vol. III. Parte 6. p.* 784. *ſq.* Praecipue doctiſſimus Mullerus ex alio Chemnitii libello rem omnem in clariori luce collocauit. Prodiit is *anno* 1627. *in* 4. paginis 51. atque ſic eſt inſcriptus: *Senatus Deorum de praeſentibus afflictiſſimae et periclitantis Germaniae miſeriis et reducenda pace.* In fine haec exſtant: *E muſaeo noſtro ad Salam* (Ienae nimirum) *Calend. Xbr. Anno M. DC. XXV.* B. P. C. quibus ſiglis nomen occultare ſuum ſtuduit Chemnitius. Recuſus

 idem

idem fuit plagulis quatuor *Holmiae in 12. apud Ioh. Ianſſonium* tempore haud adiecto. Factum autem id eſt *anno* circiter 1650. Vtraque editio longe eſt rariſſima, primamque ipſe adſeruo: alteram contra videre nunquam contigit. *Anno* 1762. Interpretatio libelli Germanica *in* 8. producta ab non nemine fuit. Atque hac quidem occaſione, neque enim hoc alienum prorſus ab inſtituto videtur eſſe, memorabile plagium tangam, cuius meminit IOH. IHRE in Diſſ. ſecunda *de cauſſis rarit. libror.* §. *XIII. p.* 22. *Norunt iamdiu eruditi*, ait, *perrarum eſſe hunc libellum*, (Senatum quippe Deorum) *ſed dubito, an aeque cognitum ſit, turpi plagio eum exſcriptum ſub titulo:* Somnium ſatyricum, ſiue conſultatio Deorum de pace Belgarum. Eleutheropoli 1633. in 12. *Hic nempe homuncio Chemnitium verbotenus exſcripſit, aliquibus tantum locis omiſſis, quae non apte ſatis ad Belgarum ſtatum applicari poterant.* Vera haec eſſe credas, quaeſo, libellum hunc Belgicum, paginas 150. explentem, ante oculos habenti. Eius inſcriptio integra haec eſt: *De Induciis aut pace Belgarum Diſſertationes variae.* E. PVTEANI *Statera.* PVTEANO-MASTYX *Catholico-Politicus.* STATERA-PVTEANIA *Manibus Lipſii adaequata, et varia de his iudicia.* SOMNIVM SATYRICVM *eiuſdem argumenti, nunc primum editum.* Atque hoc ipſum eſt Opuſculum, de quo ſermo eſt Ihrio. Initium illius eſt *pag. 138.* ibique ſtatim plagium occurrit ex CHEMNITII *Senatu Deorum p. 28. edit. primae*, quod paſſim deinceps ſatis impudenti auſu continuatur. Haec autem velut in tranſitu. Reuertor ad laudatum MÜLLERVM, qui *l. c.* recte adfirmat, libellum *de Senatu Deorum*, ac Diſſertationem *de ratione Status* ab eodem profectam auctore eſſe. *Iidem enim ſenſus*, inquit, *idem animus ſalutis atque libertatis Germanicae ſtudioſiſſimus*, *eaedem de miſero*

patriae

patriae ſtatu querelae, idem odium creſcentium in dies vitiorum, eadem doctrina recondita et multiplex lectio, idem ſtilus concitatus et antiquos ſcriptores redolens, ſed non ſatis purus, idem orationis habitus, quantum nempe aetatis, qua vterque conſcriptus eſt, et materiae diſcrimen permittit, in vtroque apparet. Namque epiſtolam, in qua ſomnium de Senatu Deorum enarrat, in alma Salana a. 1625. ad fratres ſuos iuniores, in ipſo adoleſcentiae ac iuuentutis confinio, annos nimirum viginti tantum natus, compoſuit, quae tanti tunc temporis viſa eſt ipſius parenti, vt etiam auctore inſcio typis diuulgaretur, quaeque, vt recuderetur, multi alii, quibus legere eam contigerat, flagitarunt, vti ipſe in dedicatione (ſcilicet ad Chriſtinam, Sueciae reginam, quae editioni Holmienſi praefixa,) *commemorat. Liber autem de ratione ſtatus anno 1646. circiter eſt confectus, quum auctor, vt ipſe perhibet,* (in principio huius Operis) bonus Leguleius aut Locutuleius amplius non erat, ſed commune patriae malum ipſum quoque inuoluerat, et Mars, cui relictis aliis curis, non paucos iam annos ſtipendia meruerat, quicquid ſcholaſtici acuminis ac ſubtilitatis in ipſo fuerat, hebetarat, longaque obliuione tantum non exſtinxerat. *Neque aetas ſolum, qua illud ſomnium conſcriptum eſt, ad maiorem copiam et vbertatem fertur, ſed ipſum argumentum quoque, quippe quod a poetico parum abeſt, maiorem ornatum atque amoenitatem recipit. Plures etiam verſus ex antiquis poetis in hoc, vbi tot Dii Deaeque dicentes inducuntur, ſolutae orationi intexuit, quam in altero illo, vbi pro inſtituti ratione docere magis, quam delectare et concionari debuit; quamquam et in hoc non*

raro, in exordio praeſertim atque epilogo, ad oratorium dicendi genus aſſurgit, verſusque et exempla immiſcere non praetermittit. Vides itaque, Lector, vero proximam de auctore libri memorabilis ſententiam. Neque tamen negare auſim, quae ex STIERNMANNI *Tomo II. Bibl. Suiogothicae p. 42.* iam attulit Heumannus, ſcilicet *dirigente et acta ſubminiſtrante* Axelio Oxenſtierna, *viro illuſtriſſimo, ſcripſiſſe Chemnitium Hippolithum a Lapide.* Idem profecto adfirmatur in ARCKENHOLTZII *Memoires de Chriſtine, Reine de Suede, Tomo I. p. 314.* Verba ſunt ſequentia de Oxenſtierna: *De plus il a compoſé le ſecond Tome de la Guerre de Suede en Allemagne,* (Hiſtoria belli Sueco-Germanici) *quoique Chemnitius en ſoit communément reputé l'auteur, et il a dirigé le même Chemnitius dans la compoſition d'un autre Ouvrage, intitulé* Hippolithus a Lapide, *pour lequel Oxenſtierna lui a fourni les idées et les pieces neceſſaires.* Cf. etiam CHRIST. GRYPHII Diſſ. iſagogica *de Scriptor. Hiſtor. ſaec. XVII. illuſtrant. Cap. II. p. 49.* Refutare Hippol. a Lapide ſtuduerunt GOTTLIEB VON HAGEN in *Comitiologia Ratisbonenſi, Bremae 1657. in 4.* et quidem a *Partis IV. Diſſert. 9. p. 266. ſq.*; IOH. SLVTERVS *Animaduerſione in Hippol. a Lapide, Tychopoli a. 1652. in 4.* iterumque *Hamb. anno* 1653. *in 12.* quae eſt optima et abſoluta editio, priore non niſi prima octo Capita Hippolithi examinante; et IOH. HENR. BOECLERVS *Adnotationibus in Hippol. a Lapide,* inſtinctu iuſſuque aulae Caeſareae elaboratis, vt patet ex HEVMANNI *Poecile Tomo III. p. 359. in fine*, quae poſt Auctoris obitum *a.* 1674. *in* 12. *Argentorati* prodiere, ac praecipue ob tractationem ſolidam commendantur. De Sluteri e contrario labore CONRINGIVS in *Conringianis epiſtolicis p. 59. edit. ſecundae* iudicat, vel puerum rei Germanicae videre, quam ſint imparia, etſi interdum non in-

indocta, quae is Hippolitho oppoſuerit. Plura non addam, de libro famoſo, praeter hoc vnum, ſatis luculenter oſtendiſſe IOH. CHRISTOPH. MANZELIVM, verbi diuini praeconem, verum etymon nominis ficti, quo vſus eſt Chemnitius. Exſtat illius Obſeruatio *de vera nominis Hippolithi a Lapide origine* cum in *Supplem. ad Noua Acta Erud. Tomo I. p. 239.* tum in IENICHENII *Iuriſt. Bücher-Saal, Vol. I. p. 514. ſq.*

§. XXVII.

Commode in libris ſeditioſis reponi etiam poteſt CONSTANTINI GERMANICI, ſiue PHILIPPI ANDREAE OLDENBVRGERI, *Itinerarium Germaniae politicum, modernam praecipuarum aularum Imperii faciem repraeſentans, Coſmopoli*, vt fingitur in titulo, ſine anni mentione *in* 12. euulgatum. Videtur id contigiſſe *anno* circiter 1668. Summa hic licentia variarum in Germania aularum arcana produntur, imo et ſaepenumero vitia perſtringuntur acerbe. Inde factum, vt liber in Saxonia, aliisque locis, prohiberetur, qui tamen mox, vt fieri ſolet, a bibliopolis lucri cupidis recuſus eſt. Ego certe ante oculos habeo binas editiones diuerſas, quarum altera, ſi Indicem demſeris, paginas 491. altera p.631. complet. Haec tamen admodum eſt mendoſa. Ni fallor, tertiam quoque vidi aliquando editionem. Plures vtique exſtare, ipſe profitetur Auctor in *Theſauri Rerum publicarum Parte IV. p. 665.* vbi et fata libri memorat non nihil, damnatque liberius dicta. En! verba praecipua: *Quomodo illud* Itinerarium *quaſi ad poſtam nimis feſtinanter conſcriptum, et a lucri cupido quodam mercatore extortum ſit, tempus in lucem proferet. Sane improbi fures, qui* aliquoties *immaturum iſtud ſcriptum* in Germania et Belgio

rurſus typis expreſſerunt, merentur, vt ferrea virga in illos animaduertatur. Et paullo poſt: *Erroribus itaque iuuenilibus Autoris illius Itinerarii omnes aequanimi Chriſtiani ignoſcunt, magnorumque Principum gratioſa clementia paulum ſiniſterius et liberius dictis lituram inducit.* Si recte ſe habent, quae in *Lexico Eruditorum Ioecheriano* v. Oldenburger, neſcio quo teſte, indicantur, Auctor duo aliquando folia, quae contumelioſa multa de Principe quodam eiusque amoribus impudicis, continebant, poenae loco deuorare debuit, verberibus ſimul egregie percuſſus. Quae poſtquam ſcripſeram, in Clar. OELRICHII Praefat. *de libris comeſtis, Catalogo librorum Perardino* praefixa, vbi etiam de hoc Itinerario docte agit *p. 52. nota 46.* eadem tradi lego in ZENNERI *monathlichen Nouvellen aus der gel. vnd curieuſen Welt, m. Nov. anni 1692. p. 1036. ſq.* Ego quidem ſtudioſius perluſtrato libello talia non reperi: graues tamen iniuriae, Principibus quibusdam illatae, paſſim occurrunt. Sic, vt vel vnico rem exemplo comprobem, petulanti lingua de Ioh. Georgio II, Electore Saxoniae, differit Auctor, notatus propterea ab AVGVSTINO LEYSERO in fine Diſſ. *de Salario*, quae inſerta *Medit. ad Pandect. Vol. X. p. 833. ſq. Specimen 668.* exhibet. Multa interim ex hocce Itinerario, quod libellum famoſum, flammaque et carnifice dignum, Leyſerus vocat, diſci poſſunt ſingularia, quamquam nec deſunt allotria et inepta, quam cenſuram corroborant illa ex *Polyhiſtore Morhofiano, Tomo III. lib. 2. ſ. 11. p. m. 497. In hoc Itinerario multa eſt rerum ineptiſſimarum farrago, quibus nonnunquam immiſcentur aliqua notatu non indigna; ſed lectore prudente opus eſt. qui cum iudicio illa legere poſſit.* Caeterum illi editioni, quae paginas 491. habet, acceſſere, non interrupta paginarum ſerie, duo

duo libelli, ſcilicet OLDENBVRGERI *Satyra in Sarckmaſium*, de qua dictum iam alio loco, et *La Fête d'Erbaud du 8. Oct. 1668. deſcrite par Mr. Peliçon.* In altera vero mea editione vterque ſeparatis paginis eſt obuius. Eandem dicendi libertatem obſeruamus in *Diſcurſibus ad Inſtrumentum Pacis Oſnabrugo-Monaſterienſis*, quos Oldenburgerus ficto BVRGOLDENSIS nomine *anno* 1668. *in* 8. iterumque longe auctius *anno* 1669. *in* 4. edidit. Varia in hoc libro Conringiana ſunt, at ſine ordine propoſita et ſine delectu. Ipſe in Praefatione editionis ſecundae ſcribit, Romanenſes in totum eum cum lineis ſuis condemnaſſe, imo neci adiudicaſſe, alios contra naſutulos taxaſſe, ſe nimia libertate in ſcribendo eſſe vſum.

Ad Hiſtoricos, qui multa in fraudem certae Domus illuſtris tradiderunt, ſpectat prae caeteris FRANC. DE ROSIERES, propter *Stemmatum Lotharingiae ac Barri Ducum Tomos VII. Pariſ. anno* 1580. *in f.* emiſſos. Modicum eſt Volumen, folia circiter quingenta continens. De fatis eiusdem, Auctorisque ipſius, haud vulgaria ex THVANO memorat STRVVIVS in *Bibliotheca antiqua anni* 1705. *menſe Ianuario*, vbi Operis ampla exſtat recenſio, *p.* 16. Ita vero ille: *Rocerius in hoc Volumine, conconfuſe et inepte plerumque ſcripto, et ideo a paucis lectitato, non ſolum plura Lotharingis contra hiſtoriae fidem tribuebat, verum etiam multa dignitati regni Gallici pari vanitate detrahebat, et ad extremum in Henrici III. regis contumeliam quaedam adiecerat. Id ſerius cognitum et adlato libro Regi probatum, cum ſuſpicionem feciſſet, Lotharingorum iuſſu ſeu conſilio typis expreſſum librum Lutetiae fuiſſe, vt periculum illius patientiae facerent; Rex iniuriam minime negli-*

gendam cenſuit. Igitur eius mandato Rocerius comprehenditur, et miſſo Tullum (vbi Archidiaconus erat) *Nicolao Brularto Senatore in eum inquiritur; tandemque Lutetiam perductus in Baſtiliam coniectus eſt. Poſtea 6. Kal. Maias* (anno 1583.) *coram magna Principum ac procerum corona in genua procumbens, et multa ſe calumnioſe, praeter hiſtoriae veritatem, contra Regiae Maieſtatis dignitatem dixiſſe confeſſus, (propter quae grauiſſima ſe poena dignum agnoſceret, quae tamen imprudentia potius, quam certo animi conſilio, ſcripſerit) veniam a Regia clementia et miſericordia voce lamentabili petiit. Tum a Procancellario, Philippo Huralto Ceuernio, acerbe increpatur, et in laeſae Maieſtatis crimen incurriſſe oſtenditur. Quibus actis Regina parens, Catharina Medicea, cum filium oraſſet, vt in Lotharingiae Ducis, coniunctiſſimi ſibi, gratiam crimen confeſſo, et grauiſſima cuncta promerito reo condonaret. Rex nutu capitis adſenſus eſt, reumque in pedes ſurgere iuſſit. Liber coram Rocerio laceratus eſt.* Quibus adnectere iuuabit, exemplaria complura fuiſſe combuſta, vt binis teſtibus probat VOGTIVS in *Catal. libr. rar.* v. de Roſieres *p. m. 587*. Ratio autem, laudato Struuio haec ſubiiciente, facilis eſt condemnationis. Guiſii enim, atque alii ex Lotharingica familia, ad regni habenas manus admouebant, vt parum abeſſet, quin, excluſa Capetiorum progenie, ſolium regium adſcenderint. Hos igitur ſcripto ſuo iuuit Roſerius, qui regnum Galliae ipſis deberi haud obſcure docet, non tam quod Carolum, Lotharingiae Ducem, ex ſtirpe Caroli M. contra iuris rationes Capetii a ſucceſſione debita repuliſſent, quam quod multo ante Meroueus, et qui ab eo deſcenderunt,

regnum familiae eorum violenta manu ademiſſent. Plures fuiſſe certum eſt, qui contra hunc Auctorem calamum arripuere, et narrationes eius cum falſas, tum Galliae regno maxime pernicioſas, refutare conati ſunt, interque hos nominandus PHILIPP. MORNAEVS. Edidit is quippe *Memoires et Réponſe à un mechant livre de* Rozieres, *intitulé*: *Stemmata Ducum Lotharingiae*, qui libellus inſertus eſt eiusdem *Memoires*, *à la Foreſt a. 1624.* et *1625. in 4.* Tomis II. In hacce collectione Epiſtolae, Reſponſa, Inſtructiones, et ſi qua alia a Mornaeo ab anno 1572. vsque ad annum 1599. compoſita ſunt, quae ad ſtatum Reipublicae aut Eccleſiae Gallicae pertinent, nulla narratione hiſtorica inter ſe coniuncta, ſed ſeorſim iuxta annorum ſeriem digeſta inueniuntur. Eandem ſequutus rationem fuit LVDOV. ELZEVIRIVS, bibliopola, qui quum plura nactus monumenta eſſet, ab eodem auctore inde ab anno 1600. vsque ad annum, quo deceſſerat, 1623. confecta, haec eodem titulo, Tomis itidem II, *Amſtael. a. 1651. et 1652.* diuulgauit, adeoque Commentarii iſti, hodie rariores, quatuor omnino Volumina, diuerſo loco ac tempore producta, complectuntur. Vid. IOH. BVRCH. MENCKENII Diſſert. *de Commentariis hiſtoricis, quos Galli Memoires vocant, §. XIII. p. 431.* in *Decade Diſſert. Academic. Menckenianarum.*

Inter libros denique, ſtatum publicum turbantes, aliqua ex parte referre CHYMICOS non dubito. Varii enim eorum nihil aliud efficiunt, quam vt homines a laboribus ordinariis, lucri egregii ſpe, abducant, profuſisque inaniter opibus, detrudant in mendicitatem. STRVVII de hoc argumento collecta, et in ſingulari olim §pho propoſita, ſunt ſequentia. *Aſt chymici*, ait, *forſan libri erunt reiiciendi. Nolumus iam longum horum Catalogum nectere,*

quum

fruſtra omnem pro lapide conſequendo lapidem mouebimus. Accedit fatalis, qui comitatur illa ſtudia, contemtus, homini honeſto grauis: detrahit enim de iudicii opinione apud viros prudentes male inſtituta vtilium prouiſio, cum molimur rem inanem, tot impoſturis infamem, tot aliorum damnis et periculis nobilitatam. Quam ob cauſam inter perdita ingenia referebat Cardinalis Perronius, (vt ex ſchedis illius, quae a FF. Puteanis conſignatae ſunt, conſtat,) quae in ſtudiis illis, vel multiplicatione cubi, vel perpetuo mobili, vel Aſtrologia iudiciaria tempus ſuum ponunt. Rectius itaque agunt, qui praecipitio hoc relicto ad plana ſe conferunt, et in vicina naturae opera contemplationes minore cum damno et periculo coniunctas defigunt. Mihi, talium ſtudiorum plane ignaro, numquam obuenit indicium libri chymici, auctoritate publica prohibiti, neque id meretur diſciplina vtiliſſima, generatim conſiderata. Quodſi tamen aliquis, ad fumos vendendos, fraudandosque alios pecunia, mire acutus et ingenioſus, artem χρυσοποιητικὴν ſcripto quodam docere tentauerit, id omnino, propter rationes ſupra depromptas, ne quid Respublica detrimenti exinde capiat, ſupprimere in terris ſuis poteſt ſummus Magiſtratus. De FRID. ROTHSCHOLTZII *Bibliotheca Chemica, Norimb. a.* 1725. *ſq. in 8.* Faſciculis V. excuſa, confer. *Supplem. ad Noua Acta Erud. Tomo II. p. 404.* Eidem debetur *das deutſche Theatrum Chemicum, ibid. a. 1728. ſq. ead. forma* Partibus IV. Vid. *die Leipz. gel. Zeit. anni 1732. p. 126.*

Caeterum antequam Capiti huic imponam finem, generatim eſſe monendum cenſeo, multos librorum olim prohibitorum hodie impune vendi, ple-

pleroſque tamen rarius, imo quosdam rariſſime, occurrere, vt paſſim iam obſeruare memini. Inter eos, qui egere de atheis, compluribus locis vſus fui BVDDEI *Theſibus de Atheiſmo et ſuperſtitione*, qui liber, poſt primam Ienenſem editionem, Germanice redditus a THEOGNOSTO EVSEBIO, i. e. ADOLPHO GVIL. A GOHREN, iterum prodiit *ibidem a. 1723. in 8.* Verſio haec ſatis dicitur adcurata, primisque plagulis Editor inſeruit adnotationum non nihil. Idem Buddei liber recuſus eſt Latine, cum nouis obſeruationibus, ac Diſſert. *de exiſtentia ſummi Numinis*, HADRIANI BVVRT, *Vltrai. a.* 1737. *in 8.* Vid. *Acta Erudit. Lat. anno 1740. p. 169. ſq.* Tandem hunc ipſum Gallice accepimus *Amſtael. a. a. 1740. ead. forma*, et mutato ſaltim titulo *a.* 1756. curante IOH. CHRISTIANO FISCHERO, atque interprete LVDOV. PHILON, Doctore olim Sorbonico. Quae iam ante Buddeanum laborem, ſcilicet *anno* 1709. *in 8. Baſileae*, lucem adſpexerat IENKINI THOMASII PHILIPPS *Hiſtoria Atheiſmi breuiter delineata*, ea typis eſt repetita cum CLARKII libro *de exſiſtentia et attributis Dei Altorfii a. 1713. in* 8. ac denuo ſeparatim *Londini a. 1716. in 8. ibidem*que *anno 1735. in 8. mai.* inter eius *Diſſertationes hiſtoricas quatuor*, vbi primum tenet locum Commentatio haec admodum imperfecta et ieiuna. Turpe plagium commiſiſſe auctorem etiam ex WENDLERIANA Diſſert. *de doctis Italiae naturaliſtis*, praeſide STRVVIO *Ienae a.* 1705. defenſa, luculenter probauit MENCKENIVS in *Miſcellan. Lipſ. nouis*, *Vol. I. p.* 139. Idem alio loco, *Capitis huius §. VI*, ſimilis delicti litterarii ab me fuit incuſatus. Atheiſmi falſo ſuſpectos e veteri memoria in ſcenam produxit *Vitemb. 1710.* Diſſertatione ſingulari IOH. CHRISTOPH. WOLFIVS. Quod argumentum longe ampliori adparatu pertractauit IOH. IAC. ZIMMERMANNVS, Theo-

Theologus Tigurinus, iamque anno 1737. indicauit Opus, integrum fere, prelum exſpectans, atque hoc titulo edendum: *Apologia virorum eruditorum, falſo Atheiſmi ſuſpectorum.* Vid. *die Leipz. gel. Zeit. anni 1737. p. 540.* Sed poſt eius obitum, qui in annum 1756. incidit, nondum inuentus eſt, cuius opera et impenſis eruditum hoc volumen euulgaretur. De REIMMANNI *Hiſtoria vniuerſali Atheiſmi et Atheorum, falſo et merito ſuſpectorum*, quae, vt iam pridem dictum, *Hildeſiae a.* 1725. *in 8.* excuſa fuit, WALCHIVS in *Bibl. theolog. Tomo I. p.* 741. ſcribit, laudandam eam ob eruditionem et induſtriam eſſe; reprehendendam autem, quia alia ſint memorata, quae omittenda fuiſſent: alia praetermiſſa, quae debuiſſent proponi: alia praue diiudicata. Magis idem commendat Hiſtoriae litterariae de Atheiſmo amatoribus egregium ac perutilem IOH. ALB. FABRICII *Delectum argumentorum, et ſyllabum Scriptorum, qui veritatem religionis Chriſtianae aduerſus atheos, epicureos, deiſtas*, caet. *lucubrationibus ſuis adſeruerunt, Hamb. anno 1725. in 4.* Supplementa non pauca congeſſit ad hocce Opus, et *p.* 595. *ſq.* inſeruit *dem Freydencker-Lexico* IOH. ANT. TRINIVS, cuius liber quamquam haud caret naeuis, commode tamen adhiberi ab iis poteſt, quibus curta eſt librorum, ad hoc argumentum ſpectantium, ſupellex.

Deiſtas, et eorum dogmata, cognoſcere licet ex PHILIPPI SKELTONI *Offenbarten Deiſterey*, quem librum de Anglico ſermone MATTH. THEOD. CHR. MITTELSTEDTIVS Germanice conuertit, Partibusque II. *Brunſuigae a.* 1756. *in 8. mai.* exire in lucem eſt paſſus. Conſtat ex octo Dialogis, multo cum iudicio compoſitis. Huc et facit IOH. LELANDI *Abriß der vornehmſten deiſtiſchen Schriften, die in dem vorigen vnd gegenwärtigen Iahrhunderte in Engelland be-*

bekant geworden ſind. Opus hoc, Epiſtolas varias Anglice ſcriptas exhibens, interpretibus HENR. GOTTLIEB SCHMIDIO, et IOH. HENR. MEYENBERG, itidem Germanice prodiit *Hanouerae a.* 1755. *in 8.* Partibus II.

CAPVT DECIMVM

DE

ACADEMIIS, SEV VNIVERSITATIBVS, EVROPAE PRAECIPVIS, ORDINE ALPHABETICO,

AC DE

SOCIETATIBVS LITTERARIIS ORDINE, QVOD AD GENTES ATTINET, CHRONOLOGICO.

§. I. *Scriptores* de Academiis *vniuerſales.*

§. II. *Scriptores* de Academiis *ſingulares, nimirum Altorfina, Argentoratenſi, Aurelianenſi, Baſileenſi, Bononienſi, Cadomenſi, Cantabrigienſi, Complutenſi, Conimbricenſi, Cracouienſi, Duisburgenſi, Eborenſi, Erfurtenſi, Erlangenſi, Ferrarienſi, Francofurtana, Franequerana, Giſſenſi, Gottingenſi, Groningenſi, Gryphiswaldenſi.*

§. III. *Scriptores de Academia Hafnienſi, Halenſi, Hardero-uicenſi, Heidelbergenſi, Helmſtadienſi, Herbipolitana, Ienenſi, Ingolſtadienſi, Kilonienſi, Lipſienſi, Louanienſi, Lugdunenſi cum in Belgio, tum in Gallia, Lundenſi, Marburgenſi, Moguntina, Monſpelienſi, Oxonienſi.*

§. IV. *Scriptores de Academia Pariſienſi, Patauina, Piſana, Regiomontana, Rintelienſi, Roſtochienſi, Salisburgenſi, Ticinenſi, Treuirenſi, Tubingenſi, Tyrnauienſi, Valentina, Vindobonenſi, Vltraiectina, Vpſalienſi, Vitembergenſi.*

§. V. *Definitio Societatum litterariarum, Scriptoresque de iis vniuerſales.*

§. VI. *De Societatibus litterariis* antiquis.

§. VII. *Societates litterariae* Italorum, *ſpeciatim Bononienſis, Caſalenſis, Cortonenſis.*

§. VIII.

§. VIII. *Societates Florentinae ac Fori Liuii.*
§. IX. *Societates Mediolanenſes, Panormitanae, Patauinae, Regii Lepidi.*
§. X. *Societates Romanae, in primis Lynceorum.*
§. XI. *item Humoriſtarum et Arcadum.*
§. XII. *Societates Roſcianenſis, Senenſis, Venetae, ac Veronenſis.*
§. XIII. *Societates* Germanorum *litterariae, Rhenana, Fructiſera Teutonica, Zeſeniana Hamburgenſis, Pegneſiorum Norica, Naturae Curioſorum, Collegium Imperiale hiſtoricum.*
§. XIV. *De Societatibus Scientiarum Berolinenſi, Guttingenſi, Erfurtenſi, Monachienſi.*
§. XV. *Societas Charitatis et Scientiarum, Teutonicae variae, ac Latina Ienenſis, caet.*
§. XVI. *Societates quaedam priuatae, ſcilicet Collegium Gellianum et Anthologicum, Societas Pythagorea ac Diſquirentium, Scrutantium, Conantium, Collicentium, Patriotarum Hamburgi.*
§. XVII. *Societates litter.* Gallorum: *Francica, Inſcriptionum, Scientiarum, aliaeque Pariſienſes.*
§. XVIII. *Societates Arelatenſis, Biterrenſis, Cadomenſis, Francopolitana, Lugdunenſes, Maſſilienſis, Montepeſſulana, Nanceienſis, Rothomagenſis, Sueſſionenſis, Toloſanae, Veſuntina.*
§. XIX. *De Societatibus* Anglorum: *Londinenſi Regia, Athenienſi, Antiquaria, Etymologica, Medicorum.*
§. XX. *De Collegio Antiquitatum, Regia litteraria et Scientiarum, item alia Scientiarum, potiſſimum Oeconomiae, Societate apud* Suecos.
§. XXI. Hiſpanorum *ac* Luſitanorum *Societates litterariae.*
§. XXII. *Academia Scientiarum* Petropolitana.
§. XXIII. *De Societatibus litterariis* Danorum, Belgarum *ac* Polonorum.

§. I.

Varii exſtant, qui de Academiis generatim egerunt, Scriptores. Intelliguntur hac voce, quae a loco Athenienſium ſuburbano, arboribus pulcherrimis conſito, multisque exornato monumentis, vbi Plato ſcholam philoſophicam aperuerat, originem nacta eſt et adpellationem, *docentium diſcentiumque Societates, a ſummo Imperante* ad excolendas quascunque litteras *conſtitutae, ac diuerſis ordinibus, ſeu Facultatibus, diſtinctae, iu-*

 ris-

riſdictione ſimul, et aliis priuilegiis, poteſtate cum primis ſupremos in omni eruditione honores ſcholaſticos conferendi inſtructae. Cf. IOH. CHRISTOPH. KOECHERI *de vera Academiae notione* Diſſertatio in *Parergis Gottingenſibus p. 195. ſq.* Dicebantur olim frequentius *Vniuerſitates*, vel *Studia generalia;* ſaeculo tamen XVI. primum increbuit Academiae nomen, auctoribus forte Eraſmo et Melanchthone, vti ſuſpicatur GVSTAV. FERRARIVS, i. e. HEVMANNVS in *der Neuen Hälliſch. Biblioth. Vol. V. Parte 45. p. 363. ſq.* vbi occurrit *Beantwortung der Frage, zu welcher Zeit, vnd warum man die Vniuerſitaeten Academias titulirt habe?* Hiſce praemiſſis recenſendi nunc praecipui de Academiis Hiſtorici. Vulgaris eſt, et ineptus quandoque, IAC. MIDDENDORPII labor: nec vero habemus ipſo adhuc meliorem. Accepimus quippe ab eo *Colon. a. 1572. in 8. Academiarum orbis Chriſtiani libros II, quibus, praeter earum originem, inſtitutionem et progreſſiones, Noachi poſt diluuium et S. S. Apoſtolorum Ieſu Chriſti in Europam aduentus et coloniae deſcribuntur.* Altera editio, paſſim totoque libro tertio auctior, *ibidem* 1583: tertia *a.* 1594. et quarta, *ibidem a.* 1602. *eadem forma*, Tomis II. hoc fuit titulo exhibita: *Academiarum celebrium vniuerſi terrarum orbis libri octo, partim recens conſcripti, partim ita locupletati, vt plane noui videantur.* Mitiſſime de hoc Opere iudicauit CONRINGIVS in *Praef.* ad editionem ſecundam *Antiquit. Academicarum*, vbi Middendorpium huic argumento fuiſſe multum imparem, profeſſus eſt. Caute igitur legendus auctor dubiae fidei, et extra cancellos ſaepenumero excurrens. Interim plures ſunt alii eundem ſequuti, quos commemorare non attinet. *Analecta ad Middendorpii* librum *de Academiis Lubecae a. 1756. in 4.* edidit IOH. HENR. A SEELEN, quo in ſcripto erudito primum de naeuis

eius-

eiuſdem, deinde autem de Academiis Roſtochienſi, Vitembergenſi, Viadrina et Gryphiswaldenſi quaedam non contemnenda diſſeruit. Poſt Middendorpium ſucceſſu non magis felici *Heidelb. a.* 1587. *in* 4. euulgauit FRANC. IVNIVS *Academiam*, qui libellus ortum Academiarum, genera et partes, itemque ſtudiorum et honorum gradus, quos Academiae obſeruant, et quae eo pertinent, exponit. Ad calcem adiectus eſt Academiarum totius orbis Chriſtiani Catalogus. Sed omnia etiam hic ſunt manca plane atque ſterilia. GVIDI PANZIROLI liber *de Europae Academiis*, qui eſt quartus Operis alibi iam producti, *de claris Legum Interpretibus*, et nimia breuitate laborat, et ex Middendorpio potiſſimum fuit congeſtus. Poſtumum eſſe totum Volumen, ex his praecipue ſchedis clariſſime intelligitur. Multa egregia, quae ad Academiarum hiſtoriam faciunt, inueniuntur in HERM. CONRINGII *Antiquitatibus Academicis*, paullo ante nominatis, quae Diſſertationes primum *anno* 1651. iterumque plurimis locis emendatae, ac Supplementorum libro adauctae, anno 1674. *in* 4. *Helmſtadii* prodierunt. Tum iisdem locum conceſſit GOEBELIVS in *Operum Conringianorum Tomo V. p.398. ſq.* Subiunxitque Editor paſſim notas docţiſſimas. Neglecta ſunt autem allegata, quae vocant, Conringii marginalia, quae HEVMANNVS extremae cuique paginae reſtituit in nouiſſima libri editione, *Gottingae a.* 1739. *in* 4. ſatis eleganter excuſa. Cf. dicta abs me *Tomo I.* huius *Biblioth. cap. I. §. 10. p.* 32. *ſq.* Hac noſtra aetate FRIDER. LVCAE, Eccleſiae Cathedralis Rotenburgenſis ad Fuldam Decanus, compoſuit *den Europaeiſchen Helicon, auf welchem man die Academien, oder hohe Schulen, von Anfang der Welt bis ietzo aller Nationen, beſonders Europae*, caet. Conſtat liber ex Partibus ſeptem, in quibus tamen Auctor

ctor paſſim digreditur ab argumento, et modo plura, modo pauciora, quam promittit titulus, praeſtat. Sic hiſtoriam etiam inſeruit Scholarum equeſtrium, et Gymnaſiorum Academicorum; e contrario Germaniae tantum Belgiique Academias deſcribit, paucisque libri III. cap. 5. aliarum nationum Vniuerſitates litterarias tangit, multa intermiſcens falſa, multa ἀπροσδιόνυσα, quod HEVMANNI eſt rectum iudicium *p. 14. Biblioth. Academ.* CONRINGII *Antiquit. Academicis* adiectae. Cf. REIMMANNI *Catalog. Bibliothecae, Tom. II. p. 190. ſq.* Idem Heumannus *l. c.* ſplendidum vocat Opus, cui edendo occaſionem praebuerit noua Academia Gottingenſis, IOH. GE. HAGELGANS *Orbem litteratum Academicum, Germanico-Europaeum, praecipuas Muſarum ſedes, Societates, Vniuerſitates, earumque fundationes, priuilegia, euentus, Teutonicarum ſigilla, prototypis conformia, vna cum Faſtis, Albo chronologico, Catalogo vniuerſali membrorum et Profeſſorum hodie viuentium, in Synopſi repraeſentantem.* Magna quidem diligentia collecta conſpiciuntur hic notatu de Academiis digniora, neque tamen votis reſpondit ſucceſſus. Volumen eſt ſeptem tantum ac viginti plagularum, *in forma maiori Francof. anno* 1737. emiſſum, quod conatus et adumbratio magis, quam perfectio inſtituti vtiliſſimi dici debet. Pars diplomatica, cuius ſpem fecerat Hagelganſius, lucem, quantum ſciam, haud adſpexit. Vid. *die Leipz. gel. Zeitung. a.* 1739. *p.* 33. Idem argumentum pertractare olim voluerat IOH. ALB. FABRICIVS: certe manu reliquit exaratam Diſſertationem *de Academiis Orbis Chriſtiani,* cuius meminit Celeberrimus REIMARVS in *Vita Fabriciana p. 142.* Sed audiamus HEVMANNVM *l. c. p.* 15. ſic diſſerentem: *Doctiſſimus Reimarus cum roganti mihi inſpiciendam miſerit hanc Diſſer-*

Diſſertationem, vidi, poſtremis demum vitae ſuae annis virum illum hoc in genere facile principem annotare coepiſſe loca recentiorum maxime ſcriptorum hiſtoriam Academicam illuſtrantium: adeoque non eſſe ita comparatam hanc ſcriptionem, vt ſalua honore nominis Fabriciani edi queat in publicum. Fuerunt tamen haud pauca, quae inde meum in vſum excerperem. Aliorum Opuſcula de iuribus, neceſſitate, et vtilitate Academiarum; de Magiſtratu ac dignitatibus Academicis; de Studioſis eorumque iuribus; de gradibus Academicis; de ritibus Academicis, ſpeciatim depoſitione, olim vſitata; de naeuis et emendatione Academiarum, et aliis rebus ad easdem pertinentibus, congeſta copioſe videbis in *Catalogo Biblioth. Bunauianae, Tomo I. Vol. 1. p. 917. ſq.* Cuius farinae ſit CASP. THVRMANNI *Bibliotheca Academica, Halae M. anno 1700. in 4.* typis impreſſa, iam pridem declaraui *Bibliothecae* huius *Tomo I. cap. 1. §. 21. p. 96.* Pennaliſmus, horrendum illud monſtrum, quod ſaeculo ſuperiori Vniuerſitates Euangelicorum in Germania vehementer turbauit, data opera deſcriptus eſt ab CHRISTIANO SCHOETTGENIO in *der Hiſtorie des ehedem auf Vniverſitaeten gebräuchlich geweſenen Pennal-Weſens, Dreſdae 1747. 8.*

§. II.

Nunc Scriptores de Academiis ſingulares ordine alphabetico in ſcenam producendi; non omnes tamen, quod ab inſtituto nimis eſſet alienum, ſed ſelecti potius atque praecipui.

Sic de *Altorfina* Noricorum habemus MAGNI DAN. OMEISII *Gloriam Academiae Altorfinae, ſiue Orationum faſciculum, Vniuerſitatis Noricae ortum, progreſſum, et cuncta memorabilia, omniumque Profeſ-*

ſorum vitas, mortes ac ſcripta fideliter exhibentem, Altorfii a. 1683. *in* 4. Hoc ipſo, quo viuimus, ſaeculo, et *anno quidem* 1714. *ibidem eadem*que *forma* ſucceſſit IOH. IAC. BAIERI *wahrhaftige vnd gründliche Beſchreibung der Nürnbergiſchen Vniuerſitaets-Stadt Altdorff.* Libellus Capitibus XX. abſoluitur, quorum priora quatuor originem tenuiorem, incrementa, ſitum, fata, et hodiernam oppidi faciem delineant, ſequentia vero vsque ad Caput XIX. de Academia ſpeciatim agunt, vltimo deſcripta ex templo vrbano atque coemeterio Epitaphia exhibente. In *Actis* etiam *Sacrorum ſaecularium Academiae Altorfinae, ibidem a.* 1723. *in f.* editis, ſtatim ſub initium breuis at elegans, (profecta eſt quippe ex praeclara CHR. GOTTLIEB SCHWARZII officina,) occurrit Expoſitio *de ortu et progreſſu Academiae Altorfinae, rebusque quibusdam ſingularibus, quae in ſuperiora eius tempora inciderunt.* Tum adcurata ſerie illuſtres Academiae Curatores, Rectores, Procancellarii ac Profeſſores publici recenſentur.

Argentoratenſis Academiae hiſtoriam cognoſcere non nihil poſſumus ex IOH. HENR. BOECLERI, qui decus quondam eius fuerat, *Oratione ſaeculari*, habita publico nomine anno 1638. iubilaeo Scholarum Argentoratenſium, quae exſtat in Volumine *Orationum Boeclerianarum p.* 185. *ſq.* Memoratur ortus Scholae Argentoratenſis, et quomodo ex Gymnaſio ad Academiam excreuerit, et ab hac ad pleniſſima tandem adſpirauerit Vniuerſitatis litterariae priuilegia. Eadem acceſſit IOH. SCHMIDII *Fünf Predigten von geiſtlichen Schul-Brunnen, auf des Straſburgiſchen Gymnaſii Iubelfeſte a. 1638. gehalten.* Prodiit liber ille *Argent. anno* 1641. *in* 4, eique finem conſtituit MELCH. SEBIZII *Appendix chronologica*, in qua primum Cancellarios et Scholarchas, deinde

de Profeſſores ac Doctores publicos, vltimo Praeceptores claſſicos, ſubiuncta breui cuiusque vitae διαγραφῇ, repraeſentauit Auctor. Nunc de hac ipſa Vniuerſitate litteraria IOH. DAN. SCHOEPFLINVS, Vir celeberrimus, in *Tomo II. Alſatiae illuſtratae* conſuli omnino debet.

De *Aurelianenſi* Academia FRANC. LE MAIRE liber adnexus eſt eiusdem *Hiſtoire de la Ville d'Orleans, Aureliae a. 1648. in f.* excuſae. *Anno 1650. ibidem in f.* ſubſequebatur SYMPHORIANI GVYON *Hiſtoire de l'Egliſe et de la Ville d'Orleans*, vbi ſimiliter Hiſtoria Academiae inſerta eſt, teſte HEVMANNO *Bibl. Academ. p.* 32, quo ipſo loco additur, in BVLAEI *Hiſtor. Vniuerſitat. Pariſ. Tomo IV. p. 101. ſq.* de fundatione Academiae Aurelianenſis agi. Synopſin Statutorum ac priuilegiorum, Nationi Germanicae in hac Academia, conceſſorum, ex monumentis idoneis publicauit illuſtris ESTOR *Vol. III. Parte 10. p. 185. ſq. der auserleſenen kleinen Schriften.*

Baſileenſem deſcripſit non indocte LVCAS GERNLERVS oratione ſaeculari *de ortu et progreſſu Academiae Baſileenſis*, quae, *Baſil. a.* 1660. *in* 4. euulgata, hodie plurimorum ſubducta eſt vſibus. De ortu eiusdem in *der Helvetiſchen Kirchen-Geſchichte libro V. p. 440. ſq.* differit IOH. IAC. HOTTINGERVS. Documenta vero, hiſtoriam Academiae, quae a. 1459. fundata, et a. 1460. ſolemni modo dedicata eſt, illuſtrantia, non ſine fructu ab huius ſtudii amatoribus legentur in AEGID. TSCHVDII *Chronico Helvetico-Germanico, Parte II. Baſil. anno* 1736. *in f.* edita, *p. 633. ſq.* Vid. *Acta Erud. Lat. anni 1737. p.* 101. Adhibenda eſt item, quae *anno* 1761. *in* 4. *Baſileae* typis fuit impreſſa, IOH. RVD. THVRNEISEN Orat. ſaecularis, *ſiſtens ſingularis diuinae proui-*

dentiae beneficia, quae ſuperiori ſuo ſaeculo tertio experta eſt Academia Baſileenſis.

Bononienſis Academiae hiſtoriam antiquiorem apud noſtrates illuſtrare ſtuduit GE. GODOFR. KEVFFELIVS, Philoſophus Helmſtadienſis, in *den Merckwürdigkeiten der Bononiſchen Schule, Helmſt. a.* 1749. *in* 8. cuius libelli *caput III.* cum ſequentibus a *p.* 21. vsque ad finem, potiſſimum huc ſpectat. Caetera hauriri queunt ex PELLEGRINI ANTON. ORLANDI *Origine, progreſſi e vicende letterarie dell' Academia di Bologna* in eiusdem *Notizie degli Scrittori Bologneſi, p.* 11. *ſq.* edit. prioris, *anno* 1714. *Bononiae* adornatae.

De *Cadomenſi* Vniuerſitate, ab Henrico VI, Anglorum Rege, anno 1431. inſtituta, eiusque diuerſis Collegiis, verba facit PETR. DAN. HVETIVS in *Origines de la ville de Caen Cap. XVIII.* Exiit liber ille, Auctoris nomine non adſcripto, *Rothomagi a.* 1702. *in* 8. vt alibi iam obſeruaui. Ortum Academiae BVLAEVS etiam in *Hiſt. Vniuerſit. Pariſ. Tomo V. p. 846. ſq.* expoſuit.

De antiquitate *Cantabrigienſis* Academiae libros II. *Londini a.* 1568. *in* 8. edidit IOH. CAIVS, Medicus, cuius tamen nomen praefixum eſt demum editioni alteri, *ibidem a.* 1574. *in* 4. abſolutae. Contendit Auctor anno 1564. Oratione quadam, Academiam Cantabrigienſem aetate multum eſſe ſuperiorem Oxonienſi, quod haec aegre tulit, ideoque THOMAE CAIO id dedit negotii, vt refelleret huius Scriptoris argumenta. Exarauit eo conſilio Thomas Caius *Adſertionem Antiquitatis Oxonienſis Academiae,* eademque manuſcripta oblata fuit anno 1566. Eliſabethae, Reginae. Cuius Adſertionis quum nactus copiam eſſet Ioh. Caius, librum ſupra pro-

productum, excudendum curauit, atque Commentationem aduerſarii ſui, eo tamen inſcio, ſubiecit. Parabat is igitur *Animaduerſiones aliquot in Londinenſis de antiquitate Cantabrigienſis Academiae libros II.* At paullo poſt rebus ereptus humanis haſce ſchedas amicis reliquit, quae tandem in manus peruenere THOMAE HEARNII, atque ab ipſo euulgatae ſunt *Oxonii anno* 1730. *in* 8. hac quidem inſcriptione: *Thomae* CAII *Vindiciae antiquitatis Academiae Oxonienſis contra Iohannem Caium, Cantabrigienſem.* Vid. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1732. *p.* 573. *ſq.* quo loco plura de hac lite dicuntur. EDMVNDI MILLERI *Account of the Vniuerſity of Cambridge and the Colleges there*, caet. *Londini anno* 1717. *in* 8. prodiit. Laudatus quoque HEARNIVS anno 1715. IOH. LELANDI *Collectaneis de rebus Britannicis* RICH. PARKERI *Scelꝫton Cantabrigienſe, ſiue Collegiorum delineationem cum ſuis fundatoribus et benefactoribus*, anno 1622. confectam, ſed adhuc ineditam, itemque anno 1719. NICOL. CANTALVPI *Hiſtoriolam de antiquitate et origine Vniuerſitatis Cantabrigienſis* THOMAE SPROTTI *Chronicis* adiunxerat. Quos binos libellos Anonymus eorum gratia, qui vel ignari ſunt Latinae linguae, vel a dictione Cantalupi barbara abhorrent, Anglice translatos *Londini a.* 1721. *in* 8. emiſit, ſimul autem ex RYMERI *Actis publicis* inſeruit Diplomatum non nihil, Collegiis huius Vniuerſitatis conceſſorum, nec non ex Volumine Bibliothecae Cottonianae Catalogum Rectorum et Cancellariorum eius ab anno 1289. vsque ad annum 1603. et ſummam priuilegiorum, quae eadem ab Angliae Regibus acceperat. Interpretationis huius eo magis probatae, quod Hearnii editiones, propter pauca, quae excuſa fuerant, exemplaria iam tum erant rariores, titulus eſt ſequens: *the Hiſtory and Antiquities of the Vniuerſity of Cambridge.*

 II. Parts

II. Parts. By NICH. CANTALVPE, *et* RICH. PARKER. Recenſio eius obuia eſt in *Actis Erud. Lat. anno* 1721. *p.* 433.

Complutenſis Academiae deſcriptionem, a MICH. DE LA CERDA concinnatam, reperimus in ADR. SCHOTTI *Bibliotheca Hiſpaniae Tomo I. p.* 52. *ſq.* Iura huius Academiae, priuilegia et immunitates exſtant in *Bullario magno Romano Tomo V. p.* 297. *ſq.* Antiquiſſima vero Hiſpanorum Schola litteraria illa fuit, quae Oſcae, (hodie vrbs *Hueſca* vocatur,) iam ante Chriſtum natum inſtituta eſt a Quinto Sertorio, Romano. Vid. IOH. ADAMI EMRICHII Comment. *qua Antiquitates Oſcenſium litterariae exponuntur, Ienae a.* 1758. *in* 4.

Ad *Conimbricenſem* Luſitanorum Vniuerſitatem adcuratius cognoſcendam pertinet omnino Opus lingua patria abs FRANC. LEITANO FERREIRA, partim ex libris excuſis, partim ineditis diligenter inchoatum, cuius haec eſt inſcriptio: *Noticias chronologicas da Vniuerſidade da Coimbra.* Pars prima, quae ab anno 1287. vsque ad annum 1537. excurrit, *Vlyſſipone anno* 1729. *in f.* ſeparatim vidit lucem, et in alia etiam Collectione locum obtinuit. Cf. dicta *Tomo II. Bibliothecae* huius, *cap. VII. ſ.* 19. *in fine.* Fuerat haec Academia primum in ipſa Regia, Dionyſii auſpiciis, condita: ſed ob ciuium ac litteris operam dantium perpetua diſſidia Conimbriam anno 1308. translata eſt conſenſu Pontificis, ibique maioribus ſubinde reditibus ac priuilegiis ornata efflorefcere coepit. Poſtea, quum in hac vrbe commorari vellet Alphonſus IV, atque is vereretur, ne commercium ſtudioſorum cum hominibus aulicis detrimento eſſet Academiae, eadem denuo a. 1338. rediit Vlyſſiponem. At reſtaurata iterum fuit, reditibus plus triginta milibus aureorum auctis, Conim-

nimbriae anno 1534. iuſſu Iohannis III, quoniam perſuaſum ſibi habuit, Muſis quietem amantibus cum ſtrepitu aulae, et mercatorum, ob negotia Vlyſſiponem confluentium, non ſatis bene conuenire. Docent id *Acta Erud. Lat. a.* 1727. *p.* 322. ex BERNH. DE BRITO *Elogiis Regum Luſitaniae*, et ipſe Ferreira hac de re diſputat *p. 529. ſq.* Dolendum certe, continuationem laboris, ab eodem ſuſcepti, vel interruptam eſſe penitus, vel in Germania non innotuiſſe.

De *Cracouienſi* Academia, quam Caſimirus III. inſtituerat, Vladislaus autem Iagello anno 1401. reddiderat perfectiorem, paucis agit BERNH. CONNOR in *der Beſchreib. des Königreichs Pohlen, P. I. p. 286.* Copioſior eſt et elegantior SIM. STAROVOLSCI *Laudatio almae Academiae Cracouienſis, Cracov. a. 1639. in f.* edita, quem libellum recenſet clar. IANOZKI in *den Nachr. von raren Pohln. Büchern, P. III. p. 13. ſq.* De PETRI SKOCZYNSKI ſcripto, Polonice, *Poſnae a. 1748. in f.* excuſo, vid. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1748. *p.* 379. Integram nunc huius Academiae hiſtoriam iam ab aliquot annis meditatur CLEMENS STANISL. KOSTKA HERKA, exemplo incitatus aliorum; qui conatus laudabilis opto, vt procedat ex ſententia. Interim conſulenda, quae de Cracouienſis Academiae fatis paſſim immiſcuit *l. c.* IANOZKIVS.

Hiſtoriae *Duisburgenſis* in Cliuia Academiae Sciagraphiam *Duisburgi anno* 1732 *in* 4. publice propoſuit IOH. HILDEBR. WITHOFIVS. Sed eſt ſaltim carmen elegiacum duarum plagularum, in quo nomina omnium Rectorum et Profeſſorum, ab anno 1655. quo dedicata fuit Academia, vsque ad annum 1732. recenſentur. Vid. *Leipz. gel. Zeit. a.* 1733. *p. 51.* Maiorem ab omnibus rei litterarie ſtudioſis iniiſſet Vir doctus gratiam, ſi poſtea pleniores dare Commen-

mentarios ipſi placuiſſet. Series Profeſſorum, qui in Academia Duisburgenſi vsque ad annum 1735. docuerunt, inſerta eſt etiam GERDESII *Miſcellan. Duisburg. Tomo I. p. 120. ſq.*

Eborenſem Luſitanorum Academiam, cuius ad annum 1514. referuntur origines, optime delineauit FRANC. DE FONSECA in *Eborae glorioſae Parte V.* Opus illud *Romae a.* 1728. *in f.* lucem adſpexit, atque recenſetur in *Memoires de Trevoux, m. Nouembri 1730. art. 8.*

Erfurtenſis Academiae hiſtoria breuiter ac neruoſe deſcripta legitur in GE. CHRIST. PETRI AB HARTENFELS *Programmate iubilaeo, Erfurti a.* 1692. *in f.* publicato, de quo vid. TENTZELII *monatbl. Vnterred. anni* 1692. *p.* 839. *ſq.* Diſſerit Auctor de eiusdem primordiis, progreſſu fatisque cum proſperis, tum aduerſis. Poſtea longe fuſius ex collectis diligenter monumentis hoc argumentum perſequutus eſt IOH. CHRISTOPH. MOTSCHMANNVS in *Erfordia litterata.* Dictum iam abs me alibi, ſcilicet *Tomo II. cap. VII.* §. 13. de Opere inſigni; qua de cauſſa Lectorem beneuolum, ne repetantur eadem, hunc ad locum remitto.

De *Erlangenſi* Academia CASP. IAC. HVTHIVS *Erlangae a.* 1743. *in 4.* edidit *Nachricht von der Einweihung vnd dem gegenwärtigen Zuſtande der Vniuerſitaet Erlangen.* Epiſtola eſt aliquot plagularum, ad amicum exterum exarata, in qua Huthius, cuius nomen ſiglis tantum indicatur, non ineleganter ſuas explere partes ſtuduit. *Anno* ſequenti 1744. *ibidem in f.* emiſſa eſt *Hiſtoria Academiae Fridericianae Erlangenſis, qua, praeter eius originem, Solemnia dedicationis ſacra, euentusque proxime ſequuti, referuntur.* Deben-

Debentur haecce IOH. GVIL. GADENDAM, Iuris tunc et Hiſtoriarum Profeſſoris, calamo.

Ferrarienſis Gymnaſii, ſiue Academiae, Hiſtoriam *Ferrarae a.* 1735. *in 4.* Voluminibus II. exhibuit FERRANTES BORSETTVS, cui operi quum non nemo, qui ſe IACOB. GVARINVM nominauit, *Bononiae a.* 1740. et 1742. *in 4.* oppoſuiſſet *Supplementum et Animaduerſiones*, BORSETTVS *Venet. a.* 1742. *ead. forma* typis curauit imprimendam *aduerſus Supplementum et Animaduerſiones* IAC. GVARINI, *Critici perſonati, in Hiſtoriam almi Ferrarienſis Gymnaſii Defenſionem*. Plura de ſcriptis illis, in Germania rarioribus, mihi quidem haud innotuere. Exſtant eadem in *Catalogo librorum* FRID. OTTON. MENCKENII, *Parte II. p.* 120. et *P. III. p.* 159. et *p.* 160. Cf. etiam *Bibliotb. Kappiana P. II. p.* 244.

Francofurtanae Vniuerſitatis Notitia, cuius prior editio annum praefert 1676. *in 4.* excuſa, longe auctior *Francof. ad Viadr. a.* 1707. *in f.* ſtudio IOH. CHRISTOPH. BECMANNI prodiit. Hoc in Volumine ſatis amplo, quod eſt in ſuo genere perfectiſſimum, plura collecta reperiuntur ad eam Academiam pertinentia. Hiſtoriam certe totam reconcinnare quodammodo coepit, paſſimque notatu digniſſima addidit doctiſſimus Becmannus. Nam et aliqua inſeruit ſubinde, vbi initia, priuilegia, iura ordinemque et Statuta Vniuerſitatis deſcripſerat, et inſuper ſeriem Rectorum, ac in ſingulis, vt vulgo dicunt, Facultatibus Docentium, quantum e monumentis publicis proficere licuit, nec non vitas Profeſſorum variorum pertexuit. Accedunt complures quoque Icones, et ſub finem Auctarium, quod Hiſtoriam Inaugurationis Vniuerſitatis, a primo eius Profeſſore, PVBLIO VIGILANTIO AXVNGIA, iam anno 1507. diuulgatam, comple-

plectitur. Recenſuit hunc libellum TENTZELIVS *l. c. anno* 1694. *p.* 598. *ſq.* Cf. *Acta Erud. Lat. anni* 1709. *p.* 156.

Franequeranae Academiae initia HENR. ANTONIVS, patria Nerdenus, *Franequ. anno* 1613. *in 4.* publicauit. *Seriem* autem *Profeſſorum et Lectorum Academiae Friſicae, cum Faſtis rectoralibus et Syllabo eorum, qui Senatui Academico fuerunt ab actis, vt et Bibliothecariorum,* praetermiſſo nomine ſuo, *ibid. a.* 1745. *in 8. mai.* luci expoſuit EMO LVCIVS VRIEMOET.

De *Giſſenſis* Academiae ortu et incrementis ſermo eſt in IOH. IVSTI WINKELMANNI *Beſchreib. der Fürſtenthümer Heſſen vnd Hersfeld, Parte IV. cap.* 7. *p.* 466. *ſq.* Opus illud viuo Auctore typis impreſſum quidem a. 1697; at *Bremae* demum *a.* 1711. *in f.* commune factum cum aliis eſt. Singularia de eodem leguntur in VOGTII *Catalogo libr. rarior. p. m.* 727. Refutantur tamen eadem in *Act. Erud. Lat. a.* 1758. *p.* 366. vbi et perſpicimus, Partem Operis ſextam *Caſſellis a.* 1754. demum acceſſiſſe prioribus. Conſuli etiam poteſt FRID. BALTH. GRANDHOMME Diſſ. epiſtolica ad Ioh. Melch. Verdries, *qua illuſtris Academiae Giſſenae* fundationem deſcribit. Prodiit Giſſae 1728. *in* 4. Add. IOH. TACKII *Academia Giſſena reſtaurata, i. e. Solemnia, quibus Academia Giſſenſis a.* 1650. *ſplendidiſſime reſtaurata fuit, Giſſae a.* 1652. *in 4.* itemque *Faſciculus Relationum epiſtolicarum, quibus Status Academiae Giſſenſis ſuccincte delineatur, ibid. a.* 1711. *in* 4, quarum Relationum auctor eſt IMMAN. WEBERVS, Ictus olim Giſſenſis. Agitur quoque de Academia Giſſenſi in *der Hiſtorie der Gelehrtheit derer Heſſen a.* 1725. *Trimeſtri II. p.* 145. *ſq.*

Progredior ad *Gottingenſem* Vniuerſitatem. Iam in *Actis Erud. Lat. anni* 1734. *p.* 484. Potentiſſimi

ſimi M. Brit. Regis inſtitutum condendi nouam in terris Brunſuicenſibus Academiam indicauerat IOH. DAN. GRVBERVS. Tum IOH. MATTHIAE GESNERI ſequuta eſt *breuis et vera narratio de ſtatu Academiae Georgiae Auguſtae, quae Gottingae eſt*, edita *anno* 1736. et nunc obuia in celeberrimi Viri *Opuſculis minoribus, Tomo IV. p.* 391. Ibidem *p.* 448. *ſq.* conſpicitur *de Academia Georgia Auguſta, quae Goettingae eſt condita atque dedicata, narratio,* primum diuulgata cum priuilegiis et Caeſareis, et Regiis, aliisque monumentis, hiſtoriam Academiae continentibus, *Gottingae a.* 1738. *in f.*

De ortu Academiae *Groningenſis* paucis differit VBBO EMMIVS in Syntagmate *de agro Friſiae inter Amaſum et Lauicam fluv. deque Vrbe Groninga p.* 257. *ſq. edit. ſec. anno* 1646. *in* 8. exhibitae. Idem ſcriptum praemiſſum *Effigiebus et Vitis Profeſſorum Academiae Groningenſis, Gron.* 1654. *in f.*

Gryphiswaldenſis Vniuerſitatis incunabula Oratione publica oſtendit GE. CHRISTOPH. GEBHARDI *Gryphisw. a.* 1693. *in* 4. Eiusdem huc pertinet Diſp. chronologica, *eod. anno, eademque forma* excuſa, *qua probatur, annum reformatae Academiae Gryphiswaldenſis eſſe verum iubilaeum.* Programma Rectoris *de fatis Academ. Gryphicae ſub Ducibus ſuis et Regibus Sueciae anno* 1737. *in f.* exiit, vti teſtatur HEVMANNVS *Bibl. Academicae p.* 71.

§. III.

Hafnienſis Academiae ortum, progreſſum et incrementa docet CASP. BARTHOLINI Oratio, dicta anno 1619. et 1620. *in* 4. *Hafniae* edita, atque recuſa *Vitemb. a.* 1645. plagulis ſex. Ad calcem ſubiungitur Rectorum ab anno 1479, Academiae natali, Profeſſorum autem ab anno 1539, quo inſtaurata fuit

fuit eadem, Catalogus. ERASMI VINDINGII *Academia Hafnienſis, in Regibus, Conſeruatoribus, Rectoribus et Profeſſoribus ſuis repraeſentata, Hafniae a.* 1665. *in 4.* eſt diuulgata. Niſi ſupereſſet hicce liber, omnia forte denſiſſimis in hoc argumento circumfuſa tenebris forent. Non vbique tamen in Opere tam conſpicuo, et ſane inaeſtimabili, memorantur ſucceſſiones in quouis Ordine Profeſſorum, maxime prioribus Academiae temporibus. Vindingius enim ſollicitus magis fuit de ſerie Rectorum. Ita iudicat ALB. THVRA in *Acad. Hafnienſis infantia p.* 64. Continuare laborem hunc voluit, ſed morte intercedente non potuit, PETR. IOH. RESENIVS, docente id NICOL. PETRO SIBBERN in *Biblioth. hiſtor. Dano-Noruegica, Cap. X. p.* 309. Idem poſtea molitus eſt ANDR. FROELVNDIVS, de quo THVRA ſcribit in Praefat. praefixa *Hiſtoriae litter. Danorum Ideae p.* 10, cum Vindingii Academiam Hafnienſem ſtilo eleganti, et, vt ſoleat, terſiſſimo ad noſtra vsque tempora eſſe ſuppleturum. Neque tamen, poſt annorum quadraginta, ſpatium, laetiorem huius conatus euentum vidimus. SEVERINI LINTRVPII *Hiſtoria Academiae Hafnienſis,* qui labor ſine dubio ſatis facturus erat Lectoribus, periit anno 1702. in triſtiſſimo incendio Bergenſi. *Anno* 1734. *Flensburgi et Altonauiae in* 8. breuem laudati ALB. THVRAE librum accepimus, in quo *Regiae Academiae Hafnienſis infantia et pueritia ſub tenebris Pontificiis* delineatur: Non ſubſequuta eſt autem, cuius quodammodo ſpem fecerat, *eiusdem Academiae, poſt Reformationem per duo ſaecula, adoleſcentia et virilis aetas.* Add. HANS DE HOFMAN *Samlinger af publique og private Stiftelſer,* caet. *Hafniae* 1755. *in Collect. I. p. 1. ad p.* 247. Quae de eadem Academia LVDOV. HOLBERGIVS congeſſit, ea ſunt obuia in eiusdem *Hiſtoria regni Danici, Cap. V. p.* 174. *ſq.* edit.

edit. Germanicae, a FRID, GERH. VOSSIO *Hafniae a. 1731. in 4.* adornatae. Cf. etiam BVSCHINGII *Nachr. von dem Zuſtande der Wiſſenſchaften in den Däniſchen Reichen, Vol, I. p. 99. ſq.*

Halenſis in Ducatu Magdeburgico Academiae Hiſtoriam inde ab anno 1531, quo iam de ea conſtituenda cogitabat Albertus, Magdeburgenſis primum, mox Moguntinus Praeſul et Cardinalis, vsque ad annum 1694. ſuppeditat IOH. PETR. A LVDEWIG in *Praefatione* ſatis ampla, et complura ſingularia atque arcana offerente, qua ornauit Tomum II. *der rechtlichen Gutachten der Hälliſchen Rechtsgelehrten, anno 1734. in f.* editum. Quoniam autem minus vere aliqua retuliſſe, aliqua etiam de Thomaſio, Strykio atque Ioh. Gvil. Baiero inuidioſe videbatur dixiſſe IOH. DAV. KOELERO, Hiſtorico Gottingenſi, acriter notatus eſt ab eodem in *den hiſtor. Müntzbeluſtig. anni 1735.* ſeu *Volumine VII. p. 170. ſq.* Prudens interim et aequus Lector ſcripto hoc Ludewigiano vti poterit non ſine fructu. *Inauguratio Academiae Fridericianae, Calendis Iuliis 1694. dedicatae,* a CHRISTOPH. CELLARIO litteris conſignata prodiit *Halae M. a. 1698. in f.* Qui quidem liber *p. 8.* vsque ad *p. 14.* initia et progreſſus Academiae nouae exponit, ſed deſiderantur ſingularia, quorum forte pars maxima ignota fuerat Editori. Aperire haec Reipublicae litterariae olim conſtituit CHR. THOMASIVS in *dem ausführlichen Bericht von dem Anfang vnd Fortgang der Hälliſchen Vniuerſitaet, bis zur völligen Stifftung vnd Introducirung derſelben,* hancque relationem, in qua de rebus etiam ad ipſum pertinentibus agere voluit, exſpectare iuſſit in *den Gedancken über philoſophiſche vnd iuriſtiſche Haendel, Parte II. p. 72.* et *p. 117.* At mors, quae aliquot annis poſt accidit Viro celeberrimo, interrupit conatum. Varia tamen Volumina manu exarata, hiſtoriam Aca-

demiae Halenſis illuſtrantia, ex Bibliothecis Thomaſiana et Ludewigiana tranſierunt in Chriſtiam, cuius videatur *Catalogus P. II. p. 822.* Quinam ſit nunc eorum poſſeſſor, mihi haud innotuit. Ante decennium, et quod excedit, ſcilicet *a.* 1750. IOH. CHRISTOPH. A DREYHAVPT Tomus II. *der Beſchreibung des Saal-Creyſes in f.* lucem adſpexit, vbi tertius liber de Academia Fridericiana Capitibus ſex ac triginta multum bonae frugis complectitur. Praecipua in compendio exhibet Anonymi (qui eſt CASP. GOTTSCHLING, vt indicatur in *den Iubelzeugniſſen einiger Buchdrucker zu Halle, wegen der erfundenen Buchdruckerkunſt, p. 19. nota n.*) *Kurtze Nachricht von der Stadt Halle, vnd abſonderlich von der Vniuerſitaet daſelbſt, Halae M. anno 1709. in 8.*

Harderouicenſis Academiae inauguratio, leges et ſtatuta *Harderouici a. 1727. in 4.* plagulis quatuor excuſa fuere. In IOH. SCHRASSERT *Harderouico antiquo, ibid. a. 1730. in 4.* lingua Belgica edito, *P. I. cap. 20. p. 94. ſq.* deſcribitur adcurate huius Academiae hiſtoria, omnesque eiusdem Profeſſores recenſentur, adiectis de multis eorum memorabilibus, teſte HEVMANNO *Biblioth. Academicae p. 78.* Add. IOH. DE GORTER Oratio *in centeſimum natalem, ſeu annum iubilaeum, Academiae Harderouicenſis, Amſtael. anno 1748. in 4. mai.*

De *Heidelbergenſis* Vniuerſitatis, inter Germanicas primae, fundatione et conſeruatione GE. SOHNIVS, Theol. Profeſſor, Orationem a. 1587. ſolemniter habuit, quae difficilis inuentu recuſa fuit in BYLERI *libellor. rarior. Faſc. I. art. 3.*. Germanice *a. 1615. in 8. Heidelbergae* prodierat eadem, interprete BALTH. PAVMBACHIO. Quae IOH. HENR. HOTTINGERI *Collegio Sapientiae reſtituto, ſiue Orationi ſaeculari de Collegio Sapientiae, quod Heidelbergae eſt, ibid. a. 1656. in 4.* acceſſerunt notae, eae ſimiliter de huius

huius Academiae origine, progreſſu ac priuilegiis notatu digniora continent. Origines eiusdem e Tabulario publico deſcripſit FRID. SPANHEMIVS in *Introd. ad Hiſtor. ſacram, p. 474. ſq. edit. Francof. in 4. annum 1698.* praeferentis. Huc et facit GEORGII FRANCI DE FRANCKENAV Oratio *de ortu et progreſſu Vniuerſitatis antiquiſſimae in Germania, Heidelbergenſis, Heidelb. a. 1687. in 4.* Hiſtoriam Acad. Heidelbergenſis data opera confecit, et ad ſua deduxit tempora DAV. PAREVS: nunquam tamen hic liber adſpexit lucem, neque adfirmare auſim, cum adhuc ſupereſſe. Vid. HEVMANN. *l. c. p. 81.*

Academiae Iuliae *Helmſtadienſis* primordia et incrementa Oratione, anno 1607. recitata, memorauit HENR. MEIBOMIVS. Exſtat haec in Tomo III. *Scriptor. rer. Germanicarum* a nepote collectorum atque diuulgatorum, *p. 215. ſq.* nec non in MEIBOMII, ſenioris, *Opuſculis hiſtoricis variis, Helmſt. 1660. in 4. p. 520. ſq.* De ſola *fundatione Academiae Iuliae* IOACH. HILDEBRANDVS Orationem habuit, quae eſt excuſa *ibid. a. 1658. in 4.* vna cum MEIBOMII Orat. *de fundatione vrbis Helmſtadienſis*, ex ore dicentis excepta, quae tamen prelo tunc non parata plane alia facie producitur in *Tomo III. p. 224.* Operis Meibomiani, cuius antea mentionem inieceram. Hildebrandi Oratio adiecta etiam GE. GODOFR. KEVFFELII *Hiſtoriae Scholarum inter Chriſtianos, Helmſtadii a. 1743. in 8.* Exactis centum annis a condito hoc Muſarum domicilio, *ibidem anno 1678. in f.* emiſſa eſt, ſcriptore anonymo CHRISTOPH. SCHRADERO, *Hiſtoria feſti ſaecularis ſolenniter celebrati Idibus Octobris 1676. ab Academia Iulia.* Quae BYTEMEISTERVS in Comment. hiſtor. *de auguſtae Domus Brunſuigo-Luneb. meritis in rem litter. Helmſt. a. 1730. in 4.* publicato de ortu, progreſſu fatisque Academiae Iuliae tradiderit, ea legenda *Cap. XIV. §. 32.*

ſ.32.ſq. et *Cap. XV. a ſ.1. vsque ad 9.* Noſtra aetate adcuratam eiusdem Hiſtoriam eſt molitus, ac fere abſolutam reliquit IOH. NICOL. FROBESIVS, Mathematum ac Phyſices Profeſſor, cuius nunc ſchedae dignum exſpectant editorem. Cf. Praefatio, *Parti I. Biblioth. Frobeſianae* anno 1759. praefixa.

In illuſtranda Vniuerſitatis *Herbipolitanae* hiſtoria ſtudium ſuum collocauit non nihil IGNAT. GROPPIVS. Euoluantur eius *Scriptores Wirceburgenſes, Tomo I. p.499. ſq.* item *p.52.* vbi Diſſ. exſtat *de Scholis Wirceburgenſibus et Academia aliquoties erecta, et poſt iteratam reſtituta exſtinctionem.* In *Tomo II. p. 184. ſq.* alia eiusdem conſpicitur Diſſertatio *de progreſſu, incremento et celebritate almae Vniuerſitatis Wirceburgenſis ſaeculo XVII.* et *XVIII.* Ortus eius referendus potiſſimum ad annum 1403. mox tamen exoletam denuo inſtaurauit a. 1589. Iulius, Epiſcopus.

Ienenſis Academiae ortum paucis tetigit b. auus, IOH. FRIDERICI, in *Hiſtoria Iohannis Friderici I. Electoris Saxoniae*, praeſidente CASP. SAGITTARIO *Ienae 1678.* publice propoſita, nouiſſimeque *anno 1739. ibidem* recuſa, *ſ. XXIII.* Idem fecit IOH. CHRISTOPH. OLEARIVS in *Synt. rerum Thuringicarum, Frf. et Lipſ. a. 1704. in 4.* Germanice exhibito, *p. 209. ſq.* qua occaſione recitat quoque ſingulorum omnis aetatis Profeſſorum nomina. In *den Ienaiſchen monathlichen Nachrichten anni* 1727. et 1729. quouis menſe occurrit Caput ſingulare, in quo MARTIN. SCHMEIZELIVS ἀνωνύμως veterem huius Vniuerſitatis illuſtrare hiſtoriam conſueuit.

Vniuerſitatis *Ingolſtadienſis* notitia, cum plurium Pontificum Bullis huc ſpectantibus, inuenitur in WIGVLEI HVNDII *Metropoli Salisburgenſi, Tomo II. p. 289. ſq.* edit. ſecundae Ratisbonenſis, *anno 1719.* adornatae. Eidem argumento illuſtrando inſeruit

VA-

VALENT. ROTMARI liber, *Ingolſt. a. 1580. in* 4. publicatus, qui complectitur *Annales Academiae Ingolſtadienſis*, ac praecipue in Parte poſteriori *Rectorum ſeriem, celebriores perſonas, et acta memorabilia.* Subſequutus eſt anno poſt *Almae Ingolſtadienſis Academiae Tomus I.* a ROTMARO inchoatus, et ab ENGERDO abſolutus, hodieque rariſſimus, de quo conferantur dicta *Tomo II.* huius *Bibliothecae cap. VII. §. 14.*

Kilonienſis Academiae inauguratio deſcribitur breuiter in Anonymi *eigentlichen Bericht von den Proceſſionen, ſo bey Inauguration der neuen Holſteiniſchen Academie zu Kiel a.* 1665. *gehalten worden*, qui libellus, *eodem anno in* 4. editus, inſertus quoque fuit TENTZELII *monathlichen Vnterred. a. 1694. p.* 956. Copioſior eſt ALEX. IVLII TORQVATI *Academiae in Cimbrica Cherſoneſo a Friderico, Duce Hoſatiae, meditatae, et a Chriſt. Alberto, filio eius, Kiloniae fundatae, Inaugurationis panegyrica deſcriptio.* Prodiit *Kilon. a.* 1666. *in f.* aeneis figuris decorata. Recenſetur Opus a MOLLERO *Iſag. in Hiſtor. Cherſoneſi Cimbricae Parte III. p. 372. ſq.*

Progredior ad *Lipſienſem* Academiam, cuius beneficia, in me olim effuſa, gratiſſima ſemper mente recolam. De origine illius, incrementis atque fortuna ſolemnem Orationem habuit IOH. FRIDERICHVS, excuſam *Lipſ. a.* 1610. *in* 4. adiectamque cum PEIFERI *Lipſiae, Martisb. a.* 1689. *in* 8. tum HIERON. DICELII *Academiae Lipſienſi rediuiuae, Lipſ.* 1709. *ead. forma.* In laudati Peiferi Volumine, quod paucis recenſetur in *Actis Erud. Lat. anni 1689. p.* 121. libro III, *Lipſia religioſa* inſcripto, *§. XI. ſq.* de Academiae origine, ſtatu, iuribus, collegiis et legibus itidem ſermo eſt auctori. Fridericum bellicoſum, Academiae fundatorem, hiſtorica Diſſertatione deſcripſit *Halae M. a.* 1709. *in* 4. CHRIST.

 HVB-

HVBNERVS: ac *de Ioh. Hoffmanno, primo Acad. Lipſ. auctore et Profeſſore*, Schediaſma extat IOH. GOTTL. HOFFMANNI, euulgatum *Lipſ. a.* 1710. *in* 4. Anonymi *kurtze Nachricht von der Stadt Leipzig, vnd abſonderlich von der Vniuerſitaet daſelbſt*, *Halae* lucem adſpexit *anno* 1709. *in* 8. De pleniore Academiae Lipſienſis Hiſtoria, olim abs me promiſſa, nunc autem, commutata rerum mearum facie, non exſpectanda, alio iam loco me verborum non nihil facere memini.

Louanienſis Academia ſcriptorem nacta eſt eruditiſſimum, IVSTVM LIPSIVM, in *Louanio* ſuo, *id eſt oppidi et Academiae eius deſcriptione*. Liber hic *Antwerp. anno* 1605. *in* 4. *mai.* primum typis impreſſus, deinde *Operibus* LIPSII, et horum quidem *Tomo III.* inſertus eſt. Poſtea NIC. VERNVLAEVS *Louanii anno* 1627. *in* 4. ſuis exire paſſus eſt ſcriniis *de Academia Louanienſi libros tres, in quibus eius origo, incrementum, forma, magiſtratus, Facultates, priuilegia, ſcholae, collegia, viri illuſtres, res geſtae, deſcribuntur.* Huc tandem pertinent etiam VALERII ANDREAE *Faſti academici Studii generalis Louanienſis, i. e. origo et inſtitutio, Rectores, Cancellarius, Conſeruatores, Doctores et Profeſſores, Fundatores et Benefactores, resque aliquot memorabiles eiusdem Vniuerſitatis.* Prior editio *Louanii a.* 1635. altera, eademque auctior, *ibidem a.* 1650. *in* 4. fuit producta. Repete hic, ſi placet, quae iam *Tomo II. Cap. VII.* §. 21. *p.* 1240. memoraui. Initio ſtatim libri rationem reddit Auctor, cur poſt Vernulaei induſtriam hunc ſibi excolendum agrum ſumſerit.

De ortu *Lugdunenſis* in Belgio foederato Academiae, inter arma anno 1575. inauguratae, eleganter diſſerit PETR. CVNAEVS in *prima Orationum* ſua-

ſuarum, quae ſaepius ſub prelum ſunt reuocatae. Adiungenda huic omnino FRANC. FABRICII Oratio *in natalem 150. ſiue annum iubilaeum tertium Academiae Batauae, quae eſt Lugduni Bat.* habita publica auctoritate atque edita *L. B. a. 1725. in f. et 4. mai.* Hac enim Oratione, lectu dignis ornata adnotationibus, hiſtoria et conditio Academiae illuſtris concinne exponitur. Recenſionem HEVMANNI videbis in *Act. Erud. Supplementis, Tomo IX. p. 129. ſq.*

Lugdunenſis in Gallia deſcriptionem, hodie admodum rarum, ſermone patrio excudit LAZARVS MEYSSONIER. Liber eius *Lugduni a.* 1644. *in* 4. hoc prodiit titulo: *Hiſtoire de l'Vniuerſité de Lyon et du College de Medecine, faiſant une partie d'icelle, avec les priuileges des Profeſſeurs et Docteurs, qui y ſont aggregez.* Non eſt ad manus DE COLONIA *Hiſtoire litteraire de la ville de Lion*, Opus *Lugduni anno* 1728. et 1730. *in* 4. *mai.* Voluminibus II. editum. Neque dubito tamen, quin de hac etiam Academia multa exteris incognita dixerit Vir doctus.

Ad *Lundenſem* Academiam facit PETRI WINSTRVPII Oratio ſynodica *de Academiis in genere, et praecipue de noua Gothorum Academia Carolina ac Londinenſi in Ducatu Scaniae, Londini Scanorum a. 1668. in* 4. Sed ante quatuor, et quod excedit, luſtra nobiliorem accepimus laborem, ſcilicet IOH. IAC. VON DOEBELN *Hiſtoriam Regiae Academiae Lundenſis, a prima eius aetate ad finem anni 1738.* Exiit *ibidem a.* 1740. *in* 4, ſucceſſeruntque *annis* 1741. et 1742. *duae Continuationes.* Legi quoque, SOMMELIVM *Hypomnemata in hanc Hiſtoriam* Diſputationibus III. *ibidem* propoſuiſſe.

Marburgenſis Vniuerſitatis hiſtoriam apte ſcripſit IOH. HERM. SCHMINCKIVS in Diſſ. *de origine et fatis Academiae Marburgenſis, Marb. a.* 1717. 4. Paucis itidem de hoc argumento actum in *der kurtzen Hiſtorie der vormahligen vnd gegenwärtigen Gelehrtheit derer Heſſen, Trimeſtri I. anno* 1725. *in 8.* edito, *p.* 7. *ſq.* item in *den Marburg. Beyträgen zur Gelehrſamkeit, P. I. p.* 1. *ſq.* Add. WINKELMANNI *Beſchreib. der Fürſtenthümer Heſſen vnd Hersfeld, Parte IV. cap.* 7. *p.* 440. *ſq.* Quae *anno* 1738. *in f. Darmſtadii* edita fuit *Documentirte Geſchichts-Erzählung, vnd daraus flieſſende rechtliche Demonſtration, daſs die vom Landgrafen Philippo Magnanimo, fundirte Vniuerſitaet zu Marburg 1650. gäntzlich aufgehoben, dahergegen von dem Fürſtl. Hauſe Heſſen-Caſſel 1653. die ietzige neue Vniuerſitaet daſelbſt einſeitig aufgerichtet worden,* ea controuerſiam complectitur, inter Domum Caſſellanam atque Darmſtadienſem coortam, de qua inſpiciatur *Actorum Hanouienſium Tomus II. Marb. anno* 1739. *in f.* excuſus, *p.* 255. *ſq.* Eodem *anno* 1738. *Marburgi* IOH. ADOLPH. HARTMANNVS Diſſ. publice defendit, *qua Academia praeſens Marburgenſis eadem cum anno* 1527. *inſtituta oſtenditur.* Subſequuta tum *anno* 1741. eiusdem Exercitatio philoſophica, *qua Academiae laudandae natura oſtenditur, eaque Academiae Marburgenſi applicatur.* Praemiſſis generatim atque vniuerſe dicendis, *ſ. XXXVI. p.* 29. *ſq.* ad Academiam ſe vertit Marburgenſem, eamque modis omnibus commendare ſtudet. At, quantum ego quidem iudicare poſſum, meliorem haec ipſa merebatur praeconem.

Moguntinam Academiam *Rerum Moguntinarum libro I. cap.* 34. non praeteriit NICOL. SERARIVS. Nouiſſime Opus hoc excuſum eſt in GE. CHRIST. IOANNIS *Tomo I. Scriptor. rerum Moguntiacarum, Frf.*

Frſ. a. 1722. *in f.* Pollicetur *ibidem p.* 109. Editor, ſingulari ſe Diſſertatione fuſius eſſe acturum de Academia Moguntina, eiusque Rectoribus: qui tamen conatus ad exitum non eſt perductus, detrimento certe Hiſtoriae litterariae. Vt enim HEVMANNVS *Bibl. Academ. p.* 119. rectiſſime ſtatuit, nemo hoc homine melius exſequi poterat id conſilium. Deſtinauerat hocce ſcriptum Ioannis *Tomo IV. Script. rer. Mogunt.* iamque in Praef. *Tomi I. p.* 19. ſequentem ei titulum dederat: *De Academiae Moguntinae natalibus, priuilegiis, fatis, ſtatu, Commentariolus, adiecto Rectorum illius Catalogo, e variis documentis, litterisque conſcripto.*

Monſpelienſis Vniuerſitatis delineatio breuis exſtat in IOH. STEPH. STROBELBERGERI *Hiſtoria Monſpelienſi, Norimb. a.* 1625. *in* 12. Sed maioris eſt haud dubie momenti CAROLI DE GREFEVILLE *Abregé hiſtorique de l'Uniuerſité de Montpellier et de ſes Colleges*, *in* eiusdem *Hiſtoire eccleſiaſtique de la ville de Montpellier, p.* 339. *ſq.* Prodiit hic liber, teſtante *Catalogo Biblioth. Bunav. Tomo I. Vol. I. p.* 964, *Monſpelii anno* 1739. *in f.*

In componendis de *Oxonienſi* Academia Commentariis praecipue induſtriam ſuam probauit ANTON. A WOOD. Euulgauit is quippe *Oxonii a.* 1668. *in* 4. *Hiſtoriam et Antiquitates Vniuerſitatis Oxonienſis*, quod Opus repetitum *ibidem a.* 1674. *in f.* II. Voluminibus, et quidem locupletius, at inuito Auctore. Vid. huius *Bibltothecae Tomus II. cap. VII.* §. 20. Breue ſaltim compendium eſt Anonymi *Notitia Oxonienſis Academiae, Londini a.* 1675. *in* 4.° plagulis quindecim excuſa. Interim ſtatus illius, qualis quidem tunc temporis fuit, luculenter exinde cognoſcitur. Eodem *anno Oxonii in f.* abſoluta eſt *Oxonia illuſtrata*: *ſiue omnium celeberrimae iſtius Vniuerſitatis Col-*

legiorum Aularum, Bibliothecae Bodleïanae, Scholarum publicarum, Theatri Scheldoniani, nec non totius Vrbis, Scenographia. Delineauit et ſculpſit, DAVID LOGGAN, Academiae Chalcographus, figuras aeneas quadraginta, ex quibus totum conſtat Volumen. Singulis earum ſubiecta eſt contracta explicatio hiſtorica. In *Catalogo Bibl. Bunau. l. c. p. 973.* profertur etiam IOHN AYLIFFE's *ancient and preſent State of the Vniuerſity of Oxford* caet. *Londini a.* 1723. *in 8.* Vol. II. item SALMON *the preſent State of the Vniuerſities and of the five adiacent Counties of Cambridge, Huntington, Bedford, Bückingham and Oxford, ibid. a.* 1744. *in 8. mai.* Sed cuius hi libri farinae ſint, mihi quidem ignotum. Nouiſſime *ibidem a.* 1751. *in 8.* accepimus *Oxonienſem Academiam: or the Antiquities and Curioſities of the Vniuerſity of Oxford, by* IOHN POINTER, caet. de quo libello vid. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1752. *p.* 73. Aliud Volumen, hoc titulo inſignitum: *Terrae-filius: Or the ſecret, Hiſtory of the Vniuerſity of Oxford,* ſatyra eſt, qua auctor anonymus naeuos Oxonienſis Academiae indicat, et quorundam in ea Profeſſorum ignauiam faſtumque perſtringit. Altera Operis editio *ibidem a.* 1726. *in 8.* Volum. II. eſt abſoluta. Vid. de ea IOH. BVRCHARDI MENCKENII Progr. *de vetuſtiſſimo et apud omnium aetatum gentes recepto ſatyrarum vſu,* in *Diſſert.* eius *litter. p.* 261. *ſq.*

§. IV.

Inter Scriptores de *Pariſienſi* Vniuerſitate primo memorari loco debet IAC. DU BREVL, Monachi Benedictini, *Theatre des Antiquitez de Paris,* cuius Operis eximii tres notae ſunt editiones, Prior annum 1612. altera *a.* 1639. praefert. Vtraque *Pariſiis in 4.* prelo exiit. Tertia *ibidem a.* 1640. *in f.* parata cum Supplementis CLAVDII MALINGRE.

Prae-

Praeſtantiſſima tamen creditur prima. In ſingulis liber ſecundus Academiae hiſtoriam continet. Plura hoc de libro differit HEVMANNVS *l. c. p.* 148. Poſt Breulium omnium ſuperauit induſtriam CAES. EGASSIVS BVLAEVS in *Hiſtoria Vniuerſitatis Pariſienſis*, Tomis VI. *in f*, ab *anno* 1665. vsque ad *a.* 1673. *ibidem* euulgata. Doctus Auctor orditur tractationem a Caroli M. aeuo: neque vero vltra ſaeculum XVI. progreſſus eſt. Raritatem Operis notatu digniſſimi, at ſtilo iuſto copioſiore, parumque iucundo, exarati, alia occaſione iam indicaui, ſcilicet *Tomo II. cap.* 7. *§.* 18. Epitome Bulaeanorum Voluminum dici quodammodo poteſt IOH. BAPT. LVDOV. CREVIER *Hiſtoire de l'Uniuerſité de Paris, depuis ſon origine, jusqu'en l'année* 1600. Tomi ſunt VII. *in* 12. *mai. Pariſiis anno* 1761. editi. Recentiorem Vniuerſitatis Pariſienſis faciem delinearunt, pro inſtituti ratione, NEMEITZIVS in *Sejour de Paris, Cap.XXV. §.* 3. *p.* 263. *ſq. edit. nouiſſ.* et illuſtris BVDERVS in *dem neueſten gelehrten Staat von Paris, Sect. IV. p.* 116.

De *Patauina* Academia varii, quamquam impari ſucceſſu, ſcripſere. Ieiunus admodum eſt, etſi nitido ſit ſtilo ſatisque Latino vſus, ANTON. RICCOBONI in *Commentariorum de Gymnaſio Patauino libris ſex*, *Patauii a.* 1598. *in* 4. editis, recuſisque in *Theſ. Burmanniano Antiquit. et Hiſtor. Italiae, Tomo VI. Parte* 4. Sequutum eſt *Vtini a.* 1654. *in* 4. IAC. PHIL. TOMASINI *Gymnaſium Patauinum*, libris V. comprehenſum, vbi de Academiae origine, incremento, decremento, confirmatione, aedificiis, priuilegiis Studioſorum, Profeſſoribus, Cathedris, Collegiis, caeterisque, ad veram totius Academiae rationem pertinentibus, agitur. Iudice tamen NICOL. COMNENO PAPADOPOLO in Praefat. Operis moxnominandi, tradit Tomaſinus fuſiora quidem, at in-

certa,

certa, gratis propoſita, obſoleta, obſcura planeque perturbata, et ita rebus alienis immiſta, vt Patauinam potius, quam ſcholaſticam chronologiam contexere videatur. Laudati PAPADOPOLI *Hiſtoria Gymnaſii Patauini, poſt ea, quae hactenus de illa ſcripta ſunt, ad haec noſtra tempora plenius et emendatius deducta*, Tomis II. *in f. anno* 1726. *Venetiis* lucem adſpexit, noſtrisque in oris difficulter poteſt acquiri. Vid. *Acta Erud. Lat. anni* 1727. *p.* 49. *ſq.* quo et loco adſeritur, Auctorem hoc in negotio ita eſſe verſatum vt a Riccobono atque Tomaſino recte, clare atque vtiliter poſita, et apud ipſos facile legenda, omiſerit, ſecus vero tradita emendauerit, neglecta ſuppleuerit, confuſa iuſtum in ordinem retulerit, et vniuerſam Gymnaſii hiſtoriam ad annum vsque 1724. apte deduxerit. Nouiſſimum ſunt Opus, quod priora longe poſt ſe relinquit, *Faſti Gymnaſii Patauini*, IAC. FACCIOLATI *ſtudio atque opera collecti, Patauii a.* 1757. *in* 4. Tomis II. Auctor elegantiſſimus ab anno 1260. orditur hiſtoriam, eandemque cum anno huius ſaeculi ſexto et quinquageſimo finit. Cf. *Acta Erud. Lat. a.* 1758. *p.* 272. *ſq.*

In hiſtoriam Vniuerſitatis *Piſanae* non vulgaria exſtant merita STEPH. MARIAE FABRVCCI. Is quippe conſcripſit Diſſert. hiſtorico-criticam, *qua certius, quam antea, Piſanae Vniuerſitatis initium conſtituitur*, refertque id Auctor ad annum 1339; Excurſionem hiſtoricam *per ſubſequens vicennium, ab eo primum tempore, quo certior Piſanae Vniuerſitatis epocha conſtituta fuit, exhibentem duo potiſſimum capita, 1.) de prima dote Piſani publici Gymnaſii, eiusdemque priuilegiis, 2.) de primis conductionibus memoratu dignioribus; De nonnullis, quae conſtitutae recens Piſanae Vniuerſitati ſiniſtra contigerunt vel incom-*

commoda ; de fato Piſanae Vniuerſitatis decurrente ſaeculo XV. deque Viris eruditione praeſtantioribus, qui in ea profitendo, ſtudendo caet. floruerunt. Quae lucubrationes primum inſertae fuerant CALOGIERAE *Raccolta d'Opuſcoli ſcientifici e filologici Tomo XXI. Tomo XXIII. Tomo XXV.* ac *Tomo XXIX*: poſtea vero, in vnum redactae faſciculum, *Florentiae a.* 1739. *in 12. mai.* prodierunt, hoc quidem titulo: *Piſanae Academiae prima aetas, quatuor Diſſertationibus illuſtrata.* Subſequutae ſunt in laudati CALOGIERAE Sylloges *Tomo XXXIV.* et *XXXVII.* bina eiusdem Opuſcula, quorum prius, *a.* 1743. ſeparatim productum, inſcribitur *Collectio praecipuorum monumentorum, quae rei Piſanae Academicae augmentum ſpectant, ab anno eius reparationis 1472. in aliquot ſequentes, adiecta compendiaria recenſione, ex ordine V. principum Profeſſorum, qui a primo ſtatim anno Theologorum atque Canoniſtarum Sellas occuparunt:* alterum autem eſt *Recenſio notabilium conductionum in Iure Caeſareo, Philoſophia, Medicina, aliisque bonis Artibus, quae renouato Piſano Gymnaſio coaeuae repèriuntur.*

Regiomontanae Academiae fata quodammodo expoſuit CHRISTOPH. HARTKNOCHIVS in Diſſ. ſingulari, earumque quarta ac decima, quas PETRI DVISBVRGI *Chronico Pruſſiae anno* 1679. ſubiecit. Sed maiora hac noſtra aetate praeſtita ſunt in hoc argumento induſtria DAN. HENR. ARNOLDI, qui poſtquam *Tomo IV. des Erleuterten Preuſſens* varia Schediaſmata, hiſtoriam huius Vniuerſitatis atque deſcriptionem continentia, inſeruerat, tandem integrum Opus, idque non inuita Minerua confectum, *Regiom. a.* 1746. *in* 8. *mai.* exire iuſſit Partibus II. En! titulum eius: *Ausführliche, vnd mit Vrkunden ver-*

verſehene Hiſtorie der Königsbergiſchen Vniuerſitaet. Recenſui id ipſum in *Supplem. ad Noua Acta Erudit. Tomo VIII. p. 525. ſq.* Succeſſerunt *ibidem a.* 1756. laudati Auctoris Supplementa, de quibus vid. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1756. *p. 883.* Quae *Regiomonti anno* 1744. edita fuit REINOLDI FRID. A SAHME *de priuilegiis et immunitatibus Academiae Regiomontanae* Diſſertatio, eius ſumma capita memorantur a IENICHENIO *in den allerneueſten Nachr. von iuriſt. Büchern, Vol. V. p.* 517. *ſq.*

Rinteliensis Haſſo-Schaumburgicae Academiae hiſtoria variorum eſt ſtudio exculta. Initia eius praebuit Schola Stadthagenſis, quae a Principe, Erneſto, mutata fuit in Gymnaſium Academicum, ita quidem, vt ipſius Rectori Magnifici elogium tribueretur. Poſtea Gymnaſium hoc excreuit in Academiam plenam, quae breui interiecto temporis ſpatio, Rintelium eſt translata. Factum hoc anno 1621. vti fuſius oſtenditur ab EBERH. DAV. HAVBERO in *Primitiis Schauenburgicis, Guelpherb. a.* 1728. *in* 8. excuſis, *p. 233. ſq.* vbi occurrit *Hiſtoria Scholae Academicae Stadthagenſis, quae poſtea Rintelium translata pleniorem Academiae formam accepit.* Praeter Hauberi obſeruata conſuli poteſt HENR. ERN. KESTNERI *Rintelium creſcens et decreſcens, Rintel. a.* 1703. *in* 4. Eſt Oratio publice recitata, in qua omnis Academiae huius hiſtoria delineatur. Plura de ſcripto hoc diſſeruit TENTZELIVS in *der curieuſen Biblioth. Repoſitorio I. p. 625. ſq.* Sic etiam de ortu et incrementis Vniuerſitatis Rintelienſis agitur cum a WINKELMANNO in *der Beſchreib. der Fürſtenthümer Heſſen, vnd Hersfeld, Parte IV. cap. 7. p. 461. ſq.* tum in *der Hiſtorie der Gelehrtheit derer Heſſen, Trimeſtri III. anno 1725.* publicato, *p. 285. ſq.* Addantur

tur his *Hiſtoria et Monumenta primi feſti ſaecularis, quod Iubilaeum vocant, quo Academia Haſſiaco-Schauenburgica, quae Rintelii ad Viſurgim eſt, memoriam inaugurationis d. 17. et 18. Iulii 1721. celebrauit.* Hiſtoriam ſtilo Latino et Germanico expreſſit, Profeſſorum ſeriem recenſuit et non nulla publice dixit Editor, FRID. GVIL. BIERLINGIVS. Prodiit Opus hocce *Rintelii anno* 1721. *in f.* Ad Tabulas vero immunitatum Academicarum, quas a Friderico V. Comite Palatino Rheni, tumque S. R. I. Vicario, laudatus Erneſtus, Princeps Schaumburgicus, obtinuerat, erudita exſtat FRID. GVIL. PESTELII, V. C. Commentatio, *Rintelii a.* 1752. *in* 8. excuſa.

De *Roſtochienſis* Academiae fatis, Collegiis ac Domibus, de Magiſtratu Academico, de Rectoribus quibusdam et Profeſſoribus ad ſuam vsque aetatem praecipua congeſſit PETR. LINDENBERGIVS in libro V. eiusque cap. 8. et ſequentibus *Chronici Roſtochienſis, Roſtochii a.* 1596. *in* 4. diuulgati, quum paullo ante Auctor vitam cum morte commutaſſet. LVCAE BACMEISTERI *de Schola et Academia Roſtochienſi* Obſeruatio in WESTPHALII *Specimine Document. inedit. Mecklenburg. p.* 178. *ſq.* locum inuenit, qui Vir poſtea illuſtriſſimus haec ſtatim adiecit: *cuius* (Obſeruationis) *plenum Commentarium inſignis hiſtoriae Academicae arduis momentis refertiſſimum, dicas neceſſe eſt Reſponſum I. Cothmannianum in libro ſingulari Reſponſorum Iuris, Adde Reſp. XXX. et Reſp. XXXIX. ibidem.* In MART. BRASCHII Orat. *ad Vlricum, Ducem Megapolitanum, Viſitationem Academiae Roſtochienſis inſtituentem*, quae *Roſtochii a. 1599. in 4.* typis eſt impreſſa, luculenter et concinne deſcribi origines ac viciſſitudines Roſtochienſis Academiae, ex SCHVLZII *Vita* CHYTRAEI *libro III. p. 427.* docet.

docet HEVMANN. *Bibl. Academ. p.* 178. Huic ipſi Vitae Chytraei, qui tota altera ſaeculi XVI. dimidio praecipuum fuit Muſarum Roſtochienſium decus, ſingulis annis conditionem Academiae expoſitam acceſſiſſe, teſtatur laudatus Heumannus. DAV. HENR. KOEPKENII Progr. *de initiis Academiae Roſtochienſis, Roſtoch. a.* 1704. *in* 4. lucem adſpexit: Schediaſma vero hiſtoricum IOH. HENR. A SEELEN *de Academia Roſtochienſi, apud Lubecenſes anno* 1487. *ſq. commorata,* quod *Lubecae anno* 1732. *in* 4. prelo exierat, deinde *Miſcellaneis* eius *Vol. I. p.* 214. inſertum fuit. Pertinet huc porro BVRGMANNI, Theologi, et MANTZELII, Icti, *Etwas von gelehrten Roſtockiſchen Sachen für gute Freunde.* Octo ſunt Volumina *in* 8. ab *a.* 1737. vsque ad *annum* 1744. *Roſtochii* exhibita, et in iis hiſtoria Academiae cum antiqua, tum recentior, paſſim ſolet memorari. Annos 1743. et 1744, plagularum nnmero caeteris minores, *weitere Nachrichten von gelehrten Roſtockiſchen Sachen für gute Freunde* Auctores inſcripſere. Quid in Ictorum Ordine geſtum ſit, ſpeciatim indicat *die Geſchichte der Iuriſten-Facultaet in der Vniuerſitaet zu Roſtock* Vnica Pars, cum Continuatione prima, *ibidem a.* 1745. *in* 8. prodiit, eamque *anno* 1746. excepit Pars itidem vnica. Poſt, quantum ſciam, conquieuit, qui verus eſt auctor, MANTZELIVS. Ampliſſimum reliquerat Opus SEBAST. BACKMEISTERVS, *Antiquitates Roſtochienſes* nominatum, in quo ſimul de Academiae conditoribus, ampliatoribus, conſeruatoribus, priuilegiis, mutationibus, reſtauratione, dote, legibus, ſtatuque ab anno 1419. vsque ad a. 1700. egerat. Iamque in *Nouis litter. Maris Balth. a.* 1700. *p.* 347. *ſq.* iterumque *a.* 1701. *p.* 215. *ſq.* de inſtituto vniuerſo certiores fecit eruditos, eorumque ſuppetias, cumprimis in biographiis Profeſſorum quorundam cum ipſo communicandis, optauit.

uit. Sed eius poſt obitum diuerſa habuit fata labor hic manu exaratus. Tandem vero in ſupellectilem peruenit librariam ERNESTI IOACH. DE WESTPHALEN, cuius beneficio eundem accepimus editum *Monument. rer. German. Tomo III. p.* 781. *ſq.* vna cum *Megapoleos litteratae*, ſeu Hiſtoriae litterariae, ſpeciatim Roſtochienſis, *Prodromo* et *libris binis*, vbi de Rectoribus Academiae, eiusdemque Ictis et Medicis ſermo eſt. Reliqua, quae deſunt, vel nondum ab Auctore fuerant abſoluta, vel penitus interciderunt. Interim nec infitiari licet, edita nunc variis adhuc laborare naeuis. Nihilo tamen minuspalmam aliis ſcriptis, quae de Academia Roſtochienſi exſtant, praeripiunt, poſſuntque haec inſignem in modum ſuppleri exinde atque emendari. Vid. WESTPHALII Praefatio, *Tomo cit.* praefixa *p. 140.*

Salisburgenſis Vniuerſitatis, anno 1617. conditae, hiſtoriam ſtudio debemus Anonymi Monachi Benedictini, quem IOSEPHVM PORTAM eſſe, alibi obſeruaui. Initium rei poſuerat ROMAN. SEDELMAYR, quo mortuo Porta Collectanea eius nactus eſt, quae redegit in ordinem, atque mirifice adauxit. Opus *Francof. et Lipſ. anno* 1728. *in* 4. comparuit, tres diuiſum in libros, quorum primo, annalium methodo, deſcribitur ortus, fundatio, progreſſio illuſtris huius Scholae; altero Praeſides eius, Adſiſtentes, Rectores, Procancellarii ac Profeſſores recenſentur; tertio harum Muſarum alumni nobiliores occurrunt. Vid. *Acta Erud. anni* 1730. *p.* 94. *ſq.*

Hiſtoriam et Vindicias Gymnaſii, ſeu Academiae, *Ticinenſis* a ſaeculo V. ad finem ſaeculi XV. *Mediolani anno* 1704. *in* 8. *mai.* edidit ANT. GATTVS. Recuſus deinde liber in *Theſ. Antiq. et Hiſtor. Italiae, Tomo IV. Vol.* 2. Coniicit Auctor, Scholas

Papienſes floruiſſe iam ſub Boethio, qui anno Chriſti 526. a Theodorico morte fuit damnatus, eas autem in publicam Academiam demum Caroli M. aetate, cum priuilegio eiusdem et Ludouici Pii, coaluiſſe, atque hos, qui ortum Academiae ad ſaeculum demum XIV. referunt, confutare conatur; eam a Carolo IV. non inſtitutam, ſed reſtauratam ſaltim fuiſſe, ex ipſo Caeſareo diplomate, Capite ſexto ac decimo adlato, demonſtrans. Verum, HEVMANNVS in *Conſp. Reip. litt. Cap. IV. ſ. 44. nota (l) p. m. 137.* facile adparere, dicit, Gattum hac re panegyricos magis ſcriptores imitari, quam hiſtoricos. Cf. *Acta Erud. Lat. a.* 1705. *p.* 594. *ſq.* Altera, quam promiſerat Auctor, Hiſtoriae huius Pars, deſcriptioni hominum illuſtrium in Vniuerſitate Ticinenſi dicata, lucem nunquam adſpexit.

Neque defuit, qui *Treuirenſis* Vniuerſitatis acta litteris mandaret. Habemus enim IAC. MEELBAVM *Syluam Academicam, ſiue de antiquitate vrbis et Academiae Treuirenſis diſcurſum*, excuſum *Treuiris anno* 1657. *in* 8. Duo ſimul egit Auctor, ſcilicet partim, vt antiqua vrbis Treuirorum decora explicaret: partim, vt continuata ibidem litterarum ſtudia, inde a Romanis ad ſuum vsque aeuum, fuiſſe diligenter, doceret porbaretque. Vniuerſum Opus conſtat ex Capitibus XXXI. Sed Romanorum potius tempora, quam aeuum medium, ante oculos habuiſſe Meelbaumium, profitetur IOH. NICOL. AB HONTHEIM *Hiſt. Treuirenſis diplomat. Tomo III. p. 1016.* Plura igitur de hoc argumento hauriri queunt ex reuerendiſſimi Viri adducto Opere. Memorat quippe *Tom. II. p.* 326. auctoritate Nicolai V. Pontif. Maximi iam anno 1454. erectum in vrbe Treuirorum fuiſſe *Studium generale perpetuum tam in Theologia et Jure Canonico et Ciuili, quam in quauis alia licita Facultate, cum omnibus iuribus,*

iuribus, priuilegiis, et libertatibus, quae aliis celebriorum ſtudiorum Vniuerſitatibus concedi ſolent. Varia deinde ad Academiae hiſtoriam pertinentia congeſſit *p.* 544. *ſq. p.* 568. *p.* 580. *p.* 651. nec non *Tomo III. p.* 207. *p.* 257. et *p.* 923. *ſq.* ex quibus, et aliis, paſſim occurrentibus, effici poſſet non contemnenda huius Vniuerſitatis deſcriptio.

Tubingenſis, anno 1477. auſpiciis Eberhardi, Comitis tunc, poſt Ducis Würtembergici, inſtituta, cognoſcitur non nihil ex MARTINI CRVSII *Annal. Sueuic. Dodecade* ſeu Parte III. *lib.* 8. *cap.* 13. *p.* 449. *ſq.* vbi de ortu Academiae verba facit, et in ſequentibus non ſolum huius libri, ſed eorum etiam, qui excipiunt iſtum, capitibus Academiae fata vsque ad annum 1592. enarrat. Idem in *Paralipomenon* libro, dicto Volumini ſubiuncto, *Cap.* VI. *p.* 21. et *Cap.* XXVIII. *p.* 125. *ſq.* de hoc Muſarum domicilio multa notabilia profert. Talia inueniuntur ſimiliter cum in IOH. VLR. PREGIZERI *Sueuia et Wirtembergia ſacra*; Opere poſtumo, a filio *Tubingae a.* 1716. *in* 4. edito, tum in IOH. IAC. MOSERI *Erläuterten Würtemberg, ibid. a.* 1729. *in* 8. Nouiſſime *ibid. a.* 1743, *ead. forma* prelo exiit, ſed, ſi vera mihi innotuerunt, anno demum 1755. tabernas intrauit librariorum, ANDR. CHRISTOPH. ZELLERI liber Germanice exaratus, atque ſic inſcriptus: *Ausführliche Merckwürdigkeiten der Hochfürſtl. Würtemb. Vniuerſitaet vnd Stadt Tübingen,* vbi *p.* 238. *ſq.* copioſe, neſcio autem an ſemper adcurate, de Academia Tubingenſi actum eſt.

Tyrnauienſem in Hungaria Academiam Petr. Pazmanus, S. R. E. Cardinalis, et regni Hungarici Primas, fundauit, dedicauitque ſolemniter III. Nouembri a. 1635. Breui tanta cepit eadem incrementa, vt numerus ciuium millenarium excederet. Vid. CZVITTINGERI *Specimen Hungar. litt. p.* 301. in

Hhh hhh 2 pri-

primis autem MATTH. BELII *Notit. Hungar. nouae, Partis* II. *Tomum ſecundum a.* 1736. editum, *p.* 40. 56. 58. 88. et 94. quibus locis Academiae Tyrnauienſis incunabula, progreſſus, fata, leges atque inſtituta curate admodum diligenterque enarrantur, indicantibus id, (neque enim ad manus iam eſt ipſum Opus Belianum,) *Actis Erud. Lat. a.* 1736. *m. Iulio, p.* 298. Eodem fere tempore FRANC. KAZY e S. I. nutricem ſuam commendare coepit ſcripta *Hiſtoria Vniuerſitatis Tyrnauienſis Societ. Ieſu, ad ann. Chriſti* 1735. *eiusdem vniuerſitatis ſaecularem.* Prodiit Opus *Tyrnauiae a.* 1737. *in* 4. Partib. III. Spiſſum id vocat et ſatis elegans MICH. ROTARIDES in *Hiſtor. Hungar. litter. lineamentis p.* 79. monet autem ſimul, deſiderari notabilia rei litterariae argumenta, nec non animum, a partium ſtudio alienum.

De *Valentina* Hiſpanorum Vniuerſitate proſtat, ſed rariſſime in Germania noſtra conſpicitur, FRANC. ORTINI liber, patria lingua *Madriti a.* 1730. *in* 4. euulgatus hac inſcriptione: *Memorias hiſtoricas de la fundation i progreſos de la inſigne Vniuerſidad de Valencia.* Ordine chronologico, eo tamen non vbique ſeruato, Auctor diſpoſuit, quae iam tradiderant Andreas Schottus, Caſp. Eſcolanus, Anton. Beuterius, Petr. Auguſtin. Morla, Vinc. Marinerius, Laur. Matthaeus, Nicol. Antonius, et Ioſeph. Rodriguezius, cuius praecipue ſcrinia expilaſſe Ortinum, MAIANSIVS obſeruat *Epiſt. libro V. Epiſtola* 7. *p.m.* 288. Praeterea ſuffuratus eſt laudati Maianſii aduerſaria quaedam, ad idem argumentum ſpectantia; quae Ioh. Bapt. Ferrerii ope conſilioque ſurrepta nunquam reſtituere voluit, ne quis corniculam poſſet alienis plumis denudare. Vid. *Acta* Erud. *Lat. a.* 1731. *p.* 439.

Academiae *Vindobonenſis* in Auſtria inferiori, (quae teſte ANTON. STEYERERO in *Hiſtor. Alberti*

II.

II. Auſtriae Ducis p. 411. et 436. ſq. anno 1365. Rudolphi IV. Archiducis auſpiciis condita, anno demum 1388. Alberti III. ſucceſſoris ſtudio iuſtam formam accepit,) antiquitatem, nobilitatem et celebritatem CAROL. MVSARTVS oſtendit in Prooemio, eiusdem *Adoleſcenti Academico Duaci a. 1633. in* 8. praefixo. Huic addendus PETR. LAMBECIVS *Commentar. de Bibl. Caeſar. Vindob. libro II. cap. 5. p. 79. ſq.* vbi diligenter admodum copioſeque de ortu Academiae, eiusque ſtatutis et priuilegiis, diſſerit. Epitomen inde exhibent REIMMANNVS *Bibl. acroamaticae p. 118.* RICHARDVS in *Hiſtor. Bibl. Caeſar. Vindob. p. 26.* et PFEFFINGERVS, qui munus olim, quo iam per tria luſtra functus ipſe ſum, laudabiliter ſuſtinuit, in *Vitriario illuſtrato, Tomo III. p. 230. ſq.* IOH. BASIL. KÜCHELBECKERVS quoque in *der allerneueſten Nachricht vom Roemiſch-Kayſerlich. Hofe, P. II. cap. 7. p. 679. ſq. edit. ſecundae* praecipua de has Vniuerſitate adfert. Omnes tamen longo poſt ſe interuallo reliquerunt doctiſſimi e Societate Ieſu duumuiri, IOSEPH. REICHENAV et SEBAST. MITTERDORFFERVS. Ab illo *Vindobonae a.* 1722. *in* 8. luci expoſitus eſt *Conſpectus hiſtoriae Vniuerſitatis Viennenſis ab initio eius, vsque ad annum 1465. ex actis veteribusque documentis erutae.* Hic vero *ibidem anno* 1724. *Conſpectus* huius *Tomum II. ab anno* 1465. *vsque ad annum* 1565. addidit, quem ſequutus eſt ſtatim *a.* 1725. *Tomus* III. *ab a.* 1565. *vsque ad annum* 1701. Laudatur hoc Opus a BERNHART. RAVPACHIO *im Euangeliſchen Oeſterreich P.* II. *p.* 223. adſeriturque, Viros hosce hiſtoriam Vindobonenſis Academiae nitido moderatoque ſtilo ad poſteros transmiſiſſe, et ex ipſis quidem actis iuſtisque monumentis. IOSEPHI IOH. SCHLIKENRIEDERI, Pedelli iurati *Chronologia diplomatica Vniuerſitatis Vindobonenſis ab anno 1237. ad annum 1384.* quae *ibidem*

anno 1753. *in 4.* vna cum figuris aeri inciſis lucem adſpexit, nihil aliud eſt, quam Sylloge diplomatum, priuilegiorum, bullarum et conſtitutionum, ad Academiam hancce ſpectantium. Vid. *die Leipz. gel. Zeit. anni* 1754. *p.* 212. quo et loco indicatur, continuationem huius laboris meditari Editorem; quod a IAC. ZEISL autem factum, ſucceſſore illius, *anno* 1755.

Ad *Vltraiectinae* Vniuerſitatis, cuius natalis in annum 1636. incidit, hiſtoriam ſpectant *Orationes inaugurales*, *in natalem quinquageſimum Academiae* habitae, et *a.* 1686. *in f. Vltraiect.* publicatae. Has inter notanda cum primis IOH. GE. GRAEVII Oratio, quae et locum ſuum inuenit poſtea in Sylloge *Orationum Graeuianarum.* Succeſſit noſtra aetate Oratio panegyrica ARNOLDI DRAKENBORCHII in natalem ſaecularem Academiae Traiectinae, anno 1736. recitata, et mox *in 4. mai.* edita. Belgica quoque interpretatio *eodem anno eademque forma* prodiit. De Latino exemplari vid. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1737. *p.* 516.

De *Vpſalienſis* Academiae origine et ſtatu SVENONIS IONAE Orationem exſtare, teſtatur IOH. SCHEFFERVS *Vpſaliae* ſuae, *a.* 1666. *in* 8. excuſae, *Cap. XX. p.* 403. Idem antea *Cap. XIV.* ipſe de hoc argumento adcurate egit, quod et factum ab eo in Notis ad incerti Scriptoris *Chronicon de Archiepiſcopis Vpſalienſibus p.* 128. *ſq.* Nec ſine fructu adhiberi poteſt IOH. LOCCENII *Hiſtoria Suecana*, quo quippe in libro variis locis huius Academiae hiſtoria illuſtratur. In IOH. ENBERGII *breui narratione rerum memorabil. Vpſalienſium*, qui libellus, *Vpſal. a.* 1704. *in* 12. lingua Suecica euulgatus, recenſetur in *Actis Erud. Lat. anno 1704. p. 337. ſq.* obuia eſt itidem *Cap. V.* Academiae Vpſalienſis hiſtoria. Docet inter

inter alia Auctor, Scholam Vpſaliae inſtitutam primum fuiſſe ab Erico Balbo Rege, ſed Stenone Sturio et Archiepiſcopo Iacobo Vlphonis vrgentibus a Sixto IV. P. M. circa annum 1476. huic vrbi conceſſa eſſe Academiae iura et priuilegia, atque haec omnino paria cum Bononienſi. Eandem vero poſt reformationis Lutheranae tempora, et in primis motibus Liturgicis, imperante Iohanne III, damnum haud exiguum cepiſſe, at a Guſtauo Adolpho magnificis ſumtibus reſtauratam, dotatam, et noua ſplendidiſſimaque aede decoratam eſſe, obſeruat. *Anno* 1753. *Vpſaliae* Diſſertatio eſt typis impreſſa *in* 4. cui adſcriptus Praeſes, IOH. IHRE, vir doctiſſimus. Complectitur haec Academiae Vpſalienſis hiſtoriam; ſed Pars tantum prior eſt, quae nondum oculis meis occurrit.

Agmen hoc loco claudat Academia *Vitembergenſis*, cuius anno 1502. conditae initia atque incrementa *Vitemb. a.* 1574. *in 8.* breui Oratione perſequutus eſt MART. OBERNDORFERVS. Poſt eam debent memorari ANDR. SENNERTI *Athenae itemque Inſcriptiones Vitembergenſes, ibidem anno* 1699. *in 4.* tertium, et quidem auctius, excuſae. Prior liber continet praeclaram, ſatisque plenam, Academiae hiſtoriam: pleniſſimam vero dicit, eique nondum ſucceſſiſſe continuationem, HEVMANNVS *Bibl. Acad. p.* 207. miratur GODOFR. SVEVI *Academiam Vitembergenſem ab anno fundationis* 1502. *ad annum* 1655. *ibid. anno* 1655. *in* 4. exhibitam. Reperiuntur hic priuilegium Imperatoris, Bulla Papalis, nomina Rectorum et Profeſſorum, atque ſimilia ab inſtituto non aliena. Addantur *Acta ſaecularis ſacri Acad. Vitemb. ibidem a.* 1704, *in f.* emiſſa, ex quibus commode petere licet, quae ad res, ſaeculo ſuperiori geſtas faciunt: nec non HERM. BECKERI Diſſertat.

de Friderico ſapiente Saxoniae Electore, et Academiae Vitembergenſis fundatore. ibid. a. 1702. *§. XXX.* et ſequentibus.

Recenſui nunc praecipua de celebrioribus Academiis monumenta, dataque opera certos mihi fines ac terminos conſtitui. Praetermiſſa facili negotio inueniet harum rerum cupidus in HEVMANNI *Bibl. Academica* et *Catalogi Bunauiani Volumine I.* quibus Operibus vſus potiſſimum fui: neque tamen potui mihi temperare, quin paſſim noua quaedam, ibique non obuia, interſererem.

§. V.

Peractis his, dicendi materiem ſatis largam praebent ſocietates eruditorum, quas BÜLFINGERVS *Sermonum habitorum in primo ſolemni Academ. Scient. Petropolit. conuentu, Petropoli anno 1726. in 4. mai. p. 15.* ſic deſcribit, quod ſint Collegia, vbi diuiſa inter plures, ſed communi conſilio agentes, opera perficiendis, propagandisque et adplicandis ad vſum ſcientiis pro cuiusque diſciplinae genio ſeria conſtansque cura impenditur. Plures earum et olim exſtitiſſe, et his noſtris temporibus exſtare cum primis, vel omnes norunt, qui aliquid modo ſtudii litteris conſecrauere. Nec deſunt, qui vniuerſalem harum dederunt notitiam. Breuis eſt ſaltim IOH. REISKII Diſſertatio qua *Pinacothecas, Cimeliothecas et Societates doctorum in Europa* praecipuas memorat. Prodiit *Guelpherb. a.* 1685. *in* 4. Fuſius hocce argumentum pertractare tentauit GODOFR. VOCKERODT, qui variis Diſſertationibus, coniunctim *Ienae a.* 1687. *in* 4. editis, exhibuit *Introductionem in Notitiam Societatum litterariarum.* Poſtea *Gothae a.* 1704. *in* 8. recudenda curauit haec Schediaſmata, iisque ſupplementorum non nihil, et

et ſacra quaedam Philologemata ſubiunxit. Non generalia ſolum, quaeque ad eiusmodi Societatum vtilitatem ſpectant, erudite profert Auctor, verum etiam varias recenſet, atque exemplis, Hiſtoriam litterariam illuſtrantibus, dictis ab ſe multum gratiae auctoritatisque conciliat. Primam tamen Societatum litterariarum originem quoniam a temporibus antediluuianis repetit, nimium ſane indulſit ingenio, vt clarius oſtendit IOH. HENR. A SEELEN in Epiſtola ad Ioh. Dan. Overbeck, Collegam doctiſſimum, excuſa *Lubecae a.* 1749. *in* 4. *de Paradoxo, quo prima Societatum litterariarum origo a temporibus antediluuianis repetitur.* Pauca etiam de Societatibus recentioris temporis congeſſit, quod quidem negotium in aliam reſeruarat occaſionem, neque tamen manum deinde admouere placuit continuationi. Integrum de iisdem Opus meditatus eſt CHRIST. IVNCKERVS, qui de hoc inſtituto ita ſcripſit olim: *Adgrediar hiſtoriam Societatum per Europam litterariarum, cui deſcribendae ingens iam adeſt adparatus, ex libris idiomatum pleriſque peregrinorum ab aliquot hinc annis collectus.* Cf. idem in *Nouis litter. German. a.* 1703. *p.* 309. vbi diſertis verbis declarat, ſe inde a decem annis multa collegiſſe, paucis cognita, de Societatibus eruditorum. Sed an exſtent adhuc, vbique lateant, ſchedae eius, ignorare me lubens fateor. Omnium, quae in Europa conſtitutae ſunt, Societatum litterariarum hiſtoriam promiſiſſe MICH. RICHEY, docetur in GOETTENII *Gelehrt. Europa Vol. I. p.* 133. Et egregium iam pridem documentorum rariſſimorum ſubſidiorumque adparatum conquiſiuiſſe, variaque litteris conſignaſſe Virum olim doctiſſimum, adfirmari ſcio in KOHLII *geſammleten Briefwechſel der Gelehrt. anni* 1751. *Parte XXX. p.* 478. At ſumma eiusdem ſenectus, quae cum va-

letudine aduerſa plerumque coniuncta fuerat, tandemque ipſa mors, nunc ſpem obtinendi Operis, tanto architecto digniſſimi, praecidiſſe nobis penitus videtur. Interea temporis rem hanc adgreſſus eſt haud inuita Minerua CHRISTOPH. HAYMANNVS. Compoſuit is et *Lipſiae a.* 1740. *ſq. in 8.* diuulgauit Volumen, ex Partibus ſex conſtans, cuius haec eſt inſcriptio: *Kurtzgefaſte Geſchichte der vornehmſten Geſellſchaften der Gelehrten, von den älteſten Zeiten an, bis auf die gegenwärtige, aus glaubwürdigen Nachrichten verfertiget.* Multa protulit Auctor clariſſimus, quae legi merentur: multa tamen induſtriae ipſius reſtant, forte poſt quatuor luſtrorum ſpatium ab eo non amplius exſpectanda. In Capite I. de origine ac praeſtantia Societatum litterariarum differit; ſed ignorauit tum IVVENELII Obſeruationem *ſur l'origine des Academies*, quae obuia eſt in *Mercure de France m. Decembri 1738. p.* 2734. *ſq.* Cf. etiam Praefatio, praemiſſa *Vol. I. der von der Prüfenden Geſellſchaft zu Halle herausgegebenen Schriften.* Quae MORHOFIVS in *Polyhiſt. litter. Tomo I. cap. 14.* de eruditorum Societatibus partim ex GREGOR. LETI *Italia regnante*, partim ex IOH. FERRI *Theatro Emblematum*, ibidem Italice compoſito, congeſſit, ea nunc quidem variis emendationibus et ſupplementis indigent.

§. VI.

Inter antiquiſſimas Societates litterarias primum tenet locum *Platonis Academia*, quae nomen ſortita eſt ab Academo, vel Hecademo, quodam, habuitque eo in loco, Athenis proximo, villam et hortum Philoſophus, tribus drachmarum millibus emtum. Erat autem haec Academia nihil aliud, quam conuentus eruditorum, variis de rebus inter ſe agentium, aliis proponentibus easdem, aliis audienti-

dientibus. Illuſtrat hoc CICERONIS locus *libro II. de Diuinatione ſub finem. Proprium eſt,* ait, *Academiae, iudicium ſuum nullum interponere, ea probare, quae ſimillima veri videantur, conferre cauſſas, et quid in quamque ſententiam dici poſſit, expromere, nulla adhibita ſua auctoritate iudicium audientium relinquere integrum ac liberum.* Plura de hac ipſa Academia ſuppeditant IOH. ANDR. SCHMIDIVS in Diſſertat. *de Gymnaſiis litterariis Athenienſium Ienae a.* 1688. *p.* 6. *ſq.* et IOH. PETR. A LVDEWIG in Diſſ. *de prima Academia, villa Platonis, Halae Magd. a.* 1693, quae et recuſa exſtat in eiusdem *Opuſculis miſcellis, Tomo* II. *p.* 360. *ſq.* Docte hic agitur de Academiae diuerſis etymologiis; Academo, nominis auctore; nouo Academiae domino, Platone; ſitu Academiae; eiusdem ſalubri loco aedificiisque et excidio, quod factum a Sulla, Romano. Is enim quum inuaſiſſet Athenas, eumque machinae ad vrbem expugnandam deficerent, ſuſtulit nemoroſam villam, et Academiam deleuit. Recenſetur Diſſertatio haec Ludewigiana in REIMMANNI *Idea Syſtematis Antiquitatis litterariae p.* 92. *ſq.* Variae tamen Platonicorum Scholae fuerunt et Academiae. Inde occaſio data, vt Academia in veterem, mediam et nouam diſtingueretur. Et vetus quidem Academia ea eſt, qua genuini Platonis diſcipuli praeceptoris placitis inſtiterunt, et dogmatica quadam ratione Philoſophiam Platonicam profeſſi ſunt. Qua in Academiae prima periodo Seuſippus, Xenocrates, Polemon, Crates et Crantor in cathedrae ſucceſſione Platonicam philoſophiam nobilitarunt. Aliter, quae hos eſt ſequuta, Academia media, quae non relictis quidem, inter myſteria tamen retentis, Platonis doctrinis de imbecillitate humani intellectus, et cognitionis incertitudine acriter diſputauit, nouamque prorſus faciem Academiae

induxit,

induxit, in qua eo tempore Arceſilaus, Lacydes, Euander et Egeſinus docuere. Neque hoc ſatis; ſed variauit etiam noua Academia, auctoribus, Carneade et Clitomacho; quos qui exceperunt, non ita preſſe inſtiterunt eius veſtigiis vt non quartam et quintam Academiam ideo memorent veterum quidam, docente in illa Philone et Charmide, in hac Antiocho. Vid. de his, cuius verba recitaui, BRVCKERVS in *Hiſtor. critica Philoſ. Tomo I. p.* 728. vsque ad *p.* 775.

Altera veterum Societas litteraria fuit *Muſeum Alexandrinum*, quod condidiſſe creditur Ptolemaeus Philadelphus, maximus aetatis ſuae litterarum patronus. Factum id anno circiter, ante natum Seruatorem, quinquageſimo ſupra ducenteſimum. et in regione quidem vrbis, Bruchium dicta. Ibi exſtructum eſt peramplum aedificium, palatio regio adpoſitum, in quo recepti, lauteque ſuſtentati fuere omnium tunc gentium politiorum eruditi, eo conſilio, vt diſciplinae philoſophicae et mathematicae, Medicina et Philologia praecipue colerentur, ſociique, rerum aliarum cura ſoluti, omnem aetatem litterarum ſtudiis doctisque confabulationibus conſumerent. Datus etiam alumnis Praeſes, quem STRABO Ἱερέα, ſeu ſacerdotem vocat, quoniam in Aegypto ſacri ordinis homines, prae caeteris, ingenium conſecrare Muſis conſueuerant. Imo, ne doctrinae deeſſent ſubſidia, Ptolemaeus Bibliothecam addidit inſignem, quam deſcripſi iam *Tomo I. cap.* 2. §. 8. vbi et *p.* 145. eos nominaui, hic non repetendos, qui de Muſeo Alexandrino data opera egerunt. Nouiſſime laudatus ſupra HEYMANNVS in *der kurtzgefaſten Geſchichte der vornehmſten Geſellſchaften der Gelehrten. Cap. V. p.* 81. *ſq.* congeſſit omnia ex his, aliisque, auctoribus, quae digna notatu ſunt de iſto argumento. Floruit adhuc

huc Muſeum Alexandrinum ſub Imperatoribus Romanis, nouumque adiecit Claudius ſuo nomine inſignitum, vti memorat SVETONIVS in *vita eius, cap. XLII.* At ſaeculo III. et imperante quidem Aureliano, corruiſſe inſtitutum nobiliſſimum videtur; quamquam poſtea reſtituere id forſitan certo modo tentarunt Socii nonnulli. Audiamus ea de re AMMIANVM MARCELLINVM, cuius aetas in ſaeculum quartum incidit. Ita vero ille *rerum geſtarum libro* XXII. prope finem: *Alexandria ipſa non ſenſim, vt aliae vrbes, ſed inter initia prima aucta per ſpatioſos ambitus, internisque ſeditionibus diu aſpere fatigata, ad vltimum multis poſt annis Aureliano imperium agente, ciuilibus iurgiis ad certamina interneciua prolapſis, dirutisque moenibus, amiſit regionum maximam partem, quae Bruchion adpellabatur, diuturnum praeſtantium hominum domicilium.*

Apud Romanos in vſu erant Recitationes, quae alia ex parte Societatum litterariarum repraeſentabant imaginem. Solebant enim Poetae, Oratores Hiſtorici amicos inuitare in aedes priuatas, eorumque numerum auxerunt nonnunquam clarae mulieres, ſed ab aliis auditoribus, ne ab iis conſpicerentur, ſeiunctae. Hi, quibns non erat ſpatium ſatis amplum, domum alius mutuabantur, et ſubſellia conducebant: nec Maecenates deerant et ſtudiorum fautores, qui aedes ſuas honeſtiſſimis aperirent exercitationibus. Quum conſuetudo iſthaec magis inualeſceret, Recitationes etiam publice ſunt peractae, vel in theatro, vel amphitheatro, vel odeo, baſilicarum aliqua, atrio libertatis, via Appia, lucoue Martis. Imo gloriae ſtimulis maxime incitati in ipſo foro ſua protulere. Idem in aedibus Apollinis Palatini factum eſſe, ſunt, qui ex HORATII *ſat.* 10. *libri I. v.* 38. contendant. Verum

rum hos refutare ſtuduit IOH. MASSON in *Vita Horatii p.* 161. *ſq.* Menſes Aprilem, Iulium Auguſtumque Recitationibus, Poetarum praeſertim, dicatos fuiſſe vt laudatus infra WALCHIVS perſuaſerat ſibi olim, ſolide, opinor, adſeri nequit. Quamquam enim et IVVENALIS et PLINIVS, ſecundus, horum diſertis verbis mentionem iniecere; non tamen credo exinde ſequi, vt caeteri menſes plane vacui fuerint eiusmodi negotio. Finis recitationum duplex erat. Alii enim, qui non niſi laudis trahebantur ſtudio, in id omnes conferebant cogitationes, vt adclamationes auditorum et plauſus orirentur: (eos lubens praetermitto, qui fame preſſi alios recitando ad coelum vsque extulerunt, vt ſportulas tantum et coenas acciperent,) alii, et hi quidem ſapientiores ea maxime ante oculos habuerunt, quae PLINIVS ſcribit *lib. V. epiſt.* 13. *Recitaturus oratiunculam, quam publicare cogito, aduocaui aliquos, vt vererer: paucos, vt verum audirem. Nam mihi duplex ratio recitandi: vna, vt ſollicitudine incendar; altera, vt admonear, ſi quid forte me, vt meum fallat. Tuli, quod petebam: inueni, qui mihi copiam conſilii ſui facerent. Ipſe praeterea quaedam emendanda annotaui. Emendaui librum, quem miſi tibi.* Mos profecto ſaluberrimus hic erat, quo factum, vt nihil exiret in publicum, niſi cura limatum, et de conſilio eruditorum emendatum; qui ſi hodieque ſupereſſet, multae ineptiae, quae quotidie vulgantur, prudenti huiusmodi conſilio ſupprimerentur, quae ſunt CHRISTOPH. CELLARII verba Diſſertationis *de ſtudiis Rom. litter. in vrbe et prouinciis* §. *XXI. p.* 364. inter Auctoris Diſſert. Academicas. Cf. IOH. GE. WALCHIVS in Diatribe *de variis mod. litt. colendi ap. veter. Rom.* §. *VIII. p.* 81. *ſq. Parergor. Academicorum*, et ſingularis CHRISTOPH. GODOFR. BARTHII *de recitatione et retractatione*

tione veterum Diſſertatio, edita *Halae M. a.* 1701. *in 4.* In compendio eam exhibuit REIMMANNVS *Ideae ſyſtem. Antiquit. litter. p.* 163. *ſq.*

Nobiliſſimi quoque Romanorum ſeceſſus ſuos litterarios habebant in villis, vbi non ſolum inter pugillares ac libellos iucundiſſima quiete tempus transmiſere, verum et cum amicis de rebus ad eruditionem pertinentibus varios inſtituere ſermones. Agit hoc de argumento idem, quem ante nominaui, BARTHIVS in Diſſert. *ibid. eodemque anno* excuſa, *de ſeceſſibus veterum ad mentem ſententiamque Plinii ſecundi.* Vid. REIMMANN. *l. c. p.* 106. *ſq.* Tales villas complures poſſedit Cicero, ex quibus Puteolanum praecipue Tuſculanumque memorandum. Puteolanum villa erat, in Campania inter Puteolos et Auernum lacum, quam ſpatioſiſſimam amoeniſſimamque ita inſtruxit Tullius, vt recte, ab Athenarum exemplo eandem vocare *Academiam* poſſet, teſte PLINIO *H. N. libro XXXI. cap.* 2. HAYMANNI *l. c. p.* 128. ſententiam, hanc Academiam in villa eius Cumana exſtitiſſe, infringere quouis modo conatur IOH. CHRISTOPH. CRAMERVS Orat. *de M. Tullii Ciceronis Tuſculano, Ienae* 1752, *in* 4. *p.* 3. *ſq.* Conſcripſerat ibidem Tullius Academicas Quaeſtiones, in quibus omnem Platonicae Academiae cum veteris, tum nouae, Philoſophiam expoſuerat, ita tamen, vt facile poſſet perſpici, ſe nouam veteri praeferre. Erant primum libri duo, quorum prior Catulus, alter Lucullus inſcriptus fuerat. Horum autem reſtat ſecundus tantum. Deinde Cicero quatuor Diſputationum Academicarum libros elaborauit, in quibus et fuſius dixit et adcuratius, quae antea libris duobus protulerat. Primi horum fragmentum ſupereſt: reliqui tres iam dudum deſiderantur. In Tuſculano ſuo, Romae vicino, itidem egregius ille Conſul Academiam colloca-

locauerat, et in ea quidem parte, quae virgultis et plantationibus viridantibus erat circumdata, exemplo plurimorum ea aetate, cum primis Philoſophorum Graecorum. Hi enim eiusmodi in locis ſuos celebrare ſolebant conuentus, quae arboribus cincta vmbram efficiebant, naturalique ſua amoenitate recreabant de rebus grauiſſimis diſputantes. Frequentarunt hocce Tuſculanum doctiſſimi quique Romanorum, tamquam commumem quandam Latii ſcholam, ibique doctiſſimis ſermonibus ingenii vires periclitati ſunt. Vid *Tuſculanar. Quaeſtionum*, quae debentur huic villae, *lib. I. cap, 4. lib. II. cap.* 3. et *lib. III. cap.* 3. Cf. CRAMERI *Orat cit. p.* 29. De aliis Tullii villis Pliniique ſecundi, vbi idem eſt actum, legatur HAYMANNVS *l. c. Cap. VI. p.* 136. *ſq.* Singulare olim Romae exſtitit etiam Collegium Poetarum, cuius meminit VALER. MAXIMVS *lib. III. cap. 7.* Locum hunc eleganter illuſtrauit IOH. CHRIST. WERNSDORF. V. C. in Progr. *Helmſt.* |*a.* 1756. *in* 4. euulgato, quo indicauit Orationem quandam de honore Societatibus litterariis tribuendo.

§. VII.

Nolo iam in ſcenam vocare Aegyptiorum in templo Vulcani Memphitico conuentus; Magorum Collegia apud Perſas; Gymnoſophiſtarum apud Indos; Aethiopum Sapientiae Collegia; Graecorum Sympoſia atque ad aram Mineruae conuentus; Byzantinornm in Bibliotheca congregationes, collationes Monachorum veſpertinas, et caet, de quibus breuiter diſſeruit STRVVIVS *obſeruat. ſelect. Hal. Tomo VII. obſ.* 4. *p.* 107. *ſq.* Add. ANDR. CHRIST. ESCHENBACHII Diſſ. *Sympoſia Sapientum* inſcripta, primumque *Ienae a.* 1687. edita, poſt *Diſſertationibus* Auctoris *Academicis*, *Norimb. a.* 1705. *in* 8. *p.* 279. *ſq.*

ſq. inſerta HAYMANNVS quoque paſſim *l. c.* hoc tetigit argumentum, praecipueque *Cap. VIII. p. 177. ſq.* veterum Druidum, Bardorum Vatumque apud Britannos, Gallos et Germanos recenſet Societates litterarias. Maioris omnino momenti ſunt recentiores, quarum hiſtoriam copioſiore, quantum licet, verborum adparatu ſcribere ſtatutum habeo. Nulla vero Europae prouincia tot vidit vnquam, quot ſola Italia, ſecundum Chronologiae ordinem hic primo in loco ponenda, litterarias Societates. De iis commentati generatim ſunt IOSEPH MALATESTA GARVFFI in *Italia Academica, oſia Academie aperte a pompa e decoro delle Lettere più amene nelle Città Italiane, in Rimino 1688. in 8.* qui tamen libellus, raritatis habens notam, partem ſaltim laboris exhibet, poſtea, quantum ſciam, non continuati; HYACINTH. GIMMA in *Idea della Storia dell' Italia letterata, Neapoli a. 1723. in 4.* Tomis II. euulgata, vbi *Tomo II. cap. 36.* omnes Italiae Academias, eruditasque Societates, tum a quibus inſtitutae ſint, quique praeter caeteros ſcientiarum laude florentes in iis fuerint conſpicui, indicat, docetque, quare Societatum plerarumque membra fictum ſibi nomen adſciuerint, hisque peractis *cap. ſequenti* ciuitates Italiae, in quibus hae Societates inclaruerunt, ordine alphabetico enumerat, vti loquitur vir quidam doctus *Actor. Erud. Lat. anno 1725. p. 60*; itemque IOH. IARKIVS in *Specimine Hiſtoriae Academiarum eruditarum Italiae, Lipſ. a. 1725. in 8.* Acceſſit Index Academiarum Italiae omnium, eo, quem Gimma dederat, plusquam ducentis nominibus locupletior. Verus huius libelli architectus dici debet IOH. GOTTLIEB KRAVSIVS, quippe qui ſuppeditauit Iarkio collectanea, eademque vt praefixo nomine ſuo ederet, permiſit. Et in eo erat, paucorum interiecto annorum ſpatio, Krauſius, vt

 Speci-

Specimen illud limaret adcuratius, plenioremque Academiarum Italicarum hiſtoriam in lucem proferret; at ſiue mors, ſiue alii labores, obſtitere conatibus. Vid. *Acta Erud. Lat. anni 1730. p. 139.* et *die Leipz. gel. Zeit. a. 1728. p. 988. in nota priori*, quo loco ipſe confirmat Krauſius abs me relata. Recenſetur Opuſculum Iarkii, editoris, cum in *Actis Erud. Lat. a. 1725. p. 475.* tum in *Germanicis*, *Vol. IX. P. 107. p. 806. ſq.* Complectitur tamen illud Sabaudiae tantum ac Mediolani Societates litterarias. Duplex Academiarum Italiae et Siciliae Index, alter Geographicus, paullo locupletior, quam eum exhibuerat Gimma: alter alphabeticus, a Krauſio cum Iarkio communicatus, paucis additis inuenitur in FABRICII *Conſpectu theſauri litt. Ital. p. 246. ſq.*

Singulas autem deſcribere Italorum Societates miri plerumque nominis, quod non ſine cauſſa iam diſplicuit MARESIO *Epiſt. XLIII. p. m. 469.* vti nimis longum, ſic difficillimum etiam foret opus in tanta monumentorum, quae raro ſolent peruenire ad exteros, inopia. Itaque de iis tantum notatu digna congerere, alphabetico vrbium ordine, animus eſt, quae prae caeteris meritorum in litteras artesque nobiliores fama innotuerunt. Illud enim, vt verbis vtar FABRICII *l. c. p. 276.* ab ipſis cordatioribus Italis et eruditioribus iure reprehenditur, quod multarum ex illis Academiis vix aliud eſt ſtudium, vix alius fructus, quam vt ſonulos aliquot edant, vel cudant de argumento nihili carmina, aut ingenioſis indulgeant nugis. Iuſta haec querela LVDOV. ANT. MVRATORII in ſcripto, quod *Neapoli a. 1703. in 8.* adſcito PRITANII nomine diuulgauit hoc titulo: I *primi diſegni della Rep. litteraria d'Italia*, *p. 94. ſq* cuius doctiſſimi hominis cenſuram breuiter repetunt

Digitized by Google

tunt Auctores, quibus debetur *il Giornale de Letterati d' Italia, Tomo I. p. 269.* Apud *Bononienſes*, vbi Societates ſeptuaginta numerat FABRICIVS *p. 247.* de quibus generatim agit PELLEGR. ANT. ORLANDI in *Notizie della fondazione delle Academie di Bologna*, in fronte libri, *Notizie degli Scrittori Bologneſi* inſcripti, *p. 27. ſq.* antiquiſſimis adnumerari debet Academia *Sitienſium*, quae ab Celſo Socino, Mariani iunioris filio, Icto anno 1554. fuit inſtituta. Symbolum erat mons Helicon arboribus inſtructus, quae a fonte Caſtalio inundabantur, addita inſcriptione: *non diu ſitient Sitienſes.* Ex hac deinde Academia celeberrimi prodiere Icti. Reliquas omnes lubens praetermitto, tranſeoque potius ad illuſtrem *Marſilianam* Academiam, *Inſtitutum Scientiarum et Artium* adpellatam. Auctor eiusdem fuit Ludov. Ferdinand. Comes de Marſigli, cuius elogium exſtat in *Act. Erud. Lat. anni 1733. p. 282. ſq.* Is laudabili parentis, Caroli Franciſci, exemplo, qui iam anno 1687. ibidem duplicem condiderat Academiam, alteram Hiſtoriae eccleſiaſticae, alteram Philoſophiae experimentali dicatam, anno 1714. feliciter perfecit, quae iam ante fuerat meditatus. Quum enim inde ab adoleſcentia diſciplinis mathematicis maximeque Architecturae militari et Mechanicae, mirifico ardore faueret, inſignem collegerat rerum et naturalium et artificialium theſaurum, quem Senatui Bononienſi primum dono dedit, poſt vero ab eodem impetrauit, vt is auſpiciis Clementis XI. P. M. ſuperbum exſtrueret palatium, deſtinatis ſuis cuique Profeſſori conclauibus, adiectaque non Bibliotheca ſolum, atque Inſtrumentis Marſilianis, per plures cameras diſpoſitis, verum etiam Specula, quam vulgo dicunt *Obſeruatorium*, aſtronomica. Membra, ſiue Socii, Academiae quatuor in claſſes diſtributi, ſcilicet in ordinarios, hono-

norarios, numerarios et alumnos, tractarique iuſſi argumenta phyſica, mathematica, medica, anatomica, chymica, et ad hiſtoriam naturalem ſpectantia. Quumque iam ab anno 1691. circiter Bononiae floruiſſet Academia *Philoſophorum Inquietorum*, at priuata tantum, ea cum Inſtituto Marſiliano ita eſt coniuncta, vt in palatio memorato iſtorum Academicorum conuentibus conclaue ſit ſingulare attributum. Imo coaluit quoque Pictorum, Sculptorum, et Architectorum Academia, eiusdem Marſilii beneficio anno 1710. conflata, atque a Clemente XI. *Clementina* vocata, cum hoc Inſtituto, ea tamen lege, vt ſuas quaeque ſibi res habeat, et neutra ſit alteri ſubiecta. Solemniter Academia Marſiliana d. 13. m. Martii a. 1714. inaugurata eſt, recitatis coram coetu illuſtri Orationibus, quarum vna Corazzius, Monachus Benedictinus, oſtendit, non eſſe Philoſophis iurandum in verba Ariſtotelis, ſed ſoli potius veritati litandum. Nouiſſime Inſtitutum nobiliſſimum Benedictus XIV. Pontifex, patria Bononienſis, porticibus et muſeis, magnifice exſtructis, ornauit, et numeroſa praeſtantiſſimorum librorum ſupellectile, caeteroque omni adparatu inſtruxit, quo iuuari litterarum et artium ſtudia poſſunt. Vid. Elogium Bened. XIV. in *Excerpto totius Italicae et Heluet. Litteraturae*, *Tomo II. p. 200.* Quantum ex hac ipſa Academia incrementi ceperit Reſpublica eruditorum, luculenter docent *de Bononienſi Scientiarum et Artium Inſtituto atque Academia Commentarii*, alibi abs me laudati, quorum Tomus I. *Bononiae a. 1731.* Tomus IV. *ibid. a. 1757. in 4. mai.* cum fig. aen. quam plurimis, editore FRANC. MARIA ZANOTTO, Academiae a ſecretis, prodiit. Sermone is vſus eſt Latino, eoque proprio et perſpicuo, ac ſtatim in Tomi I. parte priore originem, progreſſum, formamque Inſtituti, et adiun-

adiunctae Scientiarum Academiae, adcurata diligentia expoſuit. Vid. *Acta Erudit. Lat. anni 1732. p. 263. ſq.* Nonnulla emendari exinde poſſunt, quae ſcripſerat minus recte H. P. DE LIMIERS in *l'Hiſtoire de l'Academie, appellée l'Inſtitut des Sciences et des Arts établi à Bologne.* Lucem adſpexit liber *Amſtael. a. 1723. in 8. mai.* atque in compendio exhibetur in *Actis Erud. Lat. a. 1724. p. 24. ſq.* ex quo ego loco profeci. Cf. *die Deutſchen Acta Erud. Vol. VIII. P. 90. p. 424. ſq.* vbi et candide aperiunt Auctores, quae minus crediderunt eſſe probanda. Add. *Atti legali per la fondazione dell' Inſtituto delle Scienze ed Arti liberali, Bonon. a. 1728. in f.* de quo Volumine remitto denuo Lectores ad *Acta Erud. Lat. a. 1729. p. 215. ſq.* Nouiſſime accepimus GIVSEPPE GAETANO BOLLETTI *Operetta dell' Origine e de progreſſi dell' Inſtituto delle Scienze di Bologna, e di tutte le Academie ad eſſo vnite*, caet. *Bononiae 1751. in 8. mai.* Potiora exinde referuntur in *den Leipz. gel. Zeit. a. 1753. p. 602.* De Clementina Pictorum caet. Academia ſpeciatim egit IOH. PETR. ZANOTTVS in *Storia dell' Academia Clementina di Bologna, aggregata all' Inſtituto delle Scienze e dell Arti.* Editum hoc Voluminum II. Opus *ibid. 1739. in 4. mai.* multis Sociorum imaginibus, aeri inciſis, exornatum. Vid. *die Leipz. gel. Zeit. a. 1740. p. 281.*

Caſalis, Marchionatus Montisferratenſis caput, nobilitata eſt olim *Illuſtratorum* Academia, quae Steph. Guazzo Icto, Philoſopho, Oratori ac Poetae haud incelebri, ortum ſuum debebat. Quo id factum anno ſit, adcurate definiri quidem non poteſt; vix tamen erraueris, ſi eandem non multum facias antiquiorem anno 1566. quo nuptias conditoris cum Franciſca Bellingeria concelebrauit Societas. Florentiſſima fuit adhuc anno 1574. quum librum de ciuili conuerſatione Guazzus ederet.

Sed aliquot annis poſt videtur exſtincta. Spem certe conceperat anno 1588. Gnazzus, eiusdem, auctoritate Principis, reſtituendae. Vid. IARKIVS *de Acad. Italiae p. 12.* vbi ex ipſius Guazzi libro adducto haec decerpſit: *In proponendis et diſcutiendis ſententiis animi moderatio ſumma et ordo congruus obſeruabatur, ita, vt primi ſemper dicerent ſeniores Socii, ſuccederent recentiores. Priuati conuentus inſtituebantur tum Principum Academiae, Conſiliariorum, Cenſorum aliorumque magiſtratuum creandorum cauſſa, qui quarto quoque menſe abſoluto ſecretis ſortibus decernebantur; tum ad audiendas Diſſertationes Academicorum, qui priuatim quam publice dicere malebant; tum pro eligendis, ſecretis ſortibus, nouis Academicis, audiendisque Orationibus eorum ad Principem et Socios gratiarum actoriis, tum quoque ad deliberandum de rebus, quae agendae erant in conuentibus publicis, in quibus lectiones ſeu Diſſertationes varii argumenti haberi ſolebant, nec non a binis Academicis legi et Academiae, et extraneorum commentationes. Cum primis autem binis quibusque menſibus noui principatus ineuntis ſolemnia celebrabantur, vbi qui eo vsque vniuerſis ſumma cum auctoritate praefuerat, ſucceſſori et locum et Academiae inſignia cedebat: quae omnia et verbis et factis, ſummam dignitatem et maieſtatem prae ſe ferentibus, peragebantur, in maxima frequentia ſpectatorum, non ciuium modo, ſed et exterorum, vndique confluentium. Praeterea non tantum nuptiae et funera Sociorum, ſed obitus quoque magnorum Principum anſam ſolemnitatibus Academiae carminibusque ſubinde ſuppeditabant. Symbolum Academiae erat ſol oriens et luna occidua, cum inſcriptione:* Lux indeficiens. Haec Iarkius, qui deinde ſocios memorat, prae caeteris notos.

Cortonae anno 1727. menſe Septembri coaluit eruditorum hominum Societas, quae *Etruſ-*

Etruſca eſt vocata. Praecipuus labor ad eruendas illuſtrandasque Antiquitates Italiae ſpectat. Prodiere iam ex hac inſigni officina *Saggi di Diſſertazioni Accademiche, pubblicamente lette nella nobile Accademia Etruſca dell' antichiſſima Città di Cortona;* cuius Operis commendandi Tomus I. *anno 1735.* eiusque Pars altera *a. 1742.* Tomus II. *1738.* Tom. III. *1741.* Tom. IV. *1743.* Tom. V. et VI. *1751. in 4. Romae* lucem vidit, vna cum figuris aeneis quam plurimis. Vid. *Acta Erud. Lat. anno 1741. p. 510.* et *anno* 1747. *p.* 108. *ſq.* nec non *die Niederſächſ. Nachrichten von gel. Sachen a.* 1731. *p. 609.* vbi breuiter Academiae origo indicatur.

§. VIII.

Apud *Florentinos* HAYMANNVS *l. c. p.* 372. *ſq.* ſaeculo XV. floruiſſe adſerit Academiam quandam Platonicam, auſpiciis Coſmi Medices inſtitutam. Sed, ni plane fallor, ii, quos in ſubſidium vocat, Scriptores vix fauebunt opinioni tali, credoque potius ego, non Societatis eiusmodi, verum Vniuerſitatis litterariae auctorem Coſmum fuiſſe, atque in eadem Profeſſoris publici munere ornaſſe Marſilium Ficinum, cui iam deſtinatus fuerat adhuc puer. Miſſis ergo his, quae non ſatis firmo niti fundamento videntur, alias Florentiae Academias, quae huc pertinent, paucis deſcribere placet. Inter has primum ſibi locum vindicat *Academia Humidorum*, de qua exſtant *Notizie letterarie ed iſtoriche intorno agli Vomini illuſtri dell' Academia Florentina*, cuius libri Pars I. *Florent. a.* 1700. prodiit. Debetur labor Laur. Gherardino, Ferdin. Biliotto, Nearo Scarlatto, et Ronerto Marucello, qui auctoritate Iacobi Killii, Conſulis Academiae, ſeu Rectoris, partitis inter ſe operis rem ſunt adgreſſi. An-

ton. etiam Magliabechium ſuas contuliſſe ſymbolas nouimus. Vid. *Nouvelles de la Republique des Lettr. m. Decembri a.* 1700. *p. 684.* vbi ſic Iac. Bernardus: *C'eſt vn Ouvrage, au quel on dit, que Mr. Magliabechi a bonne part;* item IOH. BVRCH. MENCKENII *Bibliotheca p. 69. edit. ſecundae,* et *Acta Erud. Lat. anni* 1701. *p.* 501. Addantur *Memoires de Trevoux p.* 1703. *m. Januario artic. V.* Hi autem docti homines non hiſtoriam ſolum Academiae exponunt, ſed eos quoque, qui vnquam in eadem inclaruerunt. Potiores eorum ſunt ex antiquis Ioh. Caſa, Benedict. Accoltus, Maffeus Barberinus, Ioh. Bapt. Donius, caet. Acceſſere *Florent. anno* 1717. *in 4. mai.* SALVINO SALVINI *Faſti Conſolari dell' Academia Fiorentina,* de quo libro eleganter ſcripto euoluantur *Actor. Erud. Supplem. Tomo VIII. p.* 348. *ſq.* Breuem nunc Academiae iſtius hiſtoriam interſeram, et quidem ex Actorum Eruditorum loco, paullo ſupra prolato. Initium factum ipſis Calend. Nouemb. anni 1540. quo tempore quum iuuenes aliquot ſtudioſi in domo Ioh. Mazzuali conueniſſent, inque ſermonem incidiſſent fortuito de lingua Etruſca, conſtitutum eisdem fuit, vt eius excolendae cauſſa per certa dierum interualla in vnum congregarentur, nouamque Academiam fundarent. (Praecipuus vero inſtituti auctor fuit ANTON. FRANC. GRAZZINI, vti colligendum ex iis, quae leguntur in *den Leipz. gel. Zeit. a.* 1756. *p.* 586.) Facto inde conſeſſu d. 14. m. Nouembr. eiusdem anni, placuit ſingulis, vt *Humidorum* nomine, myſterii pleno, inſignirentur. Creuit tum Academia a tam paruis initiis, quale huius generis habere ſolent Societates, magno membrorum numero et praeſtantia, ita certe, vt non Etruriae tantum, ſed vniuerſae quoque Italiae ornamento et admirationi eſſet. Cura ſimul legum condendarum, quibus in poſterum regeren-

gerentur omnes, duobus eſt ſui ordinis demandata, quarum non vltima fuit, quae ſingulis diebus Solis et Iouis lyricum aliquod poema Petrarchae priuatim inter ipſos praelegi iubet. Tribus menſibus a prima origine vix praeterlapſis, aliud Academia nomen, abiecto priori, adſumſit, quandoquidem Coſmus I. Magnus Etruriae Dux, pro innato genti ſuae ad litteras promouendas ardore, et inſtigante, qui multum apud illum gratia valebat, Pyrrho Colonna, in clientelam receperat Academiam, edixeratque, vt ſine alio cognomine poſt hac ſemper vocaretur *Florentina*. Imo et locum eidem in palatio conuentibus inſtituendis benigne conceſſit, quumque is videretur anguſtior, ampliorem in aedibus Conſilii Ducentorum adſignauit. Quo vero maior adcreſceret nobiliſſimae Societati dignitas, Conſulis, Cenſoris et Conſiliariorum officia illi aptari permiſit, ita quidem, vt penes Conſulem omnis auctoritas et iurisdictio eſſet, ad Rectorem generalem Vniuerſitatis Florentinae antea pertinens, exercenda quosuis in Doctores, Profeſſores, Studioſos ac Miniſtros Vniuerſitatis, in bibliopolas item ac ſcribas, ſingulosque Academicos. Inde eſt, quod in Epiſtolis ſubſcribendis hac vtatur formula: *Conſul Academiae Florentinae, et Rector generalis Vniuerſitatis Florentinae.* Praecedit isquoque in ſacris ſolemnibus omnes alios Vrbis Magiſtratus, ſupremumque Conſiliariorum Magiſtratum, et Rotam Iuſtitiae, ex Decreto Coſmi I. anno 1550. dato, proxime ſequitur. Inſignia Academiae oſtentant fluuium, Arnum, imagine ſenis, qui in herba recumbit, vrnaeque aquam copioſius effundenti, cubito innititur; laurum item, leonem et capricornum, ex ſingulari Coſmi gratia prioribus ſuperadditum, vna cum verbis: *Academia Florentina.* Adhuc, quantum ſciamus, floret, neque tamen,

 alia-

aliarum Societatum litterariarum exemplo, Commentarios quoſdam edidit.

Succedat *Academia della Cruſca* ſeu *Furfuratorum*, cuius inter auctores ibidem referri ſolet laudatus ſupra GRAZZINI. Orta dicitur anno 1582 adeoque id factum eſſet paullo ante mortem conditoris. Quae de eadem reperi in *Bibliotheque Italique Tomo II. p.* 32. haec ſunt: *Il eſt vrai, que l'Academie des* Vmidi *de Florence, nommée enſuite* La Fiorentina, *parceque le Grand Duc Coſme I. s'en declara le Protecteur l'an.* 1540. *contribua beaucoup aux progrès des Sciences, par la noble émulation de ſes membres à donner au Public d'excellentes traductions Italiennes des anciens Hiſtoriens Grecs et Latins. Ils s'attachoient en même tems à polir leur langage; ce qui fut l'origine de l'Academie* de la Cruſca *formée en* 1582. *et ſi celebre par ſon grand Dictionaire de la Langue Toſcane. Les Academiciens de la Cruſca ne negligeoient pas tout à fait les Sciences. Les Diſcours, que Torricelli, celebre diſciple de Galilee, prononca dans leurs Aſſemblées ſur la Legéreté, ſur le Vent ſur la forte infinie du Choc, ſur les Mathematiques, et ſur l'Architecture militaire, ſont une preuve, que le travail de ces Savans s'étendoit autant aux choſes, qu'aux mots.* Nomen habuit Academia et ſymbolum a furfure, quod Diſputationibus ſuis farinam puriorem a furfuribus, ſiue erroribus, ſecernerent Socii. Praecipuum ipſorum negotium fuit exornatio linguae patriae, quod luculenter probat *Vocabulario degli Accademici della Cruſca*, cuius Operis binas recentiores noui editiones. Altera *Venet. a.* 1680. *in f.* eſt exhibita: altera, quae nunc eſt longe praeſtantiſſima, et quarta ordine, *Florent.* ab *anno* 1729. vsque ad *a.* 1738. *eadem forma* Tomisque VI. Florere nobilem hanc Societatem adhuc, HAYMANNVS adſerit *l. c. p.* 422. vbi et alia quaedam de ea profert in medium.

Ibidem

Ibidem *Academia del Cimento* (i. e. Lydii lapidis) anno 1657. inſtituta fuit a Leopoldo Medice, poſtea Romanae Eccleſiae Cardinali. Prima iſti academiae cultura Phyſicae experimentalis eſt adſcribenda, dolendumque, ipſam haud longo poſt temporis interuallo diremtam fuiſſe. Certe id iam contigit ante annum 1685. vti perſpicimus ex *Actis Erud. Lat.* dicto anno *p.* 298. Recenſetur hoc loco RICHARDI WALLERI Interpretatio Anglica, *Londini a.* 1684. *in* 4. euulgata Operis rariſſimi, *Saggi di naturali Eſperienze* inſcripti, quod Academici *Florent. anno* 1666. prodire iuſſerant Secretarii cura, LAVRENTII Comitis MAGALOTTI. Vid. de hoc libro, qui folii habet formam, multisque figuris, aere excuſis, eſt ſplendidiſſimus, CLEMENT in *Bibl. de livres, dificiles à trouver, Tomo VI. p.* 158. *ſq.* Idem Opus ex Italico Latinum in ſermonem tranſtulit, commentariosque ac noua experimenta phyſica adiecit PETR. VAN MVSSCHENBROEK, de quo labore, *Lugd. Bat. a.* 1731. *in 4. mai.* cum variis tabulis aeneis edito vid. *Acta Erud. Lat. a.* 1732. *p.* 125. *ſq.* Laudati conditores Diarii *anno* 1748. *p.* 168. memorant, a KAPPIO in *der Sammlung vertrauter Briefe, welche zwiſchen Leibnitzen vnd Iablonski gewechſelt worden p.* 190. haud tralatitia exhiberi de Academia Etruſca del Cimento. Sed iam quidem non eſt ad manus iſthaec Epiſtolarum Sylloge.

Anno 1735. noua coaluit Florentiae litteratorum Societas, auctore IOH. HIERON. PAZZI, Patricio Florentino, qui anno 1747. vitam cum morte commutauit. Maxime ad rem perficiendam incitauit eundem Anton. Franc. Gorius, vir Italorum doctiſſimus, quem et mors a. 1757. eripuit litteris. Symbolum Societatis duae ſunt columbae collabellantes, cum inſcriptione: *mutuis officiis*; atque inde ſe adpellauit *columbariam.* Collegas mox

nacta

nacta eſt celeberrimi nominis Ioh. Bapt. Paſſerium, Ludov. Ant. Muratorium, Dominic. Mariam Mannium, ipſumque vt alios taceam, Gorium. Is *Florent. a.* 1747. *in* 4. luci publicae expoſuit *Memorie di varia erudizione della Societa Colombaria Fiorentina*, quod primum volumen *Liburni a.* 1752. ſequutum eſt alterum. Vtrumque figuris aeneis ornatum breuiter recenſetur in *Actis Erud. Lat. a.* 1757. *p.* 289. et *p.* 378. *ſq.* De primo, haud dubie per errorem, iam actum *ibidem a.* 1756. *p.* 258. Patet hiſce ex ſpeciminibus, iſtam Societatem praecipue occupatam eſſe in illuſtrandis argumentis, ad Antiquitates resque criticas et phyſicas pertinentibus. Poſt Gorii Praefationem, quae Volumini I. praemiſſa, occurrit PERVZZII de hac Societate notitia, ex qua plura poſſunt hauriri.

Forum Livii antiquiſſima ſuperbit Academia. Eam anno 1370. inſtituit IAC. ALLEGRETTI, nulli tunc eruditione ſecundus, maxime in ſtudio aſtronomico, medico, ac philoſophico. Primorum Academicorum complures excolendae Poeſi operam nauarunt. Interturbauit tamen laeta initia publica calamitas, Guelficae enim factionis oſores omnia miſcuerunt ſeditione atque caedibus. Ipſa eſt hac occaſione ſtirps Allegrettii ruina oppreſſa, Sinibaldusque Ordelaffius ſolium recepit maiorum, a Gibellinis ſuſtentatus. Ordelaffii reuocarunt, ad Academiam denuo inſtaurandam, Allegrettium exſulem. At quum in Sinibaldi potentatum nimium conſurgerent vniuerſi, inde ſunt etiam Allegrettio mala enata; ideoque is conceſſit Ariminum, vbi nouum Parnaſſum conſtituit, abiitque ex vita. Antonius poſt Orcius reſtituit Foro Liuii Academiam, nomenque *Philergitorum* adſumſere ſocii. Incidunt haec fere in medium ſaeculi XV, quo ad finem decurrente Academicis cognomen

pla-

placuit: *Addimeſticati.* At mox praeſtare viſum eſt cognomen antiquum. Excelluerunt in hac Societate Iac. a Turre, nouus Ariſtoteles dictus, cuius multa proſtant Opera medica; Flauius Blondus, Hiſtoricus celeberrimus, de quo BAELIVS, NICERONIVS, aliique agunt; Fabricius Paduanus, Philoſophus ac Medicus, cum Ioſepho Iuſto Scaligero coniungendus, quod primam vterque emendandae Chronologiae manum admouit, Hieron. Mercurialis; Ioſeph. Lanzonus; Ioh. Bapt. Morgagni, Anatomicorum inter praecipuos; Ludov. Anton. Muratorius, caet. Vid. omnino GEORGII VIVIANI, Marchionis BONACCVRSII, *Memorie ſtoriche dell'antica ed inſigne Accademia de Filergiti della Citta di Forli*, quod Opus, *Fori Liuii a.* 1741. *in* 4. excuſum, in epitomen redactum eſt a Collectoribus *Actor. Erud. Lat. a.* 1749, *p.* 501. Primum doctrinae ſuae ſpecimen Academici edidere *anno* 1699. per OCTAVIANVM PETRIGNANVM, Academiae ab epiſtolis. Idem *Fori Liuii anno* 1714. *in* 4. exhibuit Volumen alterum, ſic inſcriptum: *Saggi de' letterati Eſercizii de' Filergiti di Forli.* Plurium Voluminum ſpes tum eſt facta, quae neſcio an optatis reſponderit. Cf. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1715. *p.* 349.

§. IX.

De quibusdam Societatibus *Mediolanenſium* litterariis, ſcilicet *Academia Transformatorum* 1546. et *Inquietorum a.* 1594. inſtituta, *Ariſophorum*, *Parteniorum*, *Intentorum*, *Accuratorum*que differit HAYMANNVS *l. c. p.* 411. *p.* 425. et *p.* 434. *ſq.* Copioſius autem hoc argumentum pertractatum inuenies apud IARKIVM *l. c. Cap. II.* quod totum agit *de Academiis artium et ſcientiarum Mediolanenſibus.* Addenda his IOSEPHI ANT. SAXII *de ſtudiis litterariis Mediolanenſium antiquis et nouis* Commentatio, *Mediol. a.* 1729. *in* 8, vbi varia quoque occurrunt,

quae

quae hic ſunt vſurpanda. Non patitur Operis mei ratio, vt ſingulas haſce ſocietates fuſius deſcribam. Itaque de nonnullis tantum facere aliquid verborum licebit, ac primum quidem de *Collegio Ambroſiano.*

Comparandum hoc eſt vtique, cum antiquo illo Muſeo Alexandrinorum, ſuamque debet originem Friderico Borromaeo, Eccleſiae Romanae purpurato. Collegerat is Bibliothecam ampliſſimam; quo incomparabili theſauro ne deeſſent, qui vterentur et inde partis doctrinae copiis rem eccleſiaſticam et litterariam amplificarent, conſcribendos homines eruditos cenſuit annuisque ſtipendiis alendos. Itaque a Paulo V. Pontifice impetrauit, vt dato anno 1605. diplomate rem omnem ratam haberet, atque ex Ticinenſi Borromaeorum Collegio, ad arbitrium Friderici, adimeret annui reditus aureos mille, et in coetum Ambroſianum Collegas non niſi duodecim eſſe cooptandos ſtatueret, quorum quatuor diutinam operam Theologiae impenderent, reliqui caeteris diſciplinis vacarent. Omnibus autem iniunctum, vt ſinguli lucubrationes aliquot ederent in vulgus. Addita ſunt Collegio, eodem Diplomate, praeter alia commoda, decora et ornamenta; nempe Doctores vniuerſi Romanae donantur ciuitatis iure, imo antiquiſſimis vrbis ciuibus adſcribuntur; Palatii aulaeque Lateranenſis Comites ac milites creantur, creatique iis honeſtantur praerogatiuis, quibus caeteros Comites militesque Pontificum cumulauit munificentia. Hac munitus auctoritate Borromaeus, Romanorum ſacrorum curam egit maxime, et ex Mediolanenſi Clericorum Seminario doctiſſimum quemque euocauit, Mediolanenſes tamen patria, aut certe prouinciae agrique Mediolanenſis accolas, quo Inſubrum dignitati ſtuderent impen-

Digitized by Google

impenſius. Ex his igitur adoleſcentes octo ſelegit, qui iam ſtudiorum carceribus egreſſi metam attigerant, et ad ea erant munia obeunda idonei, quibus a conditore deſtinabantur. His praecipue variarum linguarum culturam commendauit, ſtipendiisque arceſſiuit magiſtros peritos, quorum ductu Collegii Doctores Ebraici, Perſici, Arabici, Armeni et Abyſſini ſermonis comparare ſibi notitiam poſſent. Edixit praeterea, vt exercitationum frequentia collegae ingenia ſubigerent, atque in aedibus Sepulchri haec recitandi ſtudia adgrederentur. Imo ſaepius ipſe adfuit Borromaeus, ſuorumque volenti animo audiuit lucubrationes, ſiue quis Theologiae et aliatum ſcientiarum recondita explicaret, ſiue litterarum ſuauiorum mella depromeret. Recitabantur autem de ſcripto commentationes, typis poſtea diuulgandae, neque quisquam initio intra horae vnius anguſtias cogebatur, quod poſtea factum eſt demum, ad auertendam longioris morae moleſtiam. Septimo quouis die praelectae fuerunt a Doctoribus Collegii diſſertationes, conſtitutumque, vt tertio quouis anno excuderentur in officina chalcographica, eo conſilio adornata. Triceſies autem quotannis traditur congregatos eſſe collegas in aedibus Bibliothecae vicinis, et in ſingulis conuentibus binos horum penſa recitaſſe ſua duarum horarum ſpatio. Vid. IARKIVS *p.* 30. *ſq.* vbi et primi huius Collegii Doctores nominantur. Florere illud ipſum adhuc, patet ex iis, quae HAYMANNVS, auctore KEYSSLERO, *p.* 439. memorauit.

Medio ſaeculo ſuperiori exorta eſt *Faticoſorum*, ſeu laborioſorum, Academia, in Conuentu Patrum Theatinorum S. Antonii inſtituta, et nunc etiam ſuperſtes, quantum ſciamus. Nomen ideo accepit, quoniam labore perpetuo exerceri debebant inge-

ingenia. Stato die, quo iuuentus feriatur a ſcholis, conuenire olim quidem, frequentes Academici, dicere de ſcripto, vnusque declamare e roſtris ſolebat: faſtidium interea ſi quod animis crearetur, leuabatur carmine ac ſymphonia. Clari quique homines inuitabantur ad huncce coetum, litteratique viri, Lucas Aſſarinus, Alexander Perlaſca, et alii plures eidem nomen dederant. Etruſci ſermonis nitor ante oculos erat praecipue, ſiue adſtricta, ſiue ſoluta numeris adferretur oratio, ad vincendam regionis barbariem. Faſtos Academiae, quibus origo eius et ſucceſſus exponitur, PETR. IOSEPH. ALBERIZZI confecit, Medicus Mediolanenſis, et Academiae a ſecretis; ſed imperfectum reliquit Opus, in flore aetatis quippe anno 1722, exſtinctus. Haec ex IARKIO *p.* 50. *ſq.*

Anno circiter ſaeculi noſtri viceſimo nouam accepit Mediolanum Societatem, *Palatinae* nomine inſignitam, quae quidem ab aliarum Academiarum inſtituto propterea videtur aliena eſſe, quoniam neque diſſertationum neque carminum recitandorum cauſſa conuenire conſueuit, ornandaeque potius et amplificandae rei typographicae curam vnice conſecrat; illuſtrem tamen inter ſocietates, e'quibus Reipublicae litteratae plurimum naſcitur commodi, iure meritoque ſibi locum vindicat. Tantam ciuitas florentiſſima chalcographicae artis fecerat iacturam, vt vix vllus formandis nouis characteribus artifex ſupereſſet. Huic impedimento vt obuiam iret Philipp Argelatus, quum diu conſilium animo voluiſſet, omnesque huic rei fortunas impendere conſtituiſſet, deſtinata communicauit cum Comite, Carolo Archinto, cuius officiis, ſuaſu hortatuque effectum eſt, vt ſedecim viri, ex antiquiſſimis nobiliſſimisque familiis oriundi, coirent, ſingulique quatuor Scutatorum millia, pro com-

comparanda ſupellectile, operisque conducendis, numerarent. Auxit beneficia Hieron. Comes Colloredus, a Caeſare tum Ducatui praefectus, qui paratos iam typographorum labores in ſuam recepit tutelam, iisque aptiſſimum in ipſis aedibus regiis locum conceſſit. Symbolum Societatis eſt ſerpens, ſeu natrix, quae flumine relicto, campos petit ſolisque radios, adſcriptis verbis: *incaluere animi.* Primus officinae typographicae partus fuit auguſtum Opus et pretioſum, quod rerum Italicarum Scriptores ab anno aerae Chriſtianae D. vsque ad annum MD. exhibet, Tomosque maioris formae XXIV. complectitur. Cf. IARKIVS *l. c. p. 60. ſq.*

In regno Siciliae *Panormum* pluribus olim illuſtre fuit Societatibus, quae tamen omnes haud ad ſummam peruenerunt aetatem. Fuerunt hae: *Accademia della lingua Italiana*, a Friderico II. Imperatore Romano, Siciliaeque Rege, anno 1231. condita, ſed cum obitu eius a. 1250. exſtincta; *Accademia de' Solitari*, auctore Paulo Caggio a. 1549. exorta, et ideo ſic vocata, quoniam Socii in villa quadam, vrbi vicina, murisque proxima, congregabantur, quae vero Societas deſiiſſe poſt annum 1554. videtur; *Accademia degli Acceſi*, Directore Franc. Ferdin. d' Avalos a. 1568. inſtituta, quae litteras politiores, et ſpeciatim Poeſin patriam, coluit, annoque 1579. diſperſa fuit; *Accademia de' Riſoluti*, auſpiciis Fabricii Valguarnera, Lib. Bar. de Godrano, a. 1570. erecta, quoniam is, certis de cauſſis, Academiae Accenſorum intereſſe nolebat. Euanuit cum eius morte, quae in annum 1581. incidit; *Accademia degli Opportuni*, tribuenda Girolamo di Giovanni, circa annum 1577. at quae diſſoluta eſt paullo poſt, conditore in aulam Hiſpanicam ſecedente. De his aliisque VINC. PARISIVS

 ante

ante annos aliquot Orationem *Panormi* euulgauit, ex qua potiora commemorantur in *den Hamburg. freyen Vrtheilen anni 1759. Parte XCVIII.* et *XCIX. p.* 777. et *p. 788. ſq.* Quod ad Academiam Accenſorum attinet, de ea ex MONGITORIS *Bibl. Sicula Acta Erud. Lat. a. 1708. p. 540* haec expoſuerunt: *In ipſo Operis fronte notitiam Autor ſuppeditat de Academia Accenſorum Panormitana, quae prima inter Siculas Academias litteras politiores excoluit, ſuaque auſpicia cepit A. 1568. Conuentus celebrabantur in D. Dominici Fratrum Praedicatorum coenobio, vbi in peruetuſto S. Barbarae ſacello (ſub cuius tutelari vmbra clarebat) coibant Academicorum coetus, et eruditis confabulationibus ingenia virtutis famaeque gloria accenſa mirum in modum incaleſcebant. Huius ſymbolum fuit luna renata cum epigraphe:* Reuertens colligit ignes, *ex Virgilii Georg. Inde mutato conſilio aliud delegit, nempe alambicum igni ſuperimpoſitum, cuius vi ex oleribus floribusque occluſae eliciuntur virtutes ad vtilitatem pariter et voluptatem, adiecto lemmate:* Virtutes elicit arte. *In ea Societate viri illius, aeui praeſtantiſſimi recenſebantur, deficientibus vero paullatim illius conditoribus frigere coepit litterarum ardor. Sed non multum poſt eruditorum ſtudium ſub Reaccenſorum nomine iterum incaluit, vt altero Tomo fuſius Auctor oſtendet.* Factum id ipſum a Mongitore in dicto *Tomo II. p. 198.* vbi docet, Academiam *Reaccenſorum* ex academia Accenſorum exſtincta effloruiſſe anno 1622. et aliquamdiu in ipſo palatio regio congregatam fuiſſe, multaque prodidiſſe amoenioris ingenii ſpecimina, ſed et ipſam, ſucceſſu temporis, concidiſſe. Habuit ſymboli loco ſilicem, chalybe repercuſſum, ex quo ignis eliciuntur fauillae, ad reſtaurandum ignem emortuum, cum verbis Etruſcis: *A Pro degli Altri.* Vid. *Act. Erud. Supplem. Tomo VI. p. 498.* Hodie Panormi duae ſunt Academiae,

miae, prae caeteris illuſtres, altera *degli Iatrofiſici:* altera *del buon guſto.* De illa nihil amplius innotuit mihi; haec vero nata eſt anno 1718. ac de inueſtiganda hiſtoria, rebusque memorabilibus patriae admodum ſe praebet ſollicitam. Protulit iam *anno 1755. Panormi in 4. Saggi di Diſſertazioni dell' Academia Palermitana del buon guſto.* Prima ſtatim DOMINICI SCHIAVI Diſſertatio de origine tot Academiarum Panormitanarum agit. Didici haec a Lipſienſibus in *den gelehrten Zeit. a. 1757. p. 41* vbi tamen monetur, inter varia ſingularia multa exſtare ſimul haud magni momenti.

Patauii ſub anni 1732. exitum Societas inſtar Philarmonicorum Veronenſium coiit, artem poeticam iuxta muſicamque excultura. Conſtituit nunc illa corpus ſingulare, legibus conſenſu Sociorum firmatum, qui et nomina iisdem ſua ſubſcripſerunt. Vocantur hi Academici, *i Geniali*, ſymbolumque ſibi Genium elegerunt, qui ſerto ex floribus contexto citrum coronat cum inſcriptione: *neque otium, neque negotium.* Publicarunt etiam varia ingenii monumenta, inter quae cum primis laudatur Ode paſtoralis, cui titulus: *Narciſſo il fonte.* Deſumſi iſthaec ex *Actis Academicis anni 1733. p. 119.* De origine et progreſſu Academiae Patauinae, cuius Socii *Ricovrati* nominari ſolent, non nihil actum eſt in CAMPOSANPIERI Oratione, *ibid. a. 1737. in 4.* Italice edita, cuius meminerunt *die Hamb. Berichte von gel. Sachen, anni 1737. p. 564.* Academia *elegantiorum litterarum*, quae neſcio an adhuc ſuperſit, *Regium Lepidi* inſigniter olim ornauit, Deſcripſit illam data opera IOH. GVASCVS in *Storia letteraria dell' Academia di belle Lettere in Reggio.* Prodiit liber *Regii anno 1711. in 4.* fuſiusque recenſetur in *Supplem. Actor. Erudit. Tomo VI. p. 529. ſq.* quo ex loco adferam

ram notatu digniſſima. Primus ſcilicet ad fundandam ibi Societatem litterariam animum anno circiter 1540. adplicuit Sebaſtianus Corradus, qui, quum litteras Graecas Latinasque doceret in patria, quosdam ex auditoribus, quos paullo perſpicacioris nouerat ingenii eſſe, ſelegit et cohortatus eſt, vt feſtis diebus commentandi, meditandi legendique cauſſa conuenirent certo loco, Academiae nomine inſignito; atque hos ipſos, *Accenſos*, nempe litterarum ac virtutis amore, vocabat. Circa annum 1570. imminuto propter mortem ac diſceſſum nonnullorum Academicorum numero Accenſi dicti fuere *Politici*. Horum vero coetu anno 1587. nimium decreſcente, omnes Regienſes litterati admiſſi ſunt in Societatem, ſumto *Eleuatorum* nomine, vt eo ipſo emergendi ardor indicaretur. Symbolum, ne cum Ferrarienſi ſimilis cognominis Academia Regienſis temere permiſceretur, aquila tum fuit, medullam ex ramo cedrino protrahens, adiectis verbis: *Hoc virtutis opus*. Tutorem ſibi conſtituebant Academici S. Antonium Patauinum: annuumque Principem et Cenſorem, Adſiſtentem item et Cancellarium, inter ſe creabant. Publice congregati quum eſſent, introducto Principe oratio nunc Latina, nunc Italica habebatur; alio tempore praelegi ſolebat locus ex Poeta vel Hiſtorico quodam; non nunquam ipſi Socii, quae elaborauerant, recitabant, eorumque iudex Princeps erat. Et huius nomine Secretarius omnibus, quae a membris Societatis edebantur, ſubſcripſit hacce formula: *Principe exſiſtente excellenti Viro* N. N. *Subleuatus N. N. ſcriba ſubſcripſit*. Viguit Eleuatorum Academia praecipue ab anno 1597. vsque ad annum 1620. quo interuallo complura Opuſcula poetica, typis impreſſa, ex eadem prodiere. Tum deminuto ſenſim Academicorum grege, anno 1650. peni-

penitus obſcuratus eſt Societatis ſplendor. Regii nimirum peſtis tetra ſaeuierat, eamque exceperat bellum, vnde inſigne damnum et in hoc inſtitutum redundabat. Conſeruare interim dignitatem illius ſtudebat, praeter alios, Franc. Peruccius, cuius pompae funebres omnium nationum, Italica lingua, *Veronae a. 1639.* primum ſunt euulgatae. Remotis impedimentis Academia denuo, et anno quidem 1666, caput erigere coepit. Quidam certe nouo ſunt rem ardore adgreſſi: nomen autem Eleuatorum cum *Fumoſorum* adpellatione permutarunt, ſymbolumque elegerunt ſibi aceruum ligni fumantis, in formam rogi erectum, addita inſcriptione: *extenſa luce purpuraſcet.* Tandem, in integrum feliciter reſtituta Academia, *Mutorum* adſciſcere placuit nomen, quod anno 1673. factum. Eorum, qui tunc fuerunt Collegae, memoriam ſecundo Volumine ad poſteros propagare Guaſcus voluerat; ſed caruit ſucceſſu conſilium, quod aegre ferendum omnino, quum ſatis dextre Academicorum, ad hunc vsque annum cognitorum, expoſuerit merita.

§. X.

Apud *Romanos* ſaeculo quinto ac decimo Societatem *Abbreuiatorum*, vt bonae litterae colerentur, a viris egregiis conditam, ſunt, qui perſuadere nobis tentarunt. Collocant etiam horum in numero Barthol. Platinam, Pomponium Laetum, Philipp. Callimachum, a patria Florentina vocatum Geminianum, Ioh. Iouianum Pontanum, Marc. Ant. Coccium, cui praeceptor eius, Laetus, Sabellici dedit nomen, et Iacob. (poſtea dictum Actium Sincerum) Sannazarium. Paucis notitiam huius Societatis OCTAV. FERRARIVS ſuppeditat *Proluſ. IX. p. 110.* edit. a Ioh. Fabricio *Guelpherb. a. 1711. in 8.*

in 8. exhibitae. Sequitur ibi tradita FRID. HANNIBAL STEMPELIVS in Diſſert. *de Societate Abbreuiatorum Romana*, *Ienae a. 1704. in* 4. Noli tamen credere, verum ſcripti huius auctorem eſſe Stempelium, Praeſidis licet ſuperbientem titulo. Omnia potius tribuenda GE. NICOL. KRIEGKIO, qua de re vid. *Lexicon Erud. Ioecherianum* v. Kriegk, *in edit. nouiſſima.* Is vero ſollicitus eſt magis de vitis eorum enarrandis, quos huius Societatis membra conſtituerat Ferrarius, quam de ipſa eiusdem hiſtoria. Examinauit poſtea et exploſit libellum HEVMANNVS in Sched. *de Anon. et Pſeudon. P. II. cap. 2. p. m. 137. ſq.* in MYLII *Bibliotb. Anon. et Pſeudonymorum.* Inter alia ſic diſſerit Vir doctus: *Tota illa Abbreuiatorum Societas eſt mera chimaera et fabula iſthaec recens excogitata natales debet Octauii Ferrarii verbis male intellectis Proluſ. IX.* Papa (Paulus II.) initio regni Abbreuiatorum ordinem ſuſtulit, inter quos et Platina. *Eſt enim Abbreuiatorum ordo ſingulare munus in aula Pontificis Rom. eorum, qui ad epiſtolas et alia ipſius nomine ſcribenda adhibentur. Epiſtolae enim Pontificis vulgo* Breuia *vocantur: vnde* Abbreuiatorum *appellatio.* Tandem, aliis ad confirmandam ſententiam ſuam adlatis, haec profitetur Heumannus: *Cum metuam, ne error ille propagetur, quippe Societate illa Abbreuiatorum iam a celeberrimo quodam viro* (intelligi Struuium facile perſpiciendum) *in hiſtoriam litterariam relata, prouidendum duxi, ne ſerperet latius.* In ſubiecta etiam alteri editioni nota ſequentem in modum ſcribit Auctor: *Recte me ſuſtuliſſe Stempelianum errorem, agnouerunt docti Itali in Giornale de Letterati d' Italia T. XIII. p. 420, et 421. Ac eruditus quoque ſcriptor editi ab anno 1708. Ausführlichen Berichts von neuen Büchern p. 1056. iudicat, me errorem Stempelii refutaſſe* ganz Sonnenklar. *Iuuenilem igitur* ἀκρισίαν *oſtendit, qui in Miſcellaneor. Lipſi-*

Lipſienſ. T. I. obſeru. XV. erroris huius ſuſcepit patrocinium: haud perfunctorie in rectam viam reuocatus a Burmanno in Praef. ad Tomum quintum Theſauri Antiqu. et Hiſtor. Italiae p. 15. ſq. Ille, qui Heumanno contradixerat, eſt GE. ERN. WALCHIVS, Rector Gymnaſii Schleuſingenſis in Comitatu Hennebergico, qui *Miſcell. Lipſ. l. c. p. 144. ſq. de Societate Abbreuiatorum Romana* egit. Enimuero tantum abeſt, vt argumenta prolata Heumanno priorem excutere opinionem valuerint, vt pluribus potius eandem comprobauerit, *Miſcell. Lipſ. Tomo III. obſeru. 54.* quae inſcripta eſt *de fabula Societatis Abbreuiatorum Romanae.* Neque dubium eſt mihi, quin is acutius viderit Stempelio Walchioque.

Interim credo, ad hunc errorem committendum occaſionem forſitan obtuliſſe Societatem illam eruditorum, Philoſophiae cum primis Platonicae addictorum, quae hoc ipſo ſaeculo XV. Romae coaluit, et auſpiciis quidem Beſſarionis, R. E. Cardinalis. De hoc enim CHRIST. FRID. BOERNERVS in libro *de doctis hominibus Graecis p. 64.* refert, ipſum, quum a negotiis publicis vacans eos, quos in contubernium ſuum admiſerat, optimis imbueret praeceptis, domum ſuam, quam ſub colle Quirinali habuerit amoenam et amplam, ſapientiae officinam, diſputandique de rebus, ad veram eruditionem pertinentibus, conſtituiſſe palaeſtram, ea florentem exiſtimatione, vt, quotquot Romae agerent, ingenio doctrinaque praeſtantes viri illam frequentarent. Contigit hoc Eugenio IV. Pontifice, quem nouimus anno 1447. vitam cum morte commutaſſe. Princeps fuit Sociorum Pomponius Laetus, qui et priuatis in aedibus quondam Academiam bonarum artium conflauerat cum iuuenibus diſcendi cupidis, quae veluti ſeminarium erat illi-

us, a Beſſarione conditae. Ornarunt eandem reliqui viri doctiſſimi, iam ſupra, vbi de ficta Abbreuiatorum Societate ſermo fuerat, nominati: quod coniecturae meae, paullo ante prolatae, non parum, ni fallor, roboris addit. Receptorum capiti corona imponi laurea ſolebat, ſemper ferenda in conuentu Sociorum. Quid actum deinde ſit Pauli II. temporibus, ipſe PLATINA in *Vita Pauli II. p. m. 785. edit. 1645. in 12.* abſolutae, quodammodo indicat his verbis: *multa nobis obiicit* (Pontifex) *ſed illud potiſſimum, quod de immortalitate animorum diſputaremus, teneremusque opinionem Platonis, quam diuus Auguſtinus Chriſtianae religioni ſimillimam eſſe cenſet.* HAYMANNVS in *der Geſchichte der vornehmſten Geſellſchaften der Gelehrten*, vbi *p. 356. ſq.* copioſe de hac Beſſarionis Academia diſſerit, *p. 363.* locum Platinae male intellectum hanc in rem adduxit, qui ita ſe habet: *de litteris, de armis, de praeſtantibus ingeniis tum veterum, tum noſtrorum hominum loquebamur.* Exinde prono fluere alueo exiſtimat, eiusmodi ſermones inſtitutos ab Academicis fuiſſe. Facile id conceſſerim quidem; haec tamen verba plane nihil faciunt ad probandam ipſius ſententiam. Scribit enim Platina ſe, iuſſu Pontificis, vehementer cruciatum, et in cubiculum delatum eſſe ſemimortuum, nec ita multo poſt reuocatum a quaeſtoribus, bene potis ac pranſis. Tunc *aderat*, pergit, *et Laurentius Archiepiſcopus Spalatrenſis. Petunt, quid mihi colloquii fuerit cum Sigismundo Malateſta, qui tum in vrbe erat. De litteris, inquam, de armis, de praeſtantibus ingeniis, tum veterum, tum noſtrorum hominum loquebamur, deque his rebus, quae in hominum colloquia cadere poſſunt.* Iſta tamen velut in tranſitu. Multa duriora perpeſſa eſt Academia ſub dicto Pontifice, qui, PLATINA teſte *p. 793.* humanitatis ſtudia ita oderat et contemnebat, vt eius

vt eius ſtudioſos vno nomine haereticos adpellaret: hancque ob rem Romanos adhortabatur, ne filios diutius in ſtudiis litterarum verſari paterentur, ſatis eſſe, ſi legere et ſcribere didiciſſent. Haereticos enim eos pronunciauit Paulus, qui nomen Academiae vel ſerio, vel ioco, deinceps commemorarent, pluresque eidem Societati adſcriptorum captos et ſubiectos tormentis, inter quos ipſe fuit Platina, coniurationis, maieſtatis laeſae, quid? quod et impietatis in Deum reos fecit. Statim, vbi magiſtratum iniit, Abbreuiatores ſimul omnes, quos Pius II. in ordinem redegerat, tamquam inutiles et indoctos, vt ipſe dicebat, exauctorauit. Horum ſe de numero fuiſſe, Platina profitetur *p. 767.* paulloque ante ſequentia intermiſcet: *Erat quidem illud collegium refectum bonis ac doctis viris. Inerant diuini atque humani iuris viri peritiſſimi. Inerant poetae et oratores plerique, qui certe non minus ornamenti ipſi curiae afferebant, quam ab eadem acciperent.* Noſtra tamen aetate defenſorem nactus eſt Pontifex QVIRINVM, Cardinalem, quippe qui *Romae anno 1740. in 4.* edidit MICH. CANENSII *Vitam Pauli II. ex Codicibus Angelicae Bibliothecae deſumtam*, cui praemiſit Pontificis huius Vindicias aduerſus Platinam, aliosque obtrectatores Vid. *die Leipz. gel. Zeit. a. 1741. p. 385. ſq.* Si rem omnem adcuratius perpenderimus, haud erit negandum facile, Platinam iuſto dolore abreptum nonnulla ſcripſiſſe, quae peccatorum augere atrocitatem videntur; at a veritate deſciſcere quaecumque de hoc argumento ſcripſit, Paulumque innoxium penitus carpi, ego quidem perſuadere mihi non poſſum. Poſt mortem huius Pontificis, anno 1471. apoplexia exſtincti, caput iterum erigere coepit Academia, et extra Romam Neapoli quoque dilatata eſt, vbi exemplo eius Angelus Colloccius aliam inſtituit, cui

deinde praefuit Ioh. Iouianus Pontanus. Ab eo nomen accepit *Academiae del Pontano*, inque ipſam tranſiit Sannazarius; quo anno 1530. mortuo, forte ſimul Academia exſpirauit. Cf. IOH. ANT. VVLPII *Vita Sannazarii*, Poematibus eius, *Patauii a. 1731.* nitide excuſis, praefixa, *p. 9.* et SCHELHORNIVS ad QVIRINI *libr. de optimor. Scriptorum editionibus Romanis p. 165. ſq.*

Ineunte ſaeculo XVII. et anno quidem 1603. Romae coepit *Academia Lynceorum*, a lyncis dicta ſymbolo, quae, ERYTHRAEO memorante, auctorem habuit Angelum Caeſium, Ducem Aquae Spartae, mathematicarum et phyſicarum rerum longe amantiſſimum. De eo ſic ſcribit laudatus Italus *Pinacoth. III. cap. 23. Ad ſui aliorumque exercitationem, publicam domi ſuae Academiam inſtituit, quam Lynceorum nomine appellauit, in qua et ipſe, quoadvixit, principatum obtinuit. Auctor erat Academicis ſuis, vt aliquid ſcriberent; cuius auctoritas eo maius apud eos pondus habebat, quod ſuum ad illam exemplum accendebat, qui nullum ſcribendi finem faciebat; ac ne ad ea, quae docte eruditeque compoſuiſſent, in lucem edenda, ſumtuum faciendorum metu deterrerentur, pecuniam ipſe de ſuo largiebatur. - - - Quid multis opus eſt? Eo Angeli Caeſii in operibus eruditorum typis mandandis liberalis ac regius progreſſus eſt animus, vt nulli neque ſumtui, neque labori pepercerit, quo Nardi Antonii Recchi nouae Hiſpaniae rerum medicarum liber, qui antea latitabat, in hominum conſpectum exiret. Nam et ſumtus ad id neceſſarios praebuit, ac doctiſſimis ſuis Lynceorumque ſuorum commentariis illuſtrauit atque auxit.* AVGVSTIN. FAVORITVS in *Vita Virginii Caeſarini* ortum huius inſtituti ad Frider. Caeſium, parentem Angeli, retulit. Sed facile iſta ſunt inter ſe concilianda, ſi ea legerimus, quae

HEY-

HEYMANNVS *l. c. p. 429.* probabili quadam conie-ctura ductus propoſuit. Fuit autem, eodem Fauo-rito teſte, Academiae negotium praecipuum, vt inuſitati rerum euentus in diſputationem vocaren-tur, cauſſae ſedulo indagarentur, vetusque Philo-ſophia omnis, Ariſtotelica inprimis, obſeruationi-bus, aliisque experimentis, euerteretur. Chymi-ca eo conſilio excolebant diligentiſſime Socii, qui-bus conuelli doctrinam Ariſtotelis putabant, idque Virginium Caeſarinum feciſſe prae caeteris Fauori-tus memorat. Vid. MORHOFII *Polyh. Tomo I. lib. 1. cap. 19. ſſ. 21. p. 142. edit. nouiſſ.* Eximii profecto homines hanc nobilitarunt Academiam, v. g. Gali-laeus a Galilaeis, (de quo in *Bibliotb. Italique Tomo II. p. 30.* recte adſeritur: *qui donna lui ſeul plus de relief à cette Academie, que tous les autres.*) Fabius Colonna, ſeu Columna, et alii plures, quorum hi-ſtoriam integro Volumine conſcripſit olim, at non-dum abſolutam reliquit, Martin. Fogelius, Ham-burgenſis. Vſus eſt eius ſchedis, confuſis admo-dum ac mutilis, quae nunc in Bibliotheca Ducali Guelpherbytana ſeruantur, IANVS PLANCVS, ſiue Iohannes Bianchus, quum exponendam ſibi ſume-ret Lynceorum Notitiam, COLVMNAE adiectam *Phy-tobaſano*, qui liber, antea rariſſimus, *Florentiae a. 1744. in 4. mai.* cum tabulis aeneis quam plurimis, Editoris impenſa, longe pulchrior auctiorque re-cuſus eſt. Recenſetur in *Supplem. ad Noua Acta Erud. Tomo VIII. p. 97. ſq.* qui locus demum, poſtquam haec litteris mandaueram, oculis meis occurrit. Addi debent igitur et emendari vel neglecta ab ali-is, vel minus recte ſcripta. Primum autem do-ctiſſimus Plancus monet, Caeſium ab Erythraeo male vocari *Angelum*; Fridericumque, verum Aca-demiae conditorem, confundi ab eo cum fratre, Arimini Epiſcopo, viro morum ſanctitate inſigni,

qui

qui anno 1646. obierit. Deinde ſignificat, viguiſſe inſtitutum ab anno 1603. vsque ad annum 1630. adeoque ſeptem ac viginti annos. Tunc enim Fridericum illum Caeſium, vix quinque et quadraginta habentem annos, viuis eſſe ereptum. Poſt immaturum hunc obitum, et aduerſa Galilaei fata, de quibus in vita eius agunt Biographi, exſtinctamque Neapoli, Regis Hiſpaniarum iuſſu, Lynceorum coloniam, ſi vera quidem notauit Fogelius, Academiam deſiiſſe, Plancus teſtatur; etſi compertum ſit, multos Academicos, vsque ad ſaeculi proxime elapſi dimidium, Lynceorum retinuiſſe nomen, illudque librorum ſuorum titulis adiunxiſſe. Praemiſſis hisce, et aliis, quae ad inſtituta, et inuenta Academicorum ſpectant, viginti Capitibus Lynceorum ſingulorum Elogia exhibet Plancus, neque ſilet eos, de quibus an certiſſime tales fuerint, nondum adcurate conſtat. Scenam aperit Fridericus Caeſius, quem refert, in vſum Academiae, Bibliothecam et hortum botanicum inſtruxiſſe, machinas, ſeu inſtrumenta varia, inueniſſe, plerumque Lynceis ſuis conceſſa, et eorum quemlibet annulo donaſſe aureo, cui lapillus ſmaragdinus fuerit incluſus, cum inſculpta Lynce, et epigraphe, ſui Academicique nominis indice. Haec fata illuſtris fuerunt Academiae, quam primam omnium ſcientiarum Academiam vocat Auctor; quandoquidem Phyſicae experimentali, Aſtronomiae, Anatomiae, Chymiae, Botanicae, et Hiſtoriae naturali ſit conſecrata. Eandem nunc anno 1745. celeberrimus Plancus Arimini reſtituit, eiusque nouae Leges in Ephemeridibus Florentinis dicti anni 1745. commemorantur. Vid. *Acta Erud. Lat. a.* 1747. *p.* 320. Alibi ſcilicet *anno* 1757. *p.* 246. laudatur Planci Muſeum veterum numiſmatum, inſcriptionum, idolorum, inſtrumentorum, teſſerarum, figlinarum, vna cum

ſelecta

ſelecta Bibliotheca et Muſeo rerum naturalium, quibus in rebus, vt in Botanica, Anatome, caeteriſque diſciplinis poſſeſſor multum valeat. Atque haec demonſtrant, Plancum ad inſtaurandam Lynceorum Academiam haud illotis manibus acceſſiſſe.

§. XI.

Sub idem tempus, quo Lyncei coierant, Romae progerminauit *Academia Humoriſtarum*, a Paulo Mancino condita, de quo ERYTHRAEVS *Pinacotheca I. cap. 13.* adfirmat, eum domi ſuae, in celeberrima Vrbis parte locatae, Humoriſtarum Academiam inſtituiſſe, praeſtantiſſimis hominum ingeniis refertam; cuius nominis fama breui totam Italiam peruaſerit, atque Alpes conſcendens, et maria transmittens, apud omnes eas nationes permanauerit, vbi aliquis bonis litteris honos habetur; adeo, vt ſcribentis aetate apud doctos viros nihil prope fuerit Academia iſta celebrius. Occaſionem inſtituto dederant Mancini, nobiliſſimo genere nati, cum Victoria Caporia nuptiae, ad quas inuitati amici amoenioris ingenii, ſuaſu impulſuque Caſp. Saluiani, omnium in conſpectu comoediam quandam repraeſentarunt. Quod quum feliciter perageretur, ſtatim de Academia congreganda Mancinus cogitauit, conſiliisque vſus potiſſimum eſt laudati Saluiani. Saepius igitur componebantur et recitabantur comoediae feſtiuae, ad quas ſpectandas audiendasque, tamquam ad rem nouam, ingens confluere hominum copia ſolebat. Hi mirifice delectati eiusmodi exercitationibus, actoribus nomen *Begli Vmori* impoſuere. Arriſit hoc Academicis, ipſique mox ſe vocarunt *degli Vmoriſti*, quo oſtenderent, quantam venerationem tribuant nomini, quod ab aliorum pendet plauſu. Vtrumque vero nomen apud Latinos *ingenia viuaciſſima*, apud Gal-

Gallos *beaux Eſprits* denotat. Adſumto confirmatoque nomine, Symbolum elegerunt nubem ex mari adſcendentem, poſt, in iucundam diffuſam pluuiam, deſcendentem, cum inſcriptione, ex LVCRETIO *lib. VI. v. 637.* petita: *Redit agmine dulci.* Praefectus fuit eruditae huic optimorum ingeniorum Societati Princeps, ſiue Director, plurimorum conſtitutus ſuffragiis, cuius ſub moderamine a quopiam, cui hae partes erant demandatae, recitatum eſt in conſeſſu, quibis celebratus per menſes ſingulos, vel carmen, vel aliquid orationis ſolutae. Quo facto Princeps ab omnibus Academicis vel odas, vel epigrammata, tamquam collectam, exegit; qui tum clara voce, vt ERYTHRAEI vtar verbis *Eudemiae lib. III. p. m. 36. et p. 41.* quicquid nuper pepererant ingenio, exponebant, et vt omnia quae dicta fuerant, recte perciperentur, proferebant iterum atque repetebant. Nec deerat, qui Cenſoris et Secretarii gereret prouinciam, qui ea, quae edenda erant, cenſurae ſubiiceret, atque arcana Academiae negotia tractaret. Caeterum pro regula ac norma in Italia eſt habita, ad quam caeterae Academiae ſeſe componerent. Mortuo Mancino Principes eius fuere Ioh. Bapt. Guarinus; Ioh. Bapt. Marinus, ab anno 1623. vsque ad obitum, quem in Academiae mores nouas ingenii exercendi rationes induxiſſe ERYTHRAEVS *Pinacoth. I. cap. 16.* refert; Camillus Columna; Auguſtin Maſcardus et alii. Inter Socios vero nomen profeſſi ſunt ſuum Nicol. Claud. Fabricius Peireſcius et Gabr. Naudaeus, Galli doctrina illuſtres, Erythraeus etiam locum obtinuit. Floruit ſic Humoriſtarum Academia ad annum vsque 1670. a quo tempore ſenſim decreuit, tandemque penitus concidit. Vltimam in ea lectionem habuerat Ioh. Franc. Albanus, qui quum poſtea in Pontificis euectus eſſet faſtigium, Clementis

mentis XI. nomine adſumto, eandem reſtituit anno 1716. Praeſidemque creauit e gente ſua, Alexandr. Albanum. Adſignauit ſimul inſigni huic virorum doctorum collegio atrium amplum et magnificum Palatii, *Neuers* dicti. Plura de laudata Academia, quae an adhuc exſiſtat ignoro, diſſeruit IOH. CHRISTIAN. FISCHERVS in *Vita Erythraei*, nouae *Epiſtolarum* eius editioni praefixa, *ſſ. XIII. p.* 49. *ſq.* Addatur HAYMANNVS *l. c. p.* 404.

Auſpiciis Chriſtinae, Suecorum Reginae, conſtituta eſt Academia, noſtra etiam aetate longe celeberrima. Initium rei factum Romae a. 1674, quo acutiſſimi elegantiſſimique homines in Palatio Reginae congregati ſunt. Praecipua eorum cura erat, vt Poeſis et eloquentia Italica, artes tunc vehementer corruptae, ad maiorem perfectionis gradum perducerentur. Vix Princeps illa, litterarum amantiſſima, e vita diſceſſerat, quum nonnulli de inſtituto continuando vno ore conſentirent. Solebant enim Ioh. Marius Creſcimbenus, Vincent. Leonius, Ian. Vinc. Grauina, et alii, horis veſpertinis verſari amoeno publicoque in loco, et poeticis recitationibus honeſtum conſumere otium. Quumque anno 1690. in viridi quadam planitie conſidentes eclogas praelegerent, vnus de illis iocoſe *videtur*, inquit, *veterem Arcadiam hic reſurrexiſſe.* Placuit caeteris dictum lepidum, et Creſcimbeno mox anſam dedit, vt ſocietatem arctioribus conſtringeret vinculis, quamque antea meditatus fuerat, Academiam, eam *Arcadum* titulo inſigniret. Ne tamen honoratiore de gradu rixae inter collegas orirentur, ſapienter fuit ſtatutum, vt ſinguli coirent laruis induti, veteriſque ſic Arcadiae paſtores repraeſentarent. Primi eorum conuentus celebrati ſunt in colle quodam Ianiculi; deinde

deinde id factum quoque in pratis hortisque amoenioribus, ſemper autem ſub dio et extra Romam. Dixere haec loca *il Boſco Parraſio*, i. e. nemus Parrhaſium, qua adpellatione adhuc vtuntur, poſtquam Iohannis V. Luſitaniae Regis munificentia, quippe qui Academicis, vt emi ab ipſis fundus poſſet, ad conuentum perpetuum idoneus, quatuor nummorum vncialium millia dono dederat, talem nacti ad montem Ianiculum ſunt, vbi et ouatae ſpeciei theatrum exſtruxere. Inauguratus eſt hicce locus menſe Septembri anni 1726. In eum vero quotannis ſepties confluunt a primo menſis Maii die, vsque ad Octobris ſeptimum; atque ſex quidem conuentus edicuntur paſtorum gratia, Romae commorantium, qui poemata ſua recitant ipſi, praeter Cardinales ac feminas, quibus legendarum lucubrationum ſuarum negotium aliis demandare paſtoribus licet: vnicus conuentus ad proponenda abſentium, ſeu extraneorum, carmina habetur. Dimiſſa concione omnes verſus reponi in tabulario ſolent. Politia huius conſortii democratica eſt. Ignorat caput vel protectorem, (qua de re vid. memorabilis locus in *den Leipz. gel. Zeit. anni* 1724. *p.* 105.) Cuſtodemque modo agnoſcit, cui totus coetus commiſit, quae agenda ſunt generatim. Fuit is ab Academiae incunabulis ad annum vsque 1728, quo e vita exceſſit, laudatus Creſcimbenus. Quamquam enim, ſecundum ſtatuta, ſingulis Olympiadibus, id eſt, quaternis annis exactis, ſic ſcilicet Arcades tempora numerant, per ſuffragia eligendus eſt Cuſtos; denuo tamen confirmari, pro re nata, poteſt, qui has antea partes egerat. Illi et conceditur, vt bis hibernis menſibus in domo, ſeu caſa, quadam Paſtorum, imo, ſi neceſſitas vrgeat, aeſtiuis quoque extra ordinem eosdem conuocet, qui conuentus adpellantur conuocationes generales.

Qui-

Quicunque iſtam cupit in ſodalitatem cooptari, illum annos oportet aetatis quatuor ac viginti compleuiſſe, generis et morum nobilitate celebrari, doctrinaeque florere laudibus; quamquam, quod ad aetatem attinet, illa non ſemper adcuratiſſime exigitur: quod ad feminas autem, notum eſſe debet, illas iam verſibus fundendis dediſſe operam, vel Poeſeos minimum dulcedine capi. Electio Arcadum, ſiue, quae familiaris eſt vox, Adgregatio, quinque fit modis. Primus *Adclamatio* vocatur, quoties Cardinales, ſummi Principes, Proreges, Principumque Legati admitti cupiunt, tunc viua enim voce ſuffragia eduntur: alter eſt *Adnumeratio*, feminarum et coloniarum gratia introductus, vbi ſecreta moris eſt vota colligi: tertius *Repraeſentatio*, Collegiorum, in quibus Iuuenes aluntur nobiles, cauſſa inſtitutus, quorum vnus quidem duoue ab ipſo Collegio commendati recipiuntur, Arcadibus hic pariter, vt in reliquis duobus modis, ſecreto ferentibus ſuffragia: quartus *Surrogatio*, qua ſubſtitui ſolent alii in locum Paſtorum vel mortuorum, vel expunctorum ex Albo, ſi quis nimirum contra leges egerit, linguaeue neglexerit culturam: quintus dicitur *Deſtinatio*, quodſi, non vacante vllo loco, candidatis ingenio doctrinaque pollentibus interea, donec ſuccedere cuipiam queant, Arcadis titulus nomenque paſtorale tribuitur. Tale nomen, aliudque cognomen, a memorabili Arcadiae antiquae loco, aut praedio, mutuatum, quilibet collegarum, e totius Congregationis ſententia, accipit. Mortuorum vero merita, publico monumento, poſteritatis transmittitur ad memoriam, litteriſque mandantur ipſorum vitae, quarum Volumina IV. Creſcimbenus edidit, vt fuit abs me obſeruatum *Tomo II. Cap.* 7. §. 10. ſub finem. Eidem debetur alia Collectio, quae *Romae a.* 1720.

 et

et 1721. *in* 8. Tomis III. prodiit, hac inſcriptione: *Notizie iſtoriche de gli Arcadi morti.* Euulgauit etiam Vir doctus *ibidem a.* 1716. *ſq. in* 8. Tomis IX. *Le Rime de gli Arcadi;* Tomis III. huius formae *Le Proſe de gli Arcadi;* et *a.* 1721. *in* 8. *Latina Arcadum Carmina.* Omnia haec recuſa Arcadum Opera coniunctim dicuntur. Vid. *die Beyträge zu den Leipz. gel. Zeit. Vol. I. p.* 330. Symbolum Academiae eſt Syrinx, Panis fiſtula, foliis pineis laureisque obuoluta. Quantus Arcadum grex, inde a prima eorundem origine, fuerit, vel exinde poteſt cognoſci, quod anno 1719. duo iam expleuerint millia. Complures quoque in plerisque Italiae ciuitatibus, et iis quidem maioris momenti, conſtitutae ſunt Coloniae, iisdem legibus regendae ac moribus, quibus Arcadia Romana vtitur. Tales ſunt *Forzata* Aretii, *Macerateſe* Maceratae, *Animoſa* Venetiis, *La Renia* Bononiae, *Fiſicocritica*, Senae, (de qua vid. *Notizie circa l'Accademia de Fiſiocritici, eretta in Siena l'anno* 1691. in *Galleria di Minerua Tomo II. p. 181.*) *Alfea* Piſis, *Cremoneſe*, Cremonae, *Milaneſe* Mediolani, *Oretea* Panormi, *Veroneſe* Veronae, *Auguſta* Peruſiae, et reliquae, de quibus paſſim conſulendus FABRICIVS in *Conſp. theſauri litt. Italiae p.* 246. *ſq.* Neque tamen Coloniis nouos eligere Socios licet ſine permiſſu Arcadiae Romanae; quaeque luci exponere tentant, ea ſunt ante a Cenſoribus eius examinanda. Quum lites aliquando inter Arcades Romanos eſſent coortae, quidam ab iis ſeiunxerunt ſe, ac nouam anno 1717. inierunt Societatem, quam, dimiſſo Arcadum titulo, *Academiam Quirinalem* vocarunt, mox, ni fallor, poſt Grauinae obitum diremtam; hic enim diſſentientium princeps erat. Plura de nobiliſſima hac Arcadum Academia ſuppeditant, ex quibus profeci, CRESCIMBENVS in *Bellezza della*

volgar

volgar Poeſia, quem librum recenſent Lipſienſes in *Supplem. Actor. Erud. Tomo III. p.* 459. *ſq.* HAYMANNVS *l. c. Cap. XX. p.* 464. *ſq; die Neuen critiſchen Briefe, Tiguri anno* 1749. *in 8. Epiſt. XV. p. 99.* et *Epiſt. XVI. XVII. p.* 118. *ſq.* vbi critice luſtratur inſtitutum; et celeberrimus GOTTSCHEDIVS in Progr. germanico *de Academia Arcadum Romana, Lipſiae a.* 1753. *in 4.* excuſo, quod anno ſtatim ſequenti inſertum eſt *der erſten Sammlung ausgeſuchter Stücke der Geſellſchaft der freyen Künſte zu Leipzig p.* 165. *ſq.* Addi poteſt etiam ARCKENHOLTZ in *Memoires concernant Chriſtine, Reine de Suede, Tomo II. p.* 135. *ſq.* ac *Tomo IV. p.* 28. *ſq.* Antiquae autem hiſtoriam Arcadiae, quae nomen dedit Romanae, exponere quodammodo ſtuduit LEONARD. ADAMVS, doctus Collega, *Arcadicorum Volumine primo, Romae a.* 1716. *in* 4. emiſſo, cuius ſumma capita referuntur in *Act. Erud. Lat. anno* 1717. *p.* 518.

Auctoritate Benedicti XIV, Pontificis, quatuor hoc ſaeculo conditae ſunt Academiae, quas paucis tangere animus eſt. Singulis duodecim ornamento Socii ſunt, Praeſes vnus, et aliquis a ſecretis. Quaelibet diuerſos habet Collegas, ſingulique menſibus ſingulis de re quadam ardua diſſerunt. Prior eſt *Academia Conciliorum:* altera *Hiſtoriae eccleſiaſticae Pontificiae* conſecrata: tertia *Academia rerum liturgicarum:* quarta excolit *Hiſtoriam et Antiquitates Romae*, Polytheiſmo adhuc fauentis. Prodiit *Romae anno* 1740. *ſq. in* 12. *Notizia delle Academie erette in Roma per ordine della Santita di Signore Papa Benedetto XIV*, de quo decem plagularum libello vid. *Acta Erud. Latina anno 1747. p. 281. ſq.* Eius quaſi ſumma capita ſunt, quae in *Excerpto totius Italicae et Helueticae Litteraturae, Tomo II. p.* 201. de hisce Benedicti Societatibus breuiter memorantur.

LIl III 2 §. XII.

§. XII.

Roſcianenſis *Incurioſorum Academia* apud Neapolitanos paucis ita in *Bibliotheque Italique Tomo II. p.* 36. deſcribitur: *L'Academie de Roſſano dans le Royaume de Naples, nommée* la Società ſcientifica Roſſaneſe degl'Incurioſi, *avoit été fondée vers l'an* 1540. *ſous le nom des* Nauiganti, *et renouvellée ſous celui* des Spenſierati *par Camillo Toſcano vers l'an* 1600. *D'Academie de belles Lettres elle a été changée en Academie des Sciences, par le ſoin de nôtre ſavant Giacinto Gimma, qui en fut fait Promoteur general en* 1695. Videmus ex verbis hiſce, vnam eſſe Academiam, quam alii in diuerſas transformarunt. Accepimus *Neapoli a.* 1703. *in* 4. Partibus II. abs laudato GIMMA *Elogi Accademici della Società degli Spenſierati di Roſſano, publicati da* GAETANO TREMIGLIOZZI, *colle Memorie ſtoriche della Società ſteſſa aggiunte dal medeſimo nella ſeconda Parte.*

Medio ſaeculo XV, ſeu aliorum ex relatione anno demum 1525, orta eſt Senae *Intronatorum Academia*, cuius auctores fuere ſex nobiles, eo conſilio, vt eloquentiam atque Poeſin Latina non ſolum, ſed et Graeca lingua excolerent. Conſtituit ſibi poſtea Cancellarium atque Cenſorem, qui errores corrigeret. De Legibus Academiae huius Programmata II. *Brunſuigae a.* 1741. *et* 1743. *in* 4. euulgauit IOH. ANDR. FABRICIVS. In *Catalogo Bibl. Bunauianae Tomi I. Vol. 3. p.* 2066. ſequens occurrit Opus, quod huc pertinet: *Delle Comedie degli Academici Intronati di Siena, raccolte, nuouamente riuedute, e riſtampate, Parti II. Siena* 1611. *in* 12. Atque hoc quidem indicio eſt, Poeſin etiam patriae ſuae, Academicis curae fuiſſe. Cf. HAYMANN. *l. c. p.* 376.

Venetiis circa annum 1630. inclaruit *Academia Incognitorum.* Eam inſtituiſſe certum eſt Ioh. Franc. Lore-

Loredanum, Reipublicae Senatorem, ſcriptis variis celeberrimum, adiutore Angelico Aproſio. Symbolum ipſi fuit Nilus cum inſcriptione: *incognito e par noto*. Exſtat de eadem liber, hodie rariſſime obuius, cuius hic titulus eſt: *Le glorie degli Incogniti, o vero gli huomini illuſtri dell' Academia de' Signori Incogniti di Venezia. Venet. a.* 1647. *in* 4. cum Iconibus Sociorum. LABBEVS in *Bibl. Bibliothecarum p.* 118. *edit. tertiae Rothomag.* ipſum Loredanum auctorem perhibet. FABRICIVS contra in *Conſp. theſ. litt. Italiae p.* 264. Nicol. Craſſum ſubſtituit. Sed in *Catal. Bibl.* IOH. BVRCH. MENCKENII *p.* 69. *edit. ſecundae*, itemque *Actis Erud. Lat. a.* 1722. *p.* 193. is dicitur potius HIERON. BRVSONIVS, quod et confirmari lego in *Lexico Erud. Ioecher.* v. Bruſoni. Nomina Incognitorum, qui tunc numerum centenarium ſuperarunt, recenſet GOETZIVS in *den Merckw. der Königl. Biblioth. zu Dresden, Vol. II. p.* 510.

Peregrinorum Academiam Venetam, quae anno 1550. floruit, deſcriptam habemus ab ANT. FRANC. DONIO, in libro, quem *i Marmi* vocauit, ediditque *Venet. a.* 1552. *in* 4. Typis repetitus eſt idem eo ipſo loco, *anno* 1609. Vid. BAELII *Diction.* v. Doni, et *Catal. Bibl.* I. B. MENCKEN. *p.* 69. Quatuor ex Partibus conſtat, quarum poſtrema mox *anno* 1553. acceſſit. Omnes explent 545. paginas. Ignoraſſem haec, niſi DAV. CLEMENT in *Biblioth. de livres dificiles à trouver, Tomo VII. p.* 444. *ſq.* plura de hoc Opere congeſſiſſet. Inter alia *p.* 447. ſic ſcribit vir, morte immatura rei litterariae nuper ereptus: *Il ne faut pas s'imaginer de trouver ici des Marbres avec leurs inſcriptions. Ce ſont des entretiens ſur toutes ſortes de ſujets, que l' Auteur ſupoſe avoir entendu dans une place de Florence*, que l'on nomme I Marmi, *comme on le voit dans l' Avis au Lecteur.* Refert exin-

de praecipua Clementius, atque hoc facto ſubiungit: *Voilà les ſujets des Entretiens, que l'on trouve ici, et que le Doni a publié au nom des Académiciens, nommez* I Peregrini: *comme on le voit par l'inſcription ſuiuante, qu'il donne p. 5.* Ragionamenti diuerſi, fatti a i Marmi di Fiorenza, et ſcritti da Signori Academici Peregrini. Hactenus ille.

Ibidem anno circiter 1684. coaluit *Societas Argonautarum geographica*, et ad emendandum quidem globum terreſtrem coeleſtemque, mappas item geographicas iuſte concinnandas. Societatis caput erat Vincent. Coronelli, cuius curis Dalmatiae, Epiri, Moreae atque Archipelagi deſcriptionem debemus, ne quid de aliis dicam. Habuit collegam Pariſottum, Hiſtoriographum, pluresque in Gallia alios, et ſexaginta propemodum in ſola Venetorum vrbe. Emblema fuit Societatis terrae globus, cum naui maria ſecante, additis verbis: *plus vltra*. Cf. KRAVSII *Noua litteraria anni* 1719. *p.* 19. Mortuo Coronello, contigit autem id anno 1718. exeunte, eius etiam Academia deſiiiſſe videtur.

Apud *Veronenſes* iam intra ſaeculum XV. et XVI. orta eſt *Societas Philarmonicorum*, quae deinde cum alia Societate Incatenatorum ſe coniunxiſſe dicitur. Tradit hoc IVLIVS CAESAR BECELLVS in Dedicatione Operis, *Veronae a.* 1732. *in* 4. emiſſi, *della Nouella Poeſia.* Catalogus Sociorum, qui fuere anno 1733, exſtat in *Actis Academicis* Lipſienſibus *anni* 1733. *p.* 311.

§. XIII.

Vix coeperant apud Italos Societates eiusmodi, quum et veſtigiis eorum ingrederentur. Germani noſtri Primo hic loco digna eſt vtique *Sodalitas litteraria Rhenana*, inſtituta auctore et hortatore po-

re potiſſimum Conrado Celte, cui plures etiam ortum debere ſuum, oſtendit, exemplisque comprobauit, celeberrimus Lipſienſium Hiſtoricus, et amicus mihi longe cariſſimus, IOH. GOTTLOB BOEHMIVS, *p.* 109. *ſq.* Commentarii doctiſſimi *de Auguſtino Olomucenſi, et patera eius aurea, Dresdae et Lipſ. a.* 1758. *in 8.* exhibiti. Natalis Rhenanae Societatis diu ignotus fuit eruditis: ante decennium tamen IOH. GE. RVPRECHTVS Oratione *Ienae a.* 1752. *in* 4. edita *de Societate litterar. Rhenana, a Conrado Celte inſtituta*, ex ipſis Celtis Poematibus euicit, eum in annum 1480. incidiſſe, Princeps Sodalitatis fuit Iohannes III. Epiſcopus Wormatienſis, ex illuſtri gente Dalburgicâ oriundus; Socii autem, praeter Celtem, laudantur Ioh. Trithemius, Henr. de Bunau, Bilibald. Pirckheimerus, Mart. Pollichius, a patria Mellerſtadius dictus, qui primus poſtea fuit Academiae Vitembergenſis Rector, Ioh. Stabius, Mathematicus Ingolſtadienſis, et alii. Studebant eximia haec ingenia Latinorum, Graecorum, Ebraeorumque Scriptorum lectioni, cumprimis criticae; Aſtronomiam et artem muſicam excolebant. Poeſin atque Iurisprudentiam ſibi habebant commendatam; imo et interdum gaudia curis, vt ille ait, interponebant. Nocturno nimirum tempore, defeſſi laboribus, ludere ſolebant, ſaltare, iocari cum mulierculis, epulari, ac, more Germanorum inueterato, ſtrenue potare. Concidiſſe autem videtur Societas Rhenana poſt annum 1508, quo vitam Celtes cum morte commutarat. Plura de eadem legi queunt in TENTZELII *Monathl. Vnterred. a.* 1693. *p.* 90. *et p.* 963. *ſq*; in *Analectis ex omni melior. litter. genere, Tomo II. Lipſ. a.* 1730, *in 4.* edito *p.* 475. *ſq.* vbi IVSTI CHRIST. THORSCHMIDII *Memoria Sodalitatis litter. Rhenanae*; in IOH. GE. LOTTERI *Rede von der allererſten gelehr-*

 ten

ten Geſellſchaft in Deutſchland, quae Oratio inſerta *ibid. a.* 1732. *den Reden vnd Gedichten der Deutſchen Geſellſchaft in Leipzig, p.* 350. *ſq;* apud HAYMANNVM *l. c. Cap. XV. p.* 380. *ſq.* itemque RVPRECHTVM, qui in Orat. ſupra producta ſuppleuit paſſim, ab aliis praetermiſſa quae fuerant.

Longe illuſtrior dicenda Societas fructifera Teutonica, ſiue *der Fruchtbringende Palmorden.* Coepit iſta in aula Vinarienſi anno 1617. primam eiusdem ineundae occaſionem praebente Caſpare Teutlebio, ſupremo aulae Mareſchallo, inſtitutum autem perficiente LVDOVICO, Principe Anhaltino. Nomen fructiferae inditum huic Societati, partim quia cuilibet membro incumbebat, vt in defendenda, vel excolenda Germanicae linguae caſtitate atque elegentia fructus proferret vtiliſſimos: partim, quod, ex Legibus Societatis, vniuscuiusque nomini ac ſymbolo planta quaedam, quam fructifera edere ſolet terra, loco emblematis, explicationis et ornamenti cauſſa addicebatur. Praecipua igitur Sociorum cura fuit in eo repoſita, vt Germanici ſermonis cum ſoluti, tum ligati, elegantia maioribus in dies auctibus creſceret. Ludouico Anhaltino, qui Caput fuerat Societatis, anno 1650. mortuo, eius in locum initio anni mox inſequentis electus eſt Guilielmus, Dux Saxo Vinarienſis, huiusque poſt fata ſuprema, quum integrum effluxiſſet quinquennium, an. 1667. honor is transiit ad Auguſtum, Saxoniae Ducem, atque poſtulatum Archiepiſcopatus Magdeburgici Adminiſtratorem. Poſtquam vero et hic anno 1680. commune naturae debitum reddiderat, plane deſiit inſtitutum, quod magno cum adplauſu, fructuque non minore, per ſexaginta, et quod excedit, annorum ſpatium durauit. Ingens Ordini, in quem complures

plures hominum nobiliſſimorum Centuriae receptae ſunt, decus conciliatum a ſummis Principibus, vnus quippe Rex, tres Electores, tres et quinquaginta Duces, quatuor Marchiones, decem Landgrauii, octo Comites Palatini, nouem decemque Principes eidem adſcripti fuere. Taceo Comites Imperii, Liberos Barones, caeteroſque genere ac dignitate ſplendidiſſimos. Singuli Sociorum ſua habuerunt cognomina v. g. Ludouicus, Pinceps Anhaltinus, dictus eſt *der Nehrende:* Guilielmus, Dux Vinarienſis, *der Schmackhaffte:* Auguſtus, Dux Weiſſenfelſenſis, *der Wohlgerathene:* Ioh. Georg II. Elector Saxoniae *der Preiswürdige:* Frid. Guilielmus, Elector Brandenburgicus, *der Vntadeliche*, caet. Multi Sociorum ſcriptis etiam Germanice exaratis inclaruere. Sic ipſe poſſideo *Denckwürdige Geſchichte des groſſen Tamerlanis, der Parthen vnd Tartern Kayſers*, quae verſio, *Cothenii anno* 1639. *in* 4. edita, Ludouico Anhaltino debetur. Idem ex Gallico *den weiſen Alten*, qui liber *ibid. a.* 1643. *in* 4. prodiit, ex Italico autem VIRGILII MALVEZZI transtulit et *ibid. a.* 1647. *ead. forma* euulgauit *den Romulum vnd Tarquinium den Hoffärtigen*, *d. i. das Leben des erſten vnd letzten Königs der Römer.* Verſibus etiam Germanicis laudatiſſimus Princeps reddidit, atque *ibidem a.* 1643. *in* 4. emiſit FRANC. PETRARCHAE *Sechs Triumphos, oder Siegesprachten; ſamt der Erzehlung ſeiner Krönung zum Poeten, ſeines Lebens, vnd ſonderbaren Erklärungen vieler Nahmen vnd Geſchichte.* Chriſtianus II. Princeps Anhaltinus Bernburgicus nomine *des unveraenderlichen* inſignitus, *ibidem anno* 1639. *in* 4. exhibuit *die Vnterweiſung eines chriſtlichen Fürſten;* quem librum, Hiſpanice primum conſcriptum, patria lingua expreſſit de Italica. Recenſeri facili negotio longe plura poſſent, ſi quidem id inſtituti pateretur ratio, Vo-

lumina Germanica, quorum ortus tribuendus Societati fructiferae, quorumque non exigua pars Cothenii lucem adſpexit. Dignitas illius imminuta non nihil, quum reperirentur, qui, reiectis verbis peregrinis omnibus, non niſi vere Germanicis vti vellent, ideoque multa orationi immiſcerent ridicule conuerſa. Hiſtoriam Societatis data opera expoſuit GE. NEVMARCK, ipſi a ſecretis; in *dem neuſproſſenden Deutſchen Palmbaum, oder ausführlichen Bericht von der hochloeblichen Fruchtbringenden Geſellſchaft Anfang, Abſehen, Satzungen, Eigenſchaft vnd derſelben Fortpflantzung, ſamt einem vollkommenen Verzeichniſs aller dieſes Palmordens Mitglieder, derer Nahmen, Gewaechſen, vnd Worten.* Prodiit liber *Vinariae a.* 1668. *in* 8. cum fig, aen. Additionum non nihil GODOFR. BEHRNDTIVS inſerendum curauit in *die Beytraege zur critiſchen Hiſtorie der Deutſchen Sprache, Poeſie vnd Beredſamkeit, Vol. IV. Part.* 15. *p.* 368. *ſq.* Rarius noſtra aetate conſpicitur Opuſculum: *der Fruchtbringenden Geſellſchaft Nahmen, Vorhaben, Gemählde vnd Wörter, Frf. ad M. a. 1646. in 4. cum fig. aen.* De Faſciculo quodam Variorum editorum aeque ac manu exaratorum, quae ſeruat Bibliotheca Dreſdenſis Regia, vid. GOETZIVS in *den Merckwürd. der Königl Bibl. zu Dreſden, Vol. III. p. 513.* Plura ſcripta, verum leuioris momenti, congeſſit STRVVIVS in *Biblioth. Saxon p.* 405. Nouiſſime celeberrimus GOTTSCHEDIVS Germanico ſermone Hiſtoriam de origine et progreſſu Societatis fructiferae repetiit. Programata ſunt tria, quae *Lipſ. a.* 1755. *et* 1756. *in* 4. excuſa fuere.

Succeſſit Hamburgi anno 1643. alia Societas, *die deutſchgeſinnte Genoſſenſchaft* dicta, per ludibrium autem hominum iocoſorum *die Geſchoſſenſchaft.*

Auctor

Auctor eius fuit Philippus a Zeſen, patria Anhaltinus, tunc annorum vix quatuor et viginti iuuenis, qui adſciuit ſibi adiutores Theodorum Peterſon, Hamburgenſem, et Ioh. Chriſtoph. a Liebenau, nobilem Boruſſum. Zeſenius *des Faertigen*, Peterſenius *des Verharrenden*, Liebenauius contra *des Aemſigen* nomen ſumſit. Emblema Societatis, diuerſas in Claſſes diuiſae, fuit roſarum frutex, a radiis illuſtratus ſolaribus, cum ſymbolo: *Vnter den Roſen iſt liebliches Loſen.* Multi Sociorum obſcuri ſunt homines: neque tamen negandum, non nullos etiam inter hosce exſtitiſſe illuſtri loco natos, munerumque dignitate ac doctrinae laudibus florentes. Non culpandus quidem eorum in lingua ac Poeſi Germanica excolenda conatus; quoniam vero modum tranſierant ſaepenumero, factum inde, vt res omnis riſum aliorum excitaret. Praeterquam enim, quod veterem genuinamque orthographiam temere deprauarent, rectumque ſyntaxeos turbarent ordinem, intolerabili quoque licentia voces plurimas, partim vere quidem peregrinas, at ciuitate Germanica dudum donatas, partim ipſas Germanicas, quae ignaris antiquae linguae falſo peregrinae videbantur, ſine iudicio exterminarunt, aliasque ſubſtituerunt nouas; a ſe confictas, ſed barbaras, ineptas, ridiculas, monſtroſas, et vel ſono ipſo horribiles. Sic e. g. *das Fenſter* vocarunt Tageleuchter; *den Mantel* Windfang; *die Feuermauer* Dachnaſe; *die Thür* Hausloch; *die Muſquete* Schiesprügel; *den Fuſs* Leibtraeger; *den Spiegel* Geſichtſchauer; *den Lieutenant* Platzhalter; *den Admiral* Seeheld; *den Vice Admiral* Vnter Seeheld caet. Quapropter Viri emunctioris naris, patriique ſermonis vindices egregii, hunc innouandorum omnium pruritum publicis ſcriptis notarunt. Poſt auctoris ſui obitum, qui euenit anno 1689, ſenſim conſe-

conſenuit, viribusque defecit iſthaec Societas, tandemque, initio noſtrae aetatis, paullo poſt annum 1705. penitus diremta eſt. Hiſtoriam eiusdem IOH. PEISKERVS, Scholae Vitembergenſis Rector, hoc titulo ſcripſit: *Der gantzen hochpreiswürdigen Deutſchgeſinnten Genoſſenſchaft ſämtlicher, von 1643. Jahre nach der Heilgeburt an, bis in das 1685ſte, nach einander einverleibten Zunftgenoſſen Zunft- Tauf- vnd Geſchlechts-Nahmen; dabey der Ort, wo ſie gebohren, oder ſich niedergelaſſen, auch wohl eines vnd des andern Geſliſſenheit, Stand, Amtsbedienung, oder Beruf, zugleich angezeiget wird, Vitemb. a. 1685. in 8.* iterumque *ibidem anno* 1705. cui editioni continuatio acceſſit vsque ad hunc ipſum annum. De Zeſenio autem fuſe agitur in MOLLERI *Cimbria litterata, Tomo II. p. 1023. ſq.* Add. ELIAE CASP. REICHARD *Verſuch einer Hiſtor. der deutſchen Sprachkunſt, Hamb. 1747. in 8.* vbi a *p. 152.* vsque ad *p. 196.* varia huius argumenti profert, hominisque merita praedicat, quamquam non diffitetur, vitiis eundem laboraſſe, nullo modo excuſandis.

Anno 1644, adeoque mox poſt Zeſenianum inſtitutum, condita eſt Norimbergae, auſpiciis Ge. Philippi Harsdörfferi, Senatoris, ad excolendam ſimiliter linguam ac Poeſin Germanicam Societas Pegneſiorum, ſiue *der Hirten- vnd Blumenorden an der Pegnitz.* Stat eadem noſtra ad huc aetate, vti perſpicitur ex IOHANNIS HERDEGEN, Sacerdotis et Profeſſoris Norici, libro ſingulari, qui *anno 1744. Norimbergae in 8. mai.* figuris exornatus aeneis hoc titulo lucem adſpexit: *Hiſtoriſche Nachricht von des löblichen Hirten- vnd Blumenordens an der Pegnitz Anfang vnd Fortgang, bis auf das erreichte hunderte Jahr, von dem Mitglied dieſer Geſellſchaft*, AMARANTES. Ob emtorum paucitatem detractus fraudulenter

lenter

lenter a bibliopola hic titulus, *annoque* 1748. alius praemiſſus eſt, ita expreſſus: *Gegründete Nachrichten von gelehrten Geſellſchaften, fürnehmlich der Dichtkunſt*, caet. Inter Praeſides, poſt Harsdörfferum, fuere celeberrimi homines, Sigismund. von Bircken, binique Academiae Altorſinae Profeſſores, Magn. Dan. Omeiſius, et Chriſtian. Gottlieb Schwarzius, qui anno 1751. ex hac euocatus vita eſt. Cf. *der Neue Bücherſaal der ſchönen Wiſſenſchaften*, *Vol. I. p. 11.* nec non STRODTMANNI *Geſchichte ietztlebend. Gelehrten*, *Vol. III. Parte 11. p. 475. ſq.* vbi breuis huius Societatis notitia, ex libro Herdegenii petita, occurrit.

Ad Societates Italorum, Anglorum Gallorumque, et eas quidem certis conſecratas ſcientiis, proxime accedit, harumque ſequitur exemplum *Academia Naturae Curioſorum Leopoldino-Carolina*, ab Imperatoribus, Leopoldo et Carolo VI, ita nominata. Fundamenta eius anno 1651. iecerat quidem Ioh. Laur. Bauſchius, Medicus Suinfurtenſis in Franconia, qui omnes vndique Ordinis ſui eruditos inuitauit, vt ſecum communicarent obſeruationes rariores. Mox etiam, ineunte anno 1652, primus celebratus eſt conuentus Suinfurti, vbi Praeſes electus Bauſchius. At non niſi poſt ipſius obitum, anno 1665. recte ſtabilitum fuit Collegium conſiliis atque inſtitutis Ioh. Mich. Fehrii, Conſulis tum atque Medici iurati Suinfurtenſis. Eo enim Praeſide in Societatem ſe contulere doctiſſimi Medici ex omnibus Germaniae prouinciis, atque praeclaras obſeruationes medicas et chymicas transmiſere, quae deinde collectae occaſionem obtulere ad edendas multorum Voluminum Ephemerides, de quibus abs me dictum *Tomo II. cap. 6. ſect. 2. ſ. 1. p. 1000. ſq.* Initium huius rei reponendum eſt in

anno

anno 1670. Fehrio ſucceſſit Ioh. Ge. Volckamerus, Medicus Norimbergenſis, cuius curis Academia anno 1687. ornata fuit ampliſſimis et honorificentiſſimis priuilegiis, munificentiae Leopoldi tribuendis. Excepit Volckamerum anno 1693. Lucas Schroeckius, Medicus Auguſtanus, huncque anno 1730. Ioh. Iac. Baierus, Medicorum in Academia Altorfina princeps. Hodie, inde ab anno 1735. Praeſidis munere fungitur ANDR. ELIAS BÜCHNERVS, qui Academiam Fridericianam Halenſem, totumque Medicorum Ordinem, ſuis meritis illuſtrat. Ab eodem Viro elegantiſſimo *Halae anno* 1755. vel potius ſequenti anno *in 4. mai.* accepimus *Academiae S. R. I. Leopoldino-Carolinae Naturae Curioſorum Hiſtoriam*, ſplendide excuſam, iconibusque et aliis figuris aennis ſuperbientem, in qua decem Sectionibus adcurate agitur *de Academiae origine, progreſſu, et praeſenti ſtatu; de eius Legibus*, quae *Brigae anno 1677. in 4.* editae ſeparatim fuerant, et *de priuilegiis Caeſareis; de Academiae Operibus litterariis, tam ſingularibus, quam communibus; de eius Praeſidibus; de Directoribus Ephemeridum; de eius Adiunctis; de eius Collegis; de eius fautoribus atque patronis; de Bibliotheca, eiusque Muſeo.* Ad Bibliothecam quod attinet, cuius initia Baiero debentur, cuiusque dimidia fere pars a liberalitate Chriſtoph. Iac. Trewii, Reipublicae Norimbergenſis Phyſici ordinarii, profecta eſt, eam vna cum Muſeo, laudatiſſimus Büchnerus ſingulari deſcripſit Volumine, *Halae Magd.* a. 1755. *in 4. mai* euulgato. Titulus eius hic eſt: *Academiae Nat. Curioſorum Bibliotheca phyſica, medica, miſcella, partim ſociorum munificentia, partim ipſius ſumtibus comparata.* Perpetuo nunc iſthaec ſupellex Erfurti ſeruatur. De aliis ſcriptis, quae ante Büchnerianum prodiere, et Academiae hiſtoriam exponunt, vid. *Catalogus*

Bibl.

Bibl. Bunav. Tomi I. Vol. I. p. 983. Addenda his MICH. BERN. VALENTINI *Hiſtoria litteraria S. R. I. Academiae Naturae Curioſorum*, Armamentario eius Naturae ſyſtematico *Giſſae a.* 1709. *in* 4. adiecta, qua complectitur Auctor recenſionem et ſumma capita librorum, a Preſidibus, Adiunctis et Collegis loco penſi Academici, ad normam formamque, in Legibus praeſcriptam, editorum.

Vtiliſſimum fuiſſet, quod olim Chriſtian. Franc. Paullini meditabatur, *Collegium Imperiale Hiſtoricum*, ſi quidem conſiliis reſpondiſſet euentus. Age! rem, vt geſta eſt, breuiter narremus cum ex ipſius Paullini litteris ad Tentzelium, quae inſertae repeeriuntur huius *Monatlichen Vnterred. anni* 1689. *p.* 535. et *anni* 1690. *p.* 462. *ſq.* tum aliorum documentorum ſubſidio inſtructi. Iam anno 1670. illuſtris Baro, Ioh. Chriſtian. a Boineburg, animo conceperat Collegium Eruditorum vniuerſale, quo ſocii ſecum inuicem communicarent, quicquid per litterarum commercia percepiſſent. Hoc vero inſtitutum anno 1673. cum Boineburgii morte ſtatim euanuit, Praeterlapſi deinde aliquot erant anni, quum Chriſtoph. Bernardus, bellicoſus ille Epiſcopus Monaſterienſis, Paullino, Medico ſuo atque Hiſtoriographo, mandaret, vt omnem Abbatiae Corbeienſis indagaret hiſtoriam; plurima igitur antiqua monumenta perluſtrans primum cogitare is coepit de Collegii Imperialis hiſtorici ordinatione. Hoc quidem conſilio inſtituti rationem variis aperuit hominibus eruditis, maxime Caſp. Sagittario, et Ioh. Andr. Schmidio, Profeſſoribus Ienenſibus, quorum de adplauſu certior factus *anno* 1687. *in* 4. publicauit *Delineationem Imperialis Collegii Hiſtorici, a ſinceris aliquot doctisque Germanis glorioſe et feliciter fundandi.* Recuſum fuiſſe hocce

ſcriptum

ſcriptum Ratisbonae, Altorfii, Ploenae, Vindobonae, in Belgio, alibique, MOLLERO teſte, probo, *Cimbriae litter Tomo II. p.* 627. Tum ſucceſſit Epiſtola Paullini *de Collegii Imperialis Hiſtorici progreſſu ac membris, Iſenaci anno* 1689. exarata ad Deth. Marc. Friſium, Conſiliarium Comitis a Rantzau, quae alteri editioni *Propoſitionis Collegii Imper. Hiſtorici*, a Paullino primum *Ienae a.* 1688. *in* 4. euulgatae, a Friſio autem *Ploenae ſequenti* mox *anno* repetitae, acceſſit. Propoſitionis tamen huius auctor non ipſe Paullinus eſt, ſed Iobus Ludolfus potius Vir celeberrimus, vt in eiusdem *Vita Lipſ. anno* 1710. *in* 8. emiſſa, haud male ſuſpicatur CHRIST. IVNCKERVS. Calamo contra Paullini compoſita fuit *Hiſtoria ortus et progreſſus Collegii Hiſtorici Imperialis*, quam inſeruit idem IOACH. FELLERI Orationi *de Fratribus Calendariis*, notis editoris illuſtratae, *Francofurti an.* 1692. *in* 4. Is ipſe conſcripſit etiam *den kurtzen Bericht vom Anfang und bisherigen Fortgang des vorhabenden Hiſtoriſchen Reichs Collegii*, qui libellus in Parte II. *der Zeitkürtzenden erbaulichen Luſt, Frf. a.* 1694. *in* 8. excuſa *p.* 961. *ſq.* obuius, *ibidem eodemque anno* ſeparatim prodiit. Ante oculos habeo iſthoc exemplar, quod varia Germanorum doctiſſimorum conſilia, de inſtituto ad Paullinum perſcripta, Leges item Socios tenentes complectitur. Earum ſumma capita ſunt, vt Praeſes eligatur, cui adſint ex quauis Germaniae regione, ſeu circulo, tres pluresue Collegae, hique Adiunctum habeant, qui faciat in tractu ſuo, quod Praeſidi obſeruandum, ſi totum Collegium ſpectetur: omnium vero curae ad condendam Latina lingua, terſoque ſtilo hiſtoriam Germaniae vniuerſalem conferantur, et quidem a primordio gentis, ſecundum ſeriem annorum. Propoſitum ſimul, vt omnia peragerentur ſub Impe-

Imperatoris Romani tutela, Sociisque non paterent Tabularia ſolum, verum etiam, Principum beneficio, certi reditus conſtituerentur, quibus praeſtari merces queat, librariis, aurigis, tabellariis, atque aliis, neceſſario perſoluenda. Iam auguſtiſſimus Caeſar, Leopoldus, probauerat conatum, tantoque is conſenſu excipiebatur ab eximiae doctrinae viris, talibus ne quidem repugnantibus, qui diuerſae erant religioni addicti, vt ingentem eorum recenſere numerum Paullini poſſet. Interea temporis, quum ſerio de re graui conſultatur, digniſſimus creditur Iobus Ludolfus, qui Praeſes fiat ac Director totius Collegii. Quare, ne quem electionis huius poeniteret vnquam, luculentum is ipſe Hiſtoriae recentioris, potiſſimum Germanicae, Opus, *die allgemeine Schaubühne der Welt inſcriptum*, inchoauit, cuius tamen non niſi Tomi II. *Francof. a.* 1699. et 1701. *in f.* prodiere. Docuit me hoc laudatus IVNCKERVS in *Vita Ludolfi p.* 179. *ſq.* Tertius et quartus Tomus, poſt obitum eius, auctore IVNCKERO *anno* 1713. et 1718. quintus autem ſtudio Viri perilluſtris, IOH. MICH. A LOEN, *anno* 1731. ſucceſſit. Vid. Loenii Vita in STRODTMANNI *Neuem gelehrten. Europa*, *Parte II. p.* 535. Memorantur in omnibus hiſce Voluminibus res geſtae ab anno 1601, vsque ad annum 1688. Propraeſidis negotia Dan. Neſſelio, Bibliothecario Caeſareo, Socii obtulere, inter quos celebrantur Leibnitius, Thulemarius, Sagittarius, Ioh. Chriſtoph. Becmannus, Ioh. Andr. Schmidius, Heideggerus, Tentzelius, caet. Cf. MOLLERVS *l. c. p.* 624. Atque haec de Societate, quae propter belli, tunc ardentis, calamitates, aliaque impedimenta, ſperato caruit euentu. Varia, quae illius hiſtoriam illuſtrant, anectota latere ſcio in exquiſitiſſima Bibliotheca BVDERI, Academiae Ienenſis adhuc

ornamenti. Optandum igitur, vt eadem ex celeberrimi Viri ſcriniis producantur.

§. XIV.

Laetiora habuit fata Academia *Scientiarum et Artium Berolinenſis*. Primum ibidem eruditi quidam homines priuatim conuenire ſolebant in aedibus Ezech. Spanhemii, apud quem, ſtato tempore, colloquebantur inter ſe de diuerſis rebus, ad litterarum ſtudia pertinentibus, de libris apud exteros nuper editis, nouisque litterariis. Admittebantur auditores quotquot Berolinum venerant eruditi, propenſo in Muſas animo praediti.. Verum deſiit conuentus hicce celebratiſſimus, poſtquam Spanhemius anno 1697. a Rege ſuo ad Gallos erat ablegatus. Interim inſtitutum occaſionem forte ſuppeditauit Sophiae Charlottae, quae Friderici I. Borûſſorum Regis coniux altera, Erneſti vero Auguſti, Principis Electoris Brunſuicenſis, filia erat, vt eadem ad condendam Academiam Scientiarum omnem conferret operam. Diſcimus id ex auguſti Scriptoris *Suite des Memoires pour ſervir à l'Hiſtoire de Brandenbourg p. m. 21.* vbi ſequentia lego: *Aux preſſantes ſollicitations de cette Princeſſe, ſe forma à Berlin l'Academie Royale des Sciences, dont Leibnitz fut le fondateur et le chef. On perſuada à Frederic I. qu'il convenoit à ſa Royauté d'entretenir une Academie, comme on fait accroire à un nouveau Gentilhomme, qu'il eſt ſeant d'entretenir une meute de chaſſe.* Et *p.* 75. haec de Leibnitio adduntur: *Comme ceux, qui ont reçu, du Ciel des ames privilegieés, s'élevent à l'égal des Souverains, la Reine admit Leibnitz dans ſa familiarité; elle fit plus, elle le propoſa comme ſeul capable de jetter les fondemens de cette nouvelle Academie. Leibnitz, qui avoit plus d'une ame, ſi j'oſe m'exprimer ainſi, etoit bien digne, de préſider dans une Academie,*

qu'au

qu'au beſoin il auroit répreſenté tout ſeül. Il inſtitua 4. Claſſes, dont l'une de Phyſique et de Medecine, l'autre de Mathematiques, la troiſieme de la Langue et des Antiquites d'Allemagne, et la derniere des Langues et des Antiquités Orientales. Les plus célebres de nos Academiciens furent Meſſieurs Basnage, Bernoulli, la Croze, Guillelmini, Hartzöker, Herman, Kirch, Roemer, Stürmer, Varignon, des Vignoles, Werenfels et Wolff. Depuis on y reçut Meſſieurs de Beauſobre et Lenfant, Savans dont les plumes auroient fait bonneur aux Siécles d'Auguſte et de Louis XIV. Primaria vero ratio, quae Academiae Berolinenſi ortum dedit, ponenda eſt in emendatione Calendárii, ex ſingulari Comitiorum Ratisbonenſium decreto in vniuerſo Imperio Germanico peragenda. Quum enim ad hocce negotium opus viris eſſet, Aſtronomiae ſatis peritis, tales ad ſe vocare iisque in ipſa Regia permittere congreſſus ſtatuit Fridericus. Mox Calendariorum emendatorum venditione haud contemnendum lucrum adferente, cogitatum eſt de impendendo eo in ſalaria eruditorum quorundam, non ſolam Aſtronomiam, ſed et alias ſcientias vtiliſſimas colentium. Solemni itaque Diplomate anno 1700. a Rege fundata eſt Academia, vna cum regulis, ſecundum quas dirigendi Sociorum labores eſſent, eodemque tempore Praeſes factus Leibnitius. Rei tamen initia tenuia fuerunt admodum et imperfecta. Certe per integrum decennium parum ſuccedebat conſilium, partim ob lentiorem Obſeruatorii, vt vulgo dicunt, et aedificiorum Academicorum exſtructionem: partim ob turbidum, quo Europa tunc agitabatur, rerum publicarum ſtatum, curas Regis et purpuratorum alioſum flectentem. Nullus hoc temporis interuallo fuit Sociorum conuentus ordinarius. Interea tamen praefectus eſt Obſeruatorio et Calendario Godofr. Kirchius,

chius, anno 1709, adeoque ante abſolutam hanc rem, viuis ereptus. Sub idem tempus recepti ſunt Sociorum in numerum varii eruditi abſentes, Germani aeque atque extranei. Comparuit etiam anno 1710. primus ſtudiorum fructus, nimirum Volumen *Miſcellaneorum Societatis Scientiarum*, variis egregiis atque ſelectioribus ex re litteraria vniuerſa Speciminibus conſpicuum. Tandem illuxit anno 1711. die menſis Ianuarii vndeuiceſimo, coronationis Regiae anniuerſario, tempus illud feſtum, quo ſolemnia inaugurationis celebrata fuere. Praeſens Director, iuſſu Regis, declaratus Marqu. Ludov. L. B. a. Printzén, Miniſter Status intimus. Claſſes, vt ſupra dictum, ſunt quatuor conſtitutae, ſingulisque dati Directores, omnibus autem Praeſes vicarius, Dan. Ern. Iablonski. Eſſloreſcenti iam non nihil Academiae fatalis vtique fuit annus 1713, quo Rex, conditor et protector eius, diem obierat ſupremum. Succeſſor enim, Fridericus Guilielmus, aliis longe rebus, quam litteris, indulgens, Academiam parum curauit. Siluerunt fere inter arma Muſae. Erectum tamen Theatrum Anatomicum, non quidem ad ſcientiae, cuius praefert nomen, incrementum, ſed quod Chirurgiae, atque hinc rei militari poſſe inſeruire videretur. Adnexum eidem Collegium Medicum atque Chirurgicum, eoque translata ſalaria, Academiae deſtinata. Et hocce quidem titulo ea vindicata quodammodo fuit ab interitu. Poſt mortem Leibnitii, qui hac rerum facie nullam Academiae rationem habebat, Praeſidis partes impoſitae anno 1718. Iac. Paulo Gundlingio, quem ſi quis adcurate cognoſcere voluerit, ei legenda ſunt ſcripta abs perilluſtri A LOEN, *Parte I. der geſammleten kleinen Schriften*, *p. 198. ſq.* vbi exſtant *Nachrichten von dem geheimen Rath, vnd Obercеremonienmeiſter, Freyherrn von Gundling.* Audiamus

mus hic iterum ſereniſſimum Auctorem, cuius eſt ſupra iniecta mentio, *l. c. p. m.* 84. Sic autem ipſe: - - *on laiſſa tomber dans une décadence entiére l' Academie des Sciences, les Univerſités, les Arts liberaux, et le Commerce. On rempliſſoit mal et ſans choix les places, qui venoient à vaquer dans l' Academie Royale des Sciences, et par une depravation ſinguliere le Siecle affectoit de me priſer une Societé, dont l' origine étoit auſſi illuſtre, et dont les travaux tendoient autant à l' honneur de la Nation, que de l' eſprit humain. Pendant que tout ce Corps tomboit en léthargie, la Medecine et la Chymie ſe ſoutinrent. Pott, Margraff et Eller combinoient et décompoſoient la matiere, et éclairoient le monde par leurs découvertes; et les Anatomiſtes obtinrent un Théatre pour leurs diſſéctions publiques, qui devint une Ecole floriſſante de Chirurgie.* Gundlingio ſucceſſit anno 1733. laudatus iam Iablonskius. Tandem anno 1740. mors Friderici Guilielmi, quem poſtero etiam Iablonskius eſt ſequutus, aliam plane imaginem induit Academiae. Fridericus enim II. ſtatim de eadem, deque ſalariis in bene meritos collocandis, cogitauit. Datum Societati nomen *Academiae Regiae Scientiarum et elegantiorum litterarum*, conſtitutique Curatores quatuor, ſcilicet Comes de Schmettau, Comes de Gotter, (quem deinde excepit Liber Baro ab Arnim,) L. B. de Viereck, et de Borcke. Peracta, quae praeceſſerat, inſtauratione, primum conuentum generalem celebrauit Academia die 23. m. Ianuarii a. 1744. biennioque poſt Praeſes factus eſt Petr. Ludov. de Maupertuis, cum conceſſa poteſtate ſumma omnibus in rebus, ad Academiam ſpectantibus, cuiuscunque ſint naturae. Seruatae ſunt Claſſes quatuor, quarum cuique praefectus eſt Director ſingularis. Prima *Philoſophiam experimentalem* colit, ad quam referuntur Chymia, Anatomia, Botanica,

 omnes-

omneſque ſcientiae, quae experientia nituntur; altera ingenium exercet *diſciplinis mathematicis*, ſcilicet Geometria, Algebra, Mechanica, Aſtronomia, et reliquis ſcientiis, circa extenſionem abſtractam, aut numeros, verſantibus; tertia dicata eſt *Philoſophiae*, quam vulgo *ſpeculatiuam* dicunt, quo pertinent Logica, Metaphyſica et Philoſophia moralis; quarta denique tractat *litteras elegantiores*, quibus comprehenduntur Antiquitates, Hiſtoria et Linguae. Academicorum Ordines ſunt tres facti, atque hi dicuntur *ordinarii*, *honorarii*, *extranei*. Ordinariorum in quauis Claſſe triplex eſt genus; *Veteranorum*, *penſionariorum* et *aſſociatorum*, et quidem tam penſionariorum, quam aſſociatorum, numero duodecim, ſingulis in claſſibus aequaliter diſtributorum. Honorarii certae Claſſi non adſcribuntur. Extranei eligi ſolent pluralitate votorum, ab omnibus Sociis praeſentibus, ita tamen, vt pro Penſionariis tria ſubiecta ſint decernenda, optione Regis relinquenda arbitrio. Conuentus ordinarii ſingulis Iouis diebus poſt meridiem aguntur. Publici vero ſemper incidunt in menſes Ianuarium atque Iunium. A quouis penſionario Diſſertationes duae, ab aſſociato vna minimum, quotannis praelegi debent. Ipſe Rex auguſtiſſimus, fauſto Academiae omine, tunc, quum inſtauratio facta eſſet, Protectoris titulum ſumſit, et quinquaginta aureorum praemium propoſuit, ei quouis anno ſoluendum, qui argumenti ab Academia publice indicati pertractatione inter caeteros eminuerit. Vid. *die Leipz. gel. Zeit. a. 1744. p. 682.* De laboribus, qui proſtant, Societatis litterariis, repete, ſi placet, dicta *Tomo II. Bibl. litt. cap. 6. ſect. 2. §. 4. p. 1015. ſq.* Clariſſimus FORMEY, perpetuus eiusdem Secretarius, edidit *Berolini a. 1750. in 4. Hiſtoire de l' Academie Royale des Sciences et belles Lettres depuis ſon origine*

gine jusqu' à preſent: *avec les pieces originales*. Recenſetur liber in *Actis Erud. Lat. a.* 1751. *p.* 311. *ſq.* Atque exinde hauſi plurima. Iuſſu Regio mox eſſe ſuppreſſum eundem, eiusque loco anno 1752. aliam ſubſtitutam editionem, didici ex *Catalogo Biblioth. Moshemianae*, *p.* 208. *num.* 4100. Huius autem interdicti cauſſae me latent. Cf. etiam *Memoire ſur le Renouvellement de l'Academie Royale des Sciences et des belles Lettres de Berlin*, in *Nouvelle Bibl. Germanique*, *Tom. I. Parte I. p.* 196. *ſq.*

Optimam poſtea ſpem excitauit noua *Scientiarum Societas*, anno 1751. *Gottingae* inſtituta, quae ortum ſuum et ornamenta debet illuſtriſſimo Munchhuſio, Academiae Curatori benigniſſimo. Diuiſa eſt iſthaec Societas tres in claſſes, *phyſicam*, *mathematicam* et *hiſtorico philologicam*. Praeſes conſtitutus Albert. Hallerus, qui adhuc, quamquam in Heluetia domicilium collocauit, munus illud ſuſtinet. Collegae ſunt non ſolum varii Profeſſores Gottingenſes, verum et extranei, atque inter hos non nulli ampliſſimae dignitatis. Secretarius perpetuus electus initio eſt, (at ob cauſſam, in *den Götting. gel. Anzeig. anni* 1756. *p.* 226. indicatam, aliquot annis poſt Clariſſimo Hambergero lampada tradidit,) qui nunc Directoris agit partes, Ioh. Dav. Michaelis, Vir in pluribus doctrinae partibus inſigniter exercitatus. Diuulgauit is quoque *Gottingae a.* 1752. *in 4. Commentariorum Societatis Regiae Göttingenſis* Vol. I. in quo eius ortum, et reliqua ad hiſtoriam ſpectantia, fuſius expoſuit. Hoc Volumen mox excepere alterum, tertiumque, quod anno 1755. ſequutum IV. eſt. Vid. *Bibl. litt. Tom. II. Cap. 6. ſect. 2. §.* 14. *p.* 1074 Acceſſiſſent ex eo tempore plura ſine dubio, niſi turbae bellicae, Muſis etiam Gottingenſibus perniciales, conatus eximios

mios interrupiſſent. Plura de inſtituto nobiliſſimo ſummatim exponuntur in *den Leipz. gel. Zeit. anni* 1752. *p.* 395. *ſq.*

Annus erat 1754. quum *Erfurti* ſurgeret *Academia Scientiarum vtilium Electoralis Moguntina*, cuius protector eſt Ioh. Frid. Carolus, Princeps Elector Moguntinus. Praeter medica, mechanica, mathematica et philologica curae habet in primis Hiſtoriam Thuringiae naturalem. Conatuum ſuorum primitias exhibuere Socii *anno* 1757. Tum enim Volumen I. *Actorum Academiae Electoralis Moguntinae Scientiarum vtilium, quae Erfordiae eſt*, adiectis figuris aeneis *in 8. Erfurti* edidere, cuius Collectionis recenſio honorifica exſtat in *den Götting. gel. Anzeig. anni* 1757. *Parte LXXXII. p.* 795. *ſq.* Praeſes tunc temporis conſtitutus fuit Ioh. Dan. Chriſtoph L. B. a Lyncker: Director autem Academiae Hieron. Frid. Schorchius, Anteceſſor Vniuerſitatis Erfurtenſis, multis ſcriptis minoribus clariſſimus. Succeſſit poſt Volumen Actorum alterum, quod propediem tertium excipiet. Sociorum ordinariorum ſunt octo tantum, quorum quatuor, vna cum Secretario, Erfurti, reliqui vicinis in Vniuerſitatibus commorantur. Neque tamen deſunt honorarii, extraordinariique, item tales inter quos, et Academicos, frequens eſt epiſtolarum commercium: vulgo dici *Correſpondentes* ſolent. Conuentus publici quouis trimeſtri, priuati contra ſingulis hebdomadis a Praeſide, Directore atque Collegis ordinariis aguntur. Vid. doctiſſimi WEIDLICHII *zuverläſſige Nachrichten von den ietztlebend. Rechtsgelehrten, Parte II. anno* 1758. *in 8.* edita, *p.* 410. et GOTTSCHEDII *Neueſtes aus der anmuth. Gelehrſamk. a.* 1757. *num. VI. p.* 466. *ſq.*

Nouiſſime, et anno quidem 1759, *Monachii* conflata eſt *Academia Scientiarum*, in duas Claſſes redacta.

redacta. Prior *hiſtorica* tractat, ad quae pertinent ſimul diplomatica, critica, linguae potiſſimum Germanicae, chronologica, genealogica, geographica, et Antiquitates quascunque illuſtrantia. Speciatim Socii indigenae Hiſtoriam patriam, et Genealogiam Principum nobiliorumque familiarum ſibi habere commendatiſſimam debent. Altera Claſſis *philoſophica* eſt. In ea non ſolum Philoſophia omnis excolitur, ſed Oeconomia etiam et Anatomia, vna cum hiſtoria morborum, qui apud Bauaros cum homines, tum pecora, fuerunt adorti. Praeſes, qui ſemper Miniſter Electoris eſt, quouis anno exeunte ab eodem vel nominatur, vel denuo confirmatur. Praeter hunc Propraeſes eſt Academiae praefectus, eiusque electio permiſſa Sociis, in conuentu praeſentibus. Vtraque tandem Claſſis Directore ſingulari ornata, qui eadem ratione vt Propraeſes, creatur. Plura hoc de inſtituto cognoſci poſſunt ex Schediaſmate, *Monachii a.* 1759. *in* 4. euulgato, inſcriptoque *Geſetze der Churbäyeriſchen Academie der Wiſſenſchaften.* Quem libellum copioſe commemorant Auctores *der Leipz. gel. Zeit. anni* 1759. *p.* 562. *ſq.*

§. XV.

Splendidiores hae ſunt Germanorum Societates: reſtat igitur, vt et eas tangamus, quae vel, publicae quidem, at minores dicendae, vel quae priuatorum ſaltim ſtudio aliquámdiu floruerunt. Primum hic locum tribuo.

Societati Charitatis et Scientiarum in Saxonia electorali, cuius praecipuus eſt finis, vt, praeter bonarum artium et ſcientiarum incrementum, eruditorum defunctorum viduis liberisque proſpiciatur, illorum ſcripta nondum edita, Bibliothecae, numiſmata, inſtrumenta mathematica, et alia rariora,

riora, vel conſeruentur, vel commode vendi queant, ſimul autem vitae ipſorum, laudabiliter peractae memoria typis ad poſteros propagetur. Atque ideo ſinguli Sociorum, recepto more, quotannis duos Imperiales, et quoties Collega diem ſuum obiit, dimidiam partem inferre aerario debent. De conſtituenda iſthac Societate iam anno 1709. cogitare coeperat, qui latere ſemper voluit, Vir quidam ad Muldam habitans, pietate non minus, quam eruditione inſignis, quod ſcriptis comprobauit variis, maximamque partem ad beatum ex hac vita diſceſſum ſpectantibus. Plauſu aliorum alacrior ad rem perficiendam factus, anno 1712. Praeſidem et eos quaeſiuit, qui nouam Societatem, pluribus iam auctam membris, conſiliis iuuarent. Quae quum ageret ſtrenue, mors oppreſſit Virum optimum. Itaque cura inſtituti deuoluta eſt ad Medicum quendam apud Dreſdenſes celeberrimum, qui Sam. Steuerlinum, Medicum prouincialem Numburgo-Hennebergicum, Phyſicum, Schleuſingenſem, et Academiae Naturae Curioſorum Collegam, precibus multis eo demum perduxit, vt primi munus Praeſidis, ad tempus ſaltim, ſuſciperet, binos magni nominis Theologos Conſultores, tum Adiunctum ſuperiorem, aliosque certorum pagorum, ſeu Circulorum, Adiunctos, ac demum Secretarium Societatis crearet. Poſtea Leges ſunt ſcriptae, annoque 1722. a Friderico Auguſto, Poloniarum Rege, et Principe Electore Saxonum, glorioſae memoriae, confirmatae. Statim anno inſequenti hae ipſae prodierunt *Dresdae in* 4. et hoc quidem titulo: *Confirmation derer Legum der Societaet chriſtlicher Liebe vnd Wiſſenſchaften.* Plura hocce loco commemorari, non patiuntur cancelli, quibus me circumdatum ſcio. Id vero ſilentio praeteriri nequit, ſcriptis etiam Societatem prodeſſe

eſſe voluiſſe Reipublicae litterariae. Lucem quippe vidit *Lipſiae anno 1725. in 4.* Tomo I. *Analectorum ex omni meliorum Litterarum genere, ſacro, hiſtorico, philologico, mathematico, antiquario, quae collatis operis ad publicos vſus euulgauit Societas Caritatis et Scientiarum*; quem excepit alter *ibid. a.* 1730. Vtrumque Volumen curauit Val. Ern. Loeſcherus, idque recenſetur in *den Deutſchen Actis* Erud. *Vol. XIII. P. 151. p. 487. ſq.* Acceſſit tandem Tomus III. *Dresdae a.* 1748. ſic inſcriptus; *Amoenitates meliorum Litterarum, in continuationem Analectorum ex omni meliori Litterarum genere caet. euulgatae a Societate Caritatis et Scientiarum.* Pleraeque ſymbolae ſunt bonae frugis, quam laudem potiſſimum merentur Commentationes Sociorum doctiſſimorum, Val. Ern. Loeſcheri eiusdemque fratris, Antonii Güntheri, Chriſt. Schoettgenii, Chriſt. Aug. Hauſenii, Frid. Gotthilf Freytagii, Ioh. Gideonis Gellii, caet. Is ipſe, quem nominaui modo, GELLIVS copioſe diſſeruit de Societate Charitatis et Scientiarum in *Miſcellan. Lipſ. Pezoldianis Tomo III. p. 218. ſq.* cui addenda omnino Praefatio, Tomo I. *Analectorum* praefixa, vbi nimirum obuia eſt *Notitia de Societatis Charitatis et Scientiarum initiis ac progreſſu.* GE. ERN. WALCHIVS etiam, vti obſeruatur in *Catal. Bibl. Bunav. Tomi I. Vol. I. p.* 985, eodem de argumento *Schleuſingae a.* 1735. edidit Programma, inſertum *Orationibus, et Programmatibus funebribus, in memoriam Ioh. Andr. Gleichii Dresdae eod. anno in f.* excuſis. An adhuc floreat iſthaec Societas, adfirmare non auſim. Certe non parum eam detrimenti cepiſſe opinor his annis, quibus clade belli crudelis peruaſtata Saxonia eſt. Interim optandum communis commodi cauſſa, quod in patriam meam dulciſſimam exinde redundare porro poteſt, vt non vires ſolum recipiat propediem, ſed et nouis emine-

emineat incrementis Collegium commendatione digniſſimum.

Anno 1727. perfectiorem induit formam *Societas Germanica Lipſienſis*, de cuius origine ac progreſſu paucis agendum. Iam anno 1697. iuuenes quidam, Poeſeos vernaculae ſtudioſiſſimi, e Gymnaſio Gorlicenſi prodeuntes excolendae eiusdem gratia auſpiciis Ioh. Burch. Menckenii coierant, atque hoc deinde inſtitutum, ſuccedentibus paullatim aliis, ad annum vsque 1717. continuarant ſine vllo duce, adſumto tamen nomine Societatis Gorlicenſis. Tum vero coeperunt maius quidpiam moliri, Poetarum Germanicorum Bibliothecam colligere, priſtinum ductorem ſuum iterum adire, eique praeſidium Societatis deferre, praeter Gorlicenſes alios etiam quoscunque admittere Poeſeos ſtudio inflammatos, nomenque ſibi dare *der Deutſchübenden Poetiſchen Geſellſchaft.* Conatuum ſuorum rationem reddidere Schediasmate, *Lipſ. a.* 1722. *in 4.* excuſo, *de inſtituto Societatis Philo-Teutonico-Poeticae, quae ſub praeſidio Ioh. Burch. Menckenii Lipſiae congregatur.* Auctor libelli eſt CHRISTIAN CLODIVS. Biennio poſt Catalogus tribus plagulis *in* 8. ſequutus eſt ſcriptorum poeticorum, ab anno 1719. vsque ad annum 1723. collectorum, quem non nemo lingua vernacula confecit. Vid. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1724. *p.* 296. His peractis Socii meditabantur editionem carminum ſuorum, quibus iam aliquot oppleuerant Volumina; Neumeiſterianam Diſſertationem de Poetis Germaniae, ſuperioris ſaeculi, multum augendam; doctorum Virorum, Leibnitii, Claubergii, Heraei, aliorumque conſilia, de lingua Germanica et Poeſi exornanda, cum notis diuulganda criticis; ac Lexicon poeticum nouum concinnandum. Hoc quidem Lexicon *Lipſ. a.* 1725. *in* 8. exhibuit IOH.

GE.

GE. HAMANNVS; caetera vero, quantum ego ſcio, praeſtita non fuere. Anno tandem, vt ſupra dixi, 1727. reddita Societas eſt longe ornatior, exemploque Academiae Francicae *Germanica* vocata. Tunc enim, praeter orationem ligatam, vindicauit ſibi ſolutam quoque, ac de Legibus tam renouandis, quam ordine meliori diſponendis, ſerio cogitauit, quod clarius docet celeberrimi GOTTSCHEDII, quamquam anonymi, Opuſculum, eo ipſo *anno* 1727. *in 8. mai. Lipſiae* hoc titulo excuſum: *Nachricht von der erneuerten deutſchen Geſellſchaft in Leipzig, vnd ihrer ietzigen Verfaſſung.* Breuiter illud recenſetur in *Actis Erud. Lat. a.* 1728. *p.* 526. quo ex loco profeci. *Ibidem anno 1731. ead. forma* iterum prodiit libellus continuatus, et locupletatus Catalogo librorum, quos collegerunt, Socii. Ex eo tempore admodum inclaruit, Menckenioque, et, eius poſt obitum, Moshemio Praeſide, Gottſchedio autem Seniore, complures in gremium ſuum recepit Societas, et natalium ſplendore, et eruditionis praeſtantia inſignes. Hos inter exſtant Ioh. Frid. Maius, Ioh. Henr. Wincklerus, Wolf Balth. Adolph. a Steinwehr, Ioh. Ge. Lotterus, Sam. Seidelius, Ioh. Adam Loewius, hodie ſummus in Ducatu Gothano ſacrorum Antiſtes, vt alios taceam, de lingua Germanica optime promeritos, quos ordine produxit alphabetico venerab. GOETTENIVS in *den ietzleb. gel. Europa P. II. p.* 783. *ſq.* Specimina diligentiae permulta exhibuit Societas Germanica, quae digna plauſu ſunt, diuerſitas licet ingeniorum et mediocria quandoque pepererit. Sic GOTTSCHEDII cura *Lipſ. a.* 1728. *in 8. mai.* accepimus. *Oden der deutſchen Geſellſchaft in Leipzig*, quod Volumen *anno 1738.* ſequutum eſt alterum; item *der deutſchen Geſellſchaft in Leipzig eigene Schriften vnd Veberſetzungen*, cuius Collectionis Pars I. *anno*

anno 1730. Pars II. 1734. Pars III. 1742. *in 8.* prelo exiit. Eidem Collegio nobili, et GOTTSCHEDIO cum primis atque LOTTERO, tribui debent *die Beyträge zur critiſchen Hiſtorie der deutſchen Sprache*, quo de Opere iam dictum *Tomo II. Bibl. litt. Cap. 6. Sect. I.* §. 25. *p.* 921. Nondum hoc erat finitum, quum a tota Societate inciperentur *Nachrichten vnd Anmerckungen, welche die Sprache, Beredſamkeit vnd Dichtkunſt der Deutſchen betreffen.* Pars I. *Lipſiae a.* 1739. Pars IV. *anno* 1744. *in* 8. cum Indicibus tribus lucem adſpexit. Poſtea deferbuit conatus, de quo vid. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1739. *p.* 529. Per annos etiam complures *in 8. mai.* edita fuere, quae praeſtantiſſima iudicauerat Societas, ſcripta, ligato ſolutoque ſermone compoſita ſuper argumentis, publice quotannis a Praeſide indicatis. Rariores facti hi libelli digni ſunt omnino, qui recudantur, ſingulare in Volumen congregati; neque memini enim, tale adhuc negotium quempiam ſuſcepiſſe. Hoc tempore non parum eſt mutata Societatis facies. Gottſchedius eandem iam dudum reliquit, et poſt annum 1755, quo ſuum amiſit Praeſidem, Moshemium, huncce locum nemo alius occupauit.

Probabile Lipſienſium inſtitutum excitauit variis in Academiis homines, linguae patriae amantiſſimos, vt ſimili ratione rem tantae vtilitatis curae cordique haberent. Primi fuere *Ienenſes*, qui, auctore Ioh. Andr. Fabricio, *Societatem Germanicam* anno 1728. condidere. Leges eius anno 1730. a Senatu Academico confirmatae, ſtatimque *in* 8. typis excuſae ſunt, Praeſidis prouincia oblata Gottlieb Stollio. Maiori iure commendari debent *Schriften der deutſchen Geſellſchaft zu Iena aus den ſchoenen Wiſſenſchaften*, itemque *aus den höhern Wisſenſchaften*, quae bina Volumina *ibidem a.* 1754. *in* 8. *mai.* publicauit b. CAROL. GOTTHELF MVLLERVS,

tum

tum Eloqu. ac Poeſ. Profeſſor, poſteaque Societatis Germanicae Senior. Protector eius nunc eſt Sereniſſimus Dux Vinarienſis: Praeſes illuſtriſſimus Comes, Henr. a Bunau nuper fuit. Nouiſſime ſucceſſerunt *der Ienaiſchen deutſchen Geſellſchaft der ſchoenen Künſte vnd Wiſſenſchaften Iubel Schriften zur Verherrlichung des zweyten Iubelfeſtes der Academie Iena, ibidem a.* 1759. *in 8.* Editor fuit etiam horum Opuſculorum, quibus inſerta et alia ſunt, nonnullis feſtis iubilaeis euulgata, doctiſſimus MVLLERVS, anno 1760. viuorum coetui ereptus. Cf. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1759. *p.* 123. ac de praemio annuo, a Beniamino Godofr. Reyhero conſtituto, 1757. p. 709.

In eadem Vniuerſitate celeberrima egregie floret *Societas Latina.* Originem trahit a Georg. Ludov. Herzogio, ſolemniterque inaugurata eſt anno 1734. Praeſidis honores libenter recepit illuſtriſſimus Comes Ruthenus, Henricus IX. Director contra declaratus fuit Ioh. Henr. Kromayerus, quem ſequuti ſunt Frid. Andr. Hallbauerus, Chriſt. Henr. Eckhardus, et, qui iam hanc ſpartam ornat, Ioh. Ern. Imman. Walchius. Anno 1751. celſiſſimi Protectoris nomen dari ſibi paſſus eſt Sereniſſimus Princeps, Fridericus, terrarum Gothanarum et Altenburgenſium haeres. Socii ſunt vel ordinarii, vel honorarii, quos inter et mihi ante quatuor luſtra eſt locus conceſſus. Iam *anno* 1741. et 1743. *Lipſiae in 8. mai.* Voluminibus II. Hallbauerus exhibuit *Exercitationes Societatis Latinae, quae Ienae eſt*, indicatas cum epicriſi in *den Leipz. gel. Zeit. a.* 1741. *p.* 318. et *a.* 1743. *p.* 598. *ſq.* Quoniam igitur non pauca in hiſce ſchedis reperiebantur, quae in argumentis aut nimis vulgaribus, aut ad noſtri potiſſimum aeui vſum parum adcommodatis, verſabantur, adeoque neutiquam ſeſe probabant legentibus,

tibus, elegantiora deſiderantibus; longe aliam ingreſſus viam eſt laudatus WALCHIVS in *Actis Societatis Latinae Ienenſis*, cura ipſius euulgatis. Diligenter enim prouidit, ne rebus vtilitas, neque ſermoni ſplendor ac gratia deeſſet, quam ob cauſſam declamationes, epiſtolas et inſcriptiones, in Collectione Hallbaueriana frequenter obuias, omitti placuit, ſingulosque Tomos duas in partes diſpertiri, ita quidem, vt altera ſelectas Diſſertationes complectatur Sociorum, altera eorum Elogia, qui, rebus erepti humanis, prae caeteris ingenii doctrinaeque laude tam in Germania, quam apud exteros, inclaruerunt. Horum *Actorum* Volumina iam V. exſtant. Primum *Ienae a.* 1752. alterum 1753. tertium 1754. quartum 1755. quintum 1756. *in 8. mai.* excuſum eſt. Cuiuis praemiſſa Societatis Latinae Hiſtoria, quae debetur cum CHRISTIANO GVIL. FRANCISCO, tum CAROLO FRIDERICO, fratribus WALCHIIS, Ephorisque Societatis. Ille nunc Theologiae Profeſſor in Academia Gottingenſi, hic Anteceſſor in Salana patria rem publicam litterariam praeclare meritis ſuis illuſtrat. Nec tacenda hoc loco Bibliotheca eſt, nondum ampla quidem, at praeſtantiſſimis tamen Scriptorum veterum Graecorum et Romanorum editionibus, a Gallis, Belgis et Germanis adornatis, itemque libris doctiſſimorum hominum, qui linguae Latinae elegantia ſtudioque critico caput extulerunt, perbelle inſtructa. Stati ſolemnesque Societatis conuentus Februario et Septembri menſe celebrantur ad renouandam Academiae Ienenſis atque Societatis memoriam, ad quos Profeſſores ac Teutonicae Societatis Collegae ſinguli inuitari ſolent. Aliasquouis die Saturni horis pomeridianis in aedes Directoris confluunt Socii tam honorarii, quam ordinarii, qui Ienae adſunt, vt audiant eloquentiae ſpeci-

ſpecimina, quae duo ex illis recitant, finitaque lectione declarent, quid de verbis, quibus vſi ſunt quid formularum argumentorumque de ratione ipſis videatur monendum eſſe.

Anno 1738. nata eſt *Societas Teutonica Gottingenſis.* Praeſidem ſibi mox delegit Ioh. Matthiam Geſnerum: Secretarium autem Carol. Ludov. Hardingium, et, poſt alios, Rudolph. Wedekindium, qui deinde eſt Senior illius conſtitutus. Publicae Societatis honorem, beneficio Regio, anno 1740. obtinuit. Vid. GESNERI *kleine deutſche Schriften, Gottingae* 1756. *in* 8. *p.* 55. *ſq.* Superbit eadem Sociis dignitate doctrinaeque ornamentis illuſtribus, quos inter nomina inueniuntur Aug. Guil. L. B. a Schwicheldt, et Burch. Chriſt. a Behr, Virorum ſummorum, hodie auguſtiſſimo M. Brit. Regi a conſiliis ſanctioribus, Alb. ab Haller, Ioh. Laur. a Mosheim, Pauli Gottlieb Werlhofii, Ioh. Dav. Michaelis, et caeterorum, qui memorantur in WEDEKINDII Praefatione, praefixa GOTTL. CHRIST. SCHMALINGII Poematibus, quae *Ilefelds Leid vnd Freude* inſcripſit Auctor, atque publicauit *Gott.* 1748. *in* 4. Intelligitur exinde ſimul, diebus Saturni ſingulis, poſt meridiem conuenire Socios praeſentes, eosque ordinarios: honorarios contra, Gottingae commorantes, ſuo arbitratu accedere, hosque inuitari ſeparatim, ſi quandoque extra ordinem aliquid ſit peragendum. Addidit Wedekindius anno ſequenti 1749. Epiſtolam Germanicam, Ioh. Chriſt. Cunoni, mercatori Amſtaelodamenſi, conſecratam, *ibidemque in* 4. typis impreſſam, in qua *p.* 20. occurrit *fernere Nachricht von der Königl. deutſchen Geſellſchaft zu Göttingen.* Viget Societas adhuc, bellicis licet calamitatibus nuper adflicta protectore illuſtriſſimo, Henrico XI. Comite Rutheno, iam regnante Obergraetzii: neque tamen placuit ipſi, la-

borum ſuorum monumenta, quorum varia ſeorſim prodierunt, certis faſciculis in lucem proferre.

Tum anno 1739. coaluit *Societas Teutonica Gryphiswaldenſis*, anno ſtatim 1740. Regis Suecici confirmata Codicillis, ſolemnique ritu dedicata. Praeſes eo tempore fuit Matthe Frid. R. I. Comes a Putbus; Director Auguſtin. a Balthaſar; (cuius Oratio inauguralis *von den Vrſachen vnd Mitteln der Aufnahme vnd des Verfalls der Academien* exſtat in eius *Rituali Academico p. 457. ſq.*) Secretarius autem Ioh. Car. Daehnertus. Omnium Sociorum nomina vsque ad annum 1745. leguntur in RATHLEFII et STRODTMANNI *Geſchichten ietztlebender Gelehrten, Parte IX. p. 236. ſq.* Debetur huic Societati, praeter alia, Opus eruditum, *anno 1741.* ac ſequentibus *Gryphisw. in 8.* hoc editum titulo: *Critiſche Verſuche zur Aufnahme der deutſchen Sprache*, cuius ſcio Partes proſtare XV, ſex implentibus Volumen. Num plures deinde acceſſerint, ego quidem non habeo cognitum. Anno 1750. conſtituerunt Sodales; non ſolam colere linguam Germanicam, rem litterariam criticamque ſed potius in aliis etiam diſciplinis ingenii vires periclitari, quo de conſilio vid. *die Leipz. gel. Zeit. a. 1751. p. 25.*

Conflata ſimiliter anno 1742. Gryphiswaldiae eſt *Societas Collectorum Hiſtoriae Iurisque patrii.* Director et huius fuit laudatiſſimus Balthaſar, qui congreſſus iſtos inchoauit Oratione, *ibidem a. 1742. in 4.* excuſa, *von den Vorzügen vnſerer Zeiten vor denen ältern, in Anſehung des verbeſſerten Zuſtandes der Wiſſenſchaften, ins beſondere des Studii Hiſtoriae et Iuris patrii.* Vid. *Hamburg. Berichte von gel. Sachen, a. 1743. p. 19.* Prodiit poſtea, *a 1745. eadem forma, Verzeichniß der iährlichen Bemühung der vnter dem Nahmen* Collectorum Hiſtoriae et Iuris patrii *in Greiffswalde*

walde blühenden Geſellſchaft. Enimuero, quod a non nemine accepi nuper, inſtitutum hocce per breue ſaltim temporis ſpatium durauit.

De *Societate Teutonica Regiomontana*, iuſſu Regio m. Nouembri a. 1743. publicis caerimoniis condita, cui Protector praefectus eſt illuſtriſſimus Status Adminiſter, Wallenrodius, Director autem Coeleſtin. Chriſtian. Flotwellus, Eloquentiae Germanicae Profeſſor, legi merentur *die Leipz. gel. Zeitung a. 1744. p. 28.* Conatus eius docent *der Königl. Deutſchen Geſellſchaft zu Königsberg eigene Schriften, Regiom. a. 1754. in 8, mai.* de qua prima collectione vid. *die Hamb. Berichte von gel. Sachen 1754. p. 750. ſq.*

Succeſſit anno 1748. *Societas Teutonica Helmſtadienſis*, cuius origo tribuenda maxime Viris clariſſimis, Chriſtiano Erneſto a Windheim, Prof. Erlangenſi, et Ioh. Chriſtoph. Stockhauſenio, iam Iohannei Luneburgenſis Rectori meritiſſimo. Medio anno 1749. ſolemni modo facta eſt publica, Principisque auguſti priuilegiis ſtabilita. Primus Praeſes fuit Chriſtoph Timoth. Seidelius, Theologus Acad. Iuliae: primus Ephorus laudatus Stockhauſenius, quem ſequuti Ern. Aug. Bertlingius, et Ioh. Frid. Eiſenhartus, Anteceſſor ibidem celeberrimus. Conuenire Sodales priuatim ſolent ſingulis Saturni diebus; ter autem quotannis in Auditorio Academiae maiori ad celebrandum natalem Ducis Sereniſſimi, Academiae et ipſius Societatis, qua occaſione Oratio recitatur Germanica. Habet etiam Collegium hocce Bibliothecam, et eam quidem, pro ratione aetatis, non contemnendam. Aliquot per annos pauca de eodem, nunc plura innotuere in *dem Helmſtädtiſch. gelehrt. Wochenblatte a. 1761. in 4.* vbi videatur Index v. *Geſellſchaft.* Cf. *die critiſche Biblioth. Vol. I. p. 397.*

 Nihil

Nihil dicam de Societatibus eiusmodi *Bremenſi, Altorſina, Erlangenſi*, et aliis, quibus acceſſit *Teutonica Vindobonenſis*, ineunte anno 1761. primum conſtituta, Fore ſpes eſt, vt mox, potentiſſimae Mariae Thereſiae beneficio, ex priuata transformetur in publicam. Vid. *das Neueſte aus der anmuthig. Gelehrſamkeit anni 1761. num. IV. p. 262 ſq.* quo ex loco adparet, congregari Socios in aedibus illuſtris Rieggeri, Profeſſoris Iuris, Directorem vero eſſe Ioſephum N. D. a Sonnenfels. De aliis Societatibus Teutonicis vid. IOH. ANDR. FABRICII *Abriß einer vollſtändigen Hiſt. der Gelehrſamkeit. Tomo III. p. 773. ſq.* Inſignes etiam fructus in nobilioribus eruditionis aruis pollicetur *Societas litteraria Duisburgenſis*, anno 1756. orta *ibidemque 1761. in. 4. mai.* laborum Partem I. feliciter edidit.

§. XVI.

Ad Germanorum Societates litterarias, easdemque priuatas tantum, pertinet *Collegium Gellianum Lipſienſe.* Conditum eſt anno 1641. prima Dominica Aduentus, quem diem Sodales quotannis habuere feſtum. Gelliani nomen ex *libri XVIII. cap. 2. Noctium Atticarum Gellianarum* adeptum eſt, primique Sodales fuere, atque hi quidem celebriores, Frid. Rappoltus, Ioh. Strauchius et Caſp. Zieglerus, quibus deinde ſe adiunxere, praeter alios plures, Sam. Langius, Chr. Frid. Franckenſteinius, Sigism. Finckelthaus, Matth. Zimmermannus, Eſaias Pufendorfius; Ioh. Schilterus, Ioh. Andr. Boſius, Paul. Amman, Iac. Bornius, Ioh. Bened. Carpzouius, Valent. Alberti, Ioach. Fellerus, et Otto Menckenius. Quid agendum fuerit in conuentibus, haec ex Statutorum Cap. II. clare docent: *Latine proponi debent omnia: praecipuas partes habeto Philologia ſacra: Hiſtorica praeſertim, quibus ritus antiqui*

tiqui et mores, et rerum initia cauſſaeue traduntur, admittuntor: Controuerſias autem ex tetrica Philoſophia ſpinoſiores abeſſe volumus. Eo conſilio nouimus, expoſuiſſe Rappoltum Minutii Felicis Octauium, et Satyras Iuuenalis; Strauchium Gellii Tacitique Opera, et ex Suetonio Antiquitates Romanas; Zieglerum ex Ariſtophane Graecas, et ex Patribus, vt vulgo dicuntur, eccleſiaſticas Antiquitates. Deſiiſſe videtur, hoc inſtitutum poſt annum 1673. Interea tamen temporis aliud ibidem Collegium coaluit, *Anthologicum* vocatum, cuius ortus in annum 1655. incidit. Primum conuenere quatuor homines eruditi, Wolfg. Ovw, Ioh. Hrabskius, Wolfg. Abrah. Stegerus, at Eberh. Mullerus, quibus mox acceſſerunt alii, inter quos cumprimis notari debent Sam. Pufendorfius, et Ioh. Lyſerus, notiſſimus ille Polygamiae patronus. Deinde plurium Sodalium numerus accreuit vsque ad annum circiter 1673, quo tempore dilapſum Collegium eſt, reſtitutum demum anno 1685. cura potiſſimum Chriſtiani Krumbholtzii, cuius nemo facile ignorat fata. Coepit autem in vnum veluti corpus conflari cum Collegio Gelliano et *Societate Conferentium*, quam anno 1663. Frid. Geislerus, Dan. Mullerus, Ioh. Cyprianus, Frid. Nitſchius, et Godofr. Guil. Leibnitius auſpicati fuerant. Atque tum floruit, ſine vlla fere perturbatione, per complures annos Collegium Anthologicum, non paucis viris in toto litterario orbe illuſtribus conſpicuum. Nouiſſimi, quantum ſcio, Socii fuerunt Chriſt. Frid. Boernerus, Ge. Chriſt. Gebauerus, Ioh. Zach. Platnerus, Frid. Menzius, Ge. Frid. Richterus et Ioh. Erhard. Kappius. Videatur, qui adcuratam Collegii Gelliani et Anthologici hiſtoriam *Anthologicarum Diſſertationum* libro *Lipſ. a.* 1733. praemiſit, laudatiſſimus GEBAVERVS, vbi ſub finem huius pertractationis

p. 128. ſic ſcribit: *Leges nobis ſunt nullae, praeter id, quod naturalis ratio, decori amica vis et tenax moris antiqui ſtudium nobis commendat. Septimo quoque die conuenire ſolemus, qui Saturni eſt, poſt horam quartam auditam, apud indulgentiſſimum hoſpitem, ſaepius nobis laudatum Boernerum. Nihil eſt rerum diuinarum vel humanarum, quo nobis florum legendorum cauſſa excurrere non liceat. Amoeniora tamen et laetiora fere ſeligimus, et quae plerisque Collegarum voluptati fore praeuidemus: ſedulo nobis temperantes ab eo, quod Theologia habet auſteri, Iurisprudentia ſpinoſi, Ars ſalutaris abſtruſi atque reconditi. - - - In hunc modum Collegium noſtrum iam annum agit ſeptuageſimum nonum.* Scripſerat haec Gebauerus anno 1733. Nunc, mortuo Boernero, caeterisque, Gebauero etiam ad Muſas mox Gottingenſes euocato, coetus hicce doctiſſimorum hominum non amplius frequentatur. Cf. *Acta Brud. Lat. anni 1733. p. 376. ſq.*

In Academia Salana inſtituebatur anno 1672. *Societas Pythagorea.* Auctorem illa habebat Erhard. Weigelium, Mathematicum magni nominis, coeuntibus in ſocietatem quibusdam Magiſtris eruditione clariſſimis, qui ſtato conuenientes tempore ſuas conferebant ſymbolas, atque ſelectas excutiebant quaeſtiones. Inter has Tetractys iſta, ab ingenioſiſſimo Weigelio inuenta, quae Tetracty Pythagoreae reſpondebat, de qua lectu digna diſſeruit BRVCKERVS *Hiſtor. crit. Philoſ. Tomo I. p. 1053. ſq.* ad examen adcuratius proponebatur. Hinc Societas iſthaec primum Diſceptationum ſpecimen aliorum induſtriae publice obtulit *Ienae anno* 1673. *in* 4. inque eodem Tetractyn Weigelianam cognoſcendam praebuit. Adnexa eſt IOACH. HENR. HAGENII *Epiſtola*, Societatis continens hiſtoriam. Quam diu ſteterit, ignotum eſt mihi: facile creden-

dendum tamen, eam, auctore anno 1699. viuis erepto, non amplius ſuperfuiſſe.

Eodem anno, atque in eadem Academia, coepit quoque *Societas Diſquirentium*, a celeberrimo Philologo, Ioh. Andr. Boſio, condita, et poſt huius obitum, qui anno mox 1674. conſequutus eſt, Praeſide Ioh. Schiltero, hoc autem Ienam derelinquente, a Ioh. Andr. Schmidio, poſtea Vniuerſitatis Iuliae ornamento, continuata. Conuenerat inter Collegas, qui omnes erant Doctores vel Magiſtri Ienenſes, vt libros recenſerent varios, nouos aeque atque antiquos, et potiora exinde certos in commentarios referrent. Nihil autem horum conatuum productum in lucem eſt. Sola hiſtoria Societatis in ſcripto quodam expoſita fuit, Ioh. Chriſt. Schroeteri, nouo Doctoris Iuris titulo conſpicui, honoribus conſecrato, editoque abs Collegis *Ienae a.* 1683. *in* 4. Vid. STRVVII *Bibliotheca Saxonica, p.* 407.

Sic et anno 1699. *Kilonii*, Ioh. Burch. Maii auſpiciis, formata fuit *Scrutantium Societas*, ideo hoc inſignita nomine, quoniam ſcrutari dicuntur, quicunque res abſconditas atque abſtruſas, humano tamen generi prae caeteris vtiles, ſollicita cura perquirunt ac diſcutiunt. Praeſidis partes egit Maius, cuius in aedibus bis per hebdomadam, diebus Mercurii et Saturni, congregati ſunt Sodales, de que omnibus rebus, quae ad Hiſtoriam faciunt litterariam, diſſeruerunt. Integrum erat aliis etiam, ſermonibus eiusmodi intereſſe. Vid. *Leges Societatis Scrutantium, Kiliae* 1698. *in* 4. Ex hoc etiam Collegio diuulgata ſunt *ibid. a.* 1699. *ead. forma Acta litteraria Societatis Scrutantium in Academia Kilonienſi, Sereniſſimi Principis ac Domini, Friderici IV. heredis Noruegiae caet. clementiſſimo indultu recens inſtitutae:*

 in qui-

in quibus, quicquid ad veram elegantemque litteraturam ſpectat, ſuccincte traditur. Hoc ipſius Maii Opuſculum recenſetur in NEOCORI et SIKII *Bibl. libr. nouor. m. Iulio atque Auguſto anni 1699. p. 540. ſq.* At ſpes in herba ſtatim periit, merique fuere hominum eruditorum conatus.

Sub idem tempus, et exeunte quidem ſaeculo ſuperiori, Hanouerae orta eſt *Societas Conantium*, ſtudio O. C. Cochii, tandem in aula Holſatica Conſiliarii intimi. Pertractabantur in illa illuſtres Iuris publici controuerſiae, Hiſtoria recentior, litteraria item atque eccleſiaſtica, Iurisque ciuilis et naturalis. Nec phyſica et mathematica negligebantur. Deſiit autem inſtitutum anno 1701. Sodalibus partim defunctis, partim alio euntibus; v. g. vocatis in Academiam Iuliam celeberrimis poſtea Viris, Ioh. Guil. Engelbrechto, et Ioh. Ge. Eccardo. Interim anno 1711. feliciter Helmſtadii eſt renata Societas iſthaec, Directoremque habuit Corn. Dieter. Kochium, Doctorem Theologum, atque tunc temporis Philoſophiae Profeſſorem, cui ſe adiunxerunt ſummi doctrina homines Ioh. Bernh. Wideburgius, Sim. Frid. Hahnius, Polyc. Lyſerus, Paul. Gottlieb Werlhofius, atque alii, qui colloquuti ſunt inter ſe de rebus eruditorum et libris nouis, rarioribus quoque vel editis, vel manu exaratis, quaeque ſunt expoſita, in commentarios retulerunt. Mors tandem Kochii anno 1724. totum hoc negotium litterarium finiuit. Cf. *Annales Acad. Iuliae Semeſtri I. p. 161. Semeſtri II. p. 117. Semeſtri III. p. 121.* et *Semeſtri IV. p. 133. ſq.* vbi *Acta Societatis Conantium* leguntur.

Anno circiter 1715. Vitembergae coiit *Societas Colligentium*, cuius caput fuit Polyhiſtor deinde memorabilis, Polyc. Lyſerus, admiſſis, quos noui, Sociis

Sociis Woldebrando et Ioh. Vogtiis, itemque Meinhardo Pleſken. Publice laborum ſuorum reddidere rationem Collectionibus binis *Adparatus litterarii*, de quo libro ſingularia iam notaui *Tom. II. cap. 8. ſ. 16. p.* 1538. Poſt annum 1718, quo ſtabilem fortunae ſedem Helmſtadii Lyſerus inuenerat, diruptum eſt omne Collegarum vinculum.

Diutius floruit *Societas Patriotarum Hamburgenſis*, quae progerminauit ex conſortio, *die Deutſchübende Geſellſchaft* dicto. Coepit illud anno 1717. ſtudio Bartholdi Henr. Brockeſii, Ioh. Alb. Fabricii, Mich. Richey, Ge. Iac. Hoefft, Ioh. Hübneri, Ioh. Vlr. Koenigii, et Sam. Triewaldi. Vid. laudati RICHEY Praef. *Idiotico Hamburgenſi* praefixa, *p.* 12. Inſtituto deinde neglecto, vbi vix triennium effluxerat, noua tentarunt Brockeſius, Fabricius atque Richeius, quorum conſilia, Rei publicae vtiliſſima, adeo ſtatim placuerunt aliis quibusdam viris, vel munerum ſplendore, vel doctrinae praeſtantia ornatiſſimis, vt accederent trigae huic, modo laudatae. Fuerunt. autem ii Ioh. Iul. Sürlandus, Reipublicae Hamburgenſis Syndicus, Conr. Widow, tum Senator, tandem Conſul, Ioh. Thomas, Theol. Doctor, et Eccleſiae Anglicae apud Hamburgenſes Paſtor, Chriſt. Frid. Weichmannus, hodie in Sereniſſimi Ducis Brunſuico-Luneburgici aula Conſiliarius, Ioh. Adolph. Hoffmannus, priuatam agens vitam, Ioh. Klefekerus, Syndicus, et Ioh. Iul. Anckelmannus, nobiliſſimo Quindecim virorum Ordini a ſecretis. Convenerunt homines iſti, patriae ſtudioſiſſimi, inde ab anno 1723. quouis die Veneris, horis pomeridianis, ac de rebus moralibus ciuilibusque et oeconomicis praeclare inter ſe contulerunt, Quod ne ſine publico fieret commodo, ineunte anno 1724. vsque ad anni 1726. exitum per ſingulas hebdomadas folia quaedam Germa-

nica in 4. typis curarunt imprimenda, quae dici vix poteſt, quam ſint iucunda lectu, quantopere ad commendandam virtutem ſpectent, corrigendosque mores ciuium corruptos. Hanc metam enim ante oculos ſibi praecipue viri optimi poſuerant. Elegantius tum atque emendatius Opus id, *der Patriot* inſcriptum, prodiit *Hamb.* *a.* 1728. *Volum. III. in* 8. *mai.* cum Indicibus locupletiſſimis, cuius editionis cura demandata RICHEIO fuit. Repetita eadem *anno* 1737. ac denuo *a.* 1748. Imo et Belgicam habemus MATTHAEI DE RVYSCHER verſionem, de qua ſermo eſt in *Biblioth. Belgique. Tomo II. p.* 158. et in *den Leipz. gel. Zeit. a.* 1733. *p.* 27. Tomi ſunt itidem tres, *L. B. anno* 1732. *in* 8. exhibiti. Patet inde luculenter, plauſu haud ſane mediocri has exceptas Ephemerides fuiſſe. Nec id certe immerito. Succurrunt iam HEVMANNI verba in *Conſp. Reip. litt. Cap. VI. §. 39.* ſub finem, quae haec ſunt: *Ex eo tempore iudicatum eſt, toti Graeciae non cedere Hamburgum, vno ſcilicet temporis articulo habens non ſeptem, ſed decem Sapientes, i. e. Philoſophos, quorum eloquentiae an ſapientiae vis maior ſit, incertum videatur plerisque.* Nihilo tamen minus varii exſtitere, veritatis impatientiſſimi, at lucifugi, qui ſchedis maxima ex parte illiberalibus et inſulſis maculare ſtuduerunt Societatem honeſtiſſimam. Permultae harum prolatae ſunt in HAMANNI *Hamb. Auszügen aus neuen Büchern, Parte II. p.* 138. *ſq.* quo loco recenſetur breuiter Patriota Hamburgenſis. Nunc, poſt obitum plurimorum Collegarum, concidiſſe Societatem ipſam, relatum eſt mihi ab amico.

§. XVII.

Feraciſſima itidem Gallia Societatum eſt litterariarum. Prior aetate *l'Academie Françoiſe* priuatis primum curis, ad euehendam linguae Gallicae

ac

ac ſimul gentis dignitatem, Pariſiis anno 1629. coepit in aedibus Valent. Conrarti, Conſiliarii et Secretarii Regii, poſtea vero auſpiciis Richelii, Cardinalis, edicto Ludouici XIII. confirmata fuit et publica facta anno 1635. Excitarunt Richelium ad hoc inſtitutum partim Ioh. Capellanus, de quo MARESIVS *lib. II. epiſt.* 43. *p. m.* 471. ſic ſcribit: *ad te, vt veniam, mi Capellane, ſane mihi laudibus omnibus exornandus videris, quod ſummo viro, imo heroi potius, inſtituendae Francicae Academiae in primis auctor fueris;* partim Franc. Metellus de Boisrobert, vti ex GOVIETI *Bibliotheque Françoiſe*, eiusque Tomo XVII, refertur in *den Leipz. gel. Zeit.* anni 1757. *p.* 498. Rationibus tamen politicis motum etiam ad rem hanc fuiſſe Richelium, vt acutiſſima Gallorum ingenia eo modo a grauioribus aulae negotiis abſtraherentur, perſuademur a GVIL. TEMPLE in *Eſſais de la Poeſie.* Vid. eius *Oeuvres melées, à Utrecht* 1693. *in* 12. *p.* 420. Idem adſeruit hoc ſaeculo, praeter alios, IOH. TOLANDVS *p.* 90. ſcripti, *Amſtaelod. a.* 1709. *in* 8. contra Diarii *Mercure galant* auctorem hoc editi titulo: *Gallus aretalogus, odium orbis et ludibrium, ſiue Gallantis Mercurii gallantiſſimus ſcriptor vapulans.* Primi Societatis Protectores Richelius, et Petr. Seguierius, Cancellarius Franciae, fuere, qui poſt illius obitum ab anno 1642. hanc ſpartam per annos triginta ornauit. Anno deinde 1672. ipſe Rex idem ſibi nomen adſcribi paſſus eſt. Socii, quorum eſſe debent ſecundum Statuta numero quadraginta, egregiis ſunt priuilegiis praediti; nacti quippe non modo immunitatem ab excubiarum tutelarumque onere, ſed et fori priuilegium, quod vocant Galli *Droit de Committimus*, ac propterea non niſi coram Senatu Regio agi contra eosdem poteſt. Horum ex coetu Director eligitur, ſeu Praeſes, Cancellarius, qui ſigil-

ſigillum ſeruat, et Secretarius, cuius manu expediuntur Academiae nomine ſcribenda. Conuentus celebrantur in antiqua Luparenſi arce, quae Pariſiis eſt, et *Louvre* dicitur, ac ſingulis quidem Lunae, Iouis, Sabbathique diebus. Si feſtus incidat ſtatis his temporibus dies, pridie eius id fieri ſolet. Olim colloquio finito, diſcedentibus Sociis quadraginta ſemper nummi argentei (*Iettons*) diſtribuebantur, vna facie Regis effigiem repraeſentantes, cum Gallica inſcriptione: *Louis XIV. Roi de France et de Navarre*; altera vero haec verba circa marginem: *Protecteur de l'Academie*, inque medio corollam lauream, cui inſertum: *à l'immortalité.* Iſti nummi ea conditione dabantur, vt praeſentes abſentium caperent portionem. Neſcio tamen, an hodie adhuc talis conſuetudo vigeat. Id certum, praemia nunc quotannis proponi, quibus donantur, quorum in eloquentia cum ſoluta, tum ligata, ingenium, plurimorum ſuffragiis, creditur praeſtantiſſimum eſſe. Qua de re ſic differentem audiamus ANT. MARTIAL. LE FEVRE in libello *Les Muſes en France* inſcripto, atque *Paris a.* 1750. *in* 12. euulgato, *p.* 81. Verba haec ſunt: *Cette Academie tous les ans, le jour de St. Louis, donne un prix d'Eloquence, et un prix de Poëſie, dont elle fait ordinairement publier les ſujets un peu après la S. Martin. Le prix d'Eloquence eſt une médaille d'or de S. Louis, elle eſt de deux cent livres. Ce prix a été fondé par M. de Balzac, qui a laiſſé deux mille livres de fonds pour ce ſujet. Le prix de Poëſie eſt une médaille d'or du Roi de la valeur de trois cent livres. C'eſt M. l'Euêque de Noyon, François de Clermont Tonnere, Académicien, qui a fondé ce prix à perpetuité, moyenant la ſomme de trois mille livres, conſtituées ſur l'Hôtel de Ville de Paris.* Ad nouum Socium, in ordinem cooptandum, opus eſt, vt viginti minimum praeſentes ſint; extur-

exturbari vero ſemel receptus nequit, niſi quid admiſerit bono honeſtoque viro indignum. Duo ſaltim exempla ſuperiori ex aetate memorantur de loco ſuo deiectorum, quorum alter fuit Granerius quidam, ob interuerſum depoſitum, ipſius concreditum fidei: alter Anton. Fureterius, plagii maxime litterarii cauſſa, quandoquidem adſerebant Collegae, eundem partem haud exiguam Dictionarii ſui rapuiſſe ex ſchedis Academicorum, ſimili labore implicitorum, vt alia taceam, de quibus legantur, *Acta Erud. Lat. anni* 1687. *p.* 372. *ſq.* Cf. eadem *a.* 1690. *p.* 283. quem locum meos in vſus conuerti. In excolenda lingua patria, cuius principem ſemper rationem habuit Academia, praeclare olim ſtudium ſuum collocarunt Claud. Faber de Vaugelas et Dominic. Bouhours. Inter alia membra, eaque potiora, exſtitere Iac Benignus Boſſuetus, Carol. Berraltus, Eſprit Flechierius, Galleſius, Aegid. Boileau, Petr. Corneille, Euſeb. Renaudot, Franc. de Callieres, Fenelonius, Ioh. Paul. Bignonius, Ludov. Couſinus, caet. Recentiſſimos Socios nominauit FORMEY in *France litter. p.* 16. PAVL. PELLISSONVS ſcripſit Gallico ſermone *Hiſtoriam Academiae Francicae*, quae primum *Pariſ. a.* 1653. *in* 8. poſt auctior *Hagae Com. a.* 1688. iterumque *A ,tael. a.* 1717. ac nouiſſime *Pariſ. a.* 1780. cum *in* 4. tum *in* 12. *mai.* prodiit. Atque huic editioni ſeparatim adiecit OLIVETVS Continuationem ab anno 1652, quo deſierat Pelliſſonus, vsque ad a. 1700. Dixi iam *Tomo II. cap.* 7. *ſſ.* 18. *p.* 1209. de vtroque libro. Hic vero loci eſt indicandum, Bernardum, bibliopolam Amſtaelodamenſem, recudendum curaſſe anno 1730. Volumen Olìueti, ſolique Pelliſſonianae editioni, quam antea nouis typis produxerat, alium praefixiſſe titulum, nec addidiſſe animaduerſiones et emendationes Olìueti, paſſim inſertas.

Cauen-

Cauendum igitur emtoribus, ne comparent exemplar Amſtaelodamenſe, mutilum quippe et imperfectum. Vid. *die Leipz. gel. Zeit. anni* 1730. *p.* 681. Quod attinet ad memoratas animaduerſiones, de iis *Acta Erud. Lat. a.1730. p.360.* nos certiores reddunt, obſeruaſſe Auctorem, vbi mutatae ſint Academiae conſuetudines inſequenti tempore, aut vbi erravit aliquando Pelliſſonus, haud adeo ſufficienti rerum notitia inſtructus: eundem ſimul Academicorum concinnaſſe Catalogum, variisque notatu dignis Virorum celeberrimorum elogia et vitas illuſtraſſe. Dolere tamen Oliuetum, quod ſcriptos Academiae Commentarios atque Indices vſurpare non potuerit. In manibus eos Pelliſoni fuiſſe, ſed intercidiſſe cum aliis autographis, ipſo ad carceres damnato. De libris et opuſculis, quae laudatae Academiae originem debent, adcurate actum ab Oliueto, qui, ſi quis haec noſſe voluerit, omnino eſt conſulendus. Maxime illuſtrem ſibi locum vindicat *Dictionaire univerſel de la Langue Françoiſe, par Meſſieurs de l'Academie Françoiſe*, cuius eſſe ſcio nouiſſimam editionem, *Paris. a.* 1740. *in f.* Tomis II. adornatam. Prima *ibidem a.* 1694. exhibita, moxque *Amſtael.* 1695. repetita fuerat. Cf. MORHOFII *Polyhiſtor. Tomo I. lib. I. cap. 14. ſ. 41. p. m. 146.* Nec temperare mihi queo, tribus quin attingam verbis *Recueil de pluſieurs Pieces d'Eloquence et de Poëſie, preſentées à l'Academie Françoiſe des l'année 1671. jusqu'en* 1729. Collectio iſthaec *Pariſ. anno* 1696. vsque ad *annum* 1730. *in* 12. Voluminibus nouem ac viginti prodiit, docente id *Biblioth. Bunav. Catalogo, Tomi I. Vol. 3. p.* 1986. vbi et exſtat *Recueil des Harangues prononcées par Meſſieurs de l'Academie Françoiſe, dans leurs receptions et en d'autres occaſions differentes, depuis l'etabliſſement de l'Academie jusqu'à preſent, ibidem a. 1698. in* 4. et *Amſtael. a. 1709. in 8.* Tomis II.

Filia

Filia quaſi eſt huius Societatis *l'Academie Roiale des Inſcriptions et des Medailles.* Ioh. Bapt. Colbertus nimirum ex illa quatuor delegerat homines eruditos, iisque negotium dederat, vt partim numismata inuenirent, quibus res geſtae Ludouici XIV. elegantiori proponerentur inſcriptione, partim ingenioſa elogia eiusdem, monumentis publicis inſculpenda, conficerent. Huius ergo inſtituti, auſpiciis Regiis, iacta fundamenta ſunt menſe Februario anni 1663. cuſusque ad ſeruandam rei memoriam nummus, in quo Mercurius veteri more aliquid inſcribit tabulae aeneae; ad latus vrna nummis repleta iacet, et ad pedes charta ſpiſſior, in qua iuſto ordine numiſmata collocata ſunt. Epigraphe haec eſt: *rerum geſtarum fides:* infra ſequentia leguntur: *Academia Regia Inſcriptionum et numiſmatum, inſtituta* 1663. Inſignibus aucta eſt ornamentis Academia Praeſide, qui Colberto ſucceſſit, Bignonio, Gallorum Maecenate, annoque 1701. nouam induit formam; quippe Rex tum conſtituit, vt eſſent in poſterum Academicorum quadraginta, qui diuidi ſolent in *honorarios, penſionarios* et *aſſociatos.* Atque eodem tempore *Pariſiis in* 4. prodiit *Reglement ordonné par le Roi, pour l'Academie Royale des Inſcriptions et Medailles, vbi Artic. XIX.* haec: *L'Academie des Inſcriptions doit s'appliquer inceſſament à faire des Medailles ſur les principaux evenemens de l'Hiſtoire de France, ſous tous les regnes, jusqu' à l'origine de la Monarchie, et à compoſer les deſcriptions hiſtoriques des dits evenemens, par rapport aus quels les Medailles auront été faites.* Mox etiam voluntati Regiae ſatisfacere Academici ſtuduerunt, edito integro Opere *ibid. a.* 1701. *in f.* cuius eſt titulus: *Medailles ſur les principaux evenemens du Regne de Louis le Grand, avec des explications hiſtoriques.* Multa tamen ficta penitus eſſe numiſma-

miſmata, et nunquam in lucem producta, contendit GE. DAN. SEYLERVS in fine Prooemii *des mit Müntzen und Medaillen erläuterten Lebens Friedr. Wilhelms des Groſſen, Churfürſtens zu Brandenburg.* Praemiſſa Operi Gallico Praefatio auctoritate publica ſuppreſſa fuit, inſerta tamen poſtea CAMVSATI *Hiſt. des Iournaux, Tomo II. p.* 180. Quumque ſplendidiſſima iſthaec editio non eſſet venalis, noua *anno* 1702. mox adornata eſt, minoris pretii, *ibidem in 4. mai.* de qua vid. *Acta Erud. Latina a.* 1702. *p.* 369. Recuſus liber *Badenae*, cum verſione Germanica, *anno 1705. in f.* ſed non eo nitore, quo exemplaria Gallica ſeſe commendant. Idem Belgice, ſtudio GVIL. GOERE'E, *Amſtael. a.* 1715. *in f.* lucem adſpexit. Cf. *Biblioth. hiſtorica Buderiana, Tomo I. p.* 428. Anno 1713. Rex diplomate publico Academiae confirmauit priuilegia, et biennio poſt primum recepti ſunt alienigenae quidam. Ludouico XIV. viuis erepto, Dux Aurelianenſis, tutor tunc Regis hodie imperantis, mutauit quodammodo Academiae nomen, eamque perfectiorem adſumere titulum iuſſit, *Inſcriptionum* ſcilicet *atque humaniorum litterarum.* Conuenire Academici ſolent in antiqua Luparenſi arce ſingulis Martis Venerisque diebus: ſolemniter autem id faciunt poſt S. Martini feſtum, et poſt diem dominicum, Quaſimodogeniti adpellatum. Nouiſſimos Socios recenſuit FORMEY in *France litter. p.* 17. *ſq.* De Opere, cedro digno, cuius eſt titulus: *Hiſtoire de l'Academie Roiale des Inſcriptions et belles Lettres, avec les Memoires de litterature*, cuiusque a. 1759. Tomus XXV. exiit, plura iam, hic non repetenda, diſſerui *Tomo II. Bibl. litt. cap. 6. ſect. 2. ſ. 6. p.* 1029. Tomi I. et II. argumenta praecipua exponuntur breuiter in *Actis Erud. Lat. a.* 1718. *p.* 340. et *p.* 392. Neque Tomi inſequentes poſt fuere neglecti eodem

in

in Diario. De nouo quodam inſtituto Academiae ab anno 1750. legi poteſt *das Neueſte aus der anmuthig. Gelehrſamkeit a.* 1757. *num. XI. p.* 857. *ſq.* Anno 1754. Philipp. Claud. Comes a Caylus, qui magnifico Opere: *Recueil d'Antiquités Egyptiennes, Etrusques, Grecques et Romaines, Paris. a.* 1752. et 1756. *in 4.* Tomis II. edito nomen ſuum reddidit immortale, inſigni beneficentia praemium quingentarum librarum Gallicarum propoſuit, quotannis ei ſoluendum, qui optimam Commentationem exhibuerit. Antea vnicum ſaltim praemium diſtribui ſolebat.

Laudato ſupra Colberto debetur etiam *Academia Scientiarum Regia*, Ludouici XIV. auctoritate anno 1666. Pariſiis condita, et quidem ad excolendas diſciplinas phyſicas atque mathematicas, Hiſtoriam item et litteras politiores. Sed quum Hiſtoriarum ſtudium ſtatim deficeret, illud autem, quod Muſae manſuetiores ſibi vindicant, cum Academia Francica coniungeretur, ſola remanſit Academia Mathematicorum et Phyſicorum. Primam occaſionem perficiendae rei dediſſe Melchiſedech Theuenotum, ex *Menagiorum Tomo I.* memorauit olim STRVVIVS. Verba Galli haec ſunt: *M. Thevenot de l'Academie des Sciences, eſt ſavant dans les Langues: il a quantité de Manuſcrits Orientaux, qui ſont très curieux et très rares. Il tenoit autrefois chez lui une aſſemblée de gens ſavans, où chacun rapportoit les decouvertes, qu'il avoit fait dans les Sciences. Ce qui donna occaſion de faire l'Academie des Sciences, qui s'aſſemble à preſent à la Bibliotheque du Roi.* Et hoc quidem fieri commode poterat, Theuenoto tunc temporis Bibliothecae cuſtode. Poſtea magnificum in antiquo Luparenſi arce receptaculum itidem ipſi conceſſum eſt, quo hodieque vtitur. Sub ortum Academiae nummus elegans cuſus eſt, in

quo, praeter effigiem Regis, pars auerſa Mineruam conſpiciendam praebet, inter Sphaeram, ſceleton et clibanum diſtillatorium reſidentem, quibus Aſtronomia, Anatomia et Chymia indicantur, cum epigraphe: *Naturae inueſtigandae, et perficiendis artibus;* infra legitur: *Regia Scientiarum Academia inſtituta* 1666. Parum laeti erant interim ipſius progreſſus, ideoque anno 1699. reſtituta fuit et quaſi renouata conſiliis ſummi Regis Miniſtri, de Pontchartrain, et induſtria Ioh. Pauli Bignonii. Eo tempore Rex, qui perpetuus Academiae Protector eſſe voluit, Socios conſtituit ſeptuaginta, in quatuor Ordines diuiſos, nimirum *honorarios* indigenas decem, *penſionarios*, Pariſiis habitantes, viginti, *aſſociatos* etiam viginti quos inter eſſe poſſunt octo exteri, ac tandem *adiunctos*, ſiue *alumnos*, quos Galli *Eleves* dicunt, viginti. Hi quoque Pariſiis debent ſedem ac domicilium habere. Penſionariis, ſiue iis, qui certo fruuntur ſtipendio, pari numero attributae ſunt ſcientiae, quarum cultura diligentior ad Academiam pertinet. Hac ratione tres geometrica, tres aſtronomica tres mechanica, tres anatomica, tres chymica, tres botanica tractant. Ex duobus reliquis alter Secretarius eſt Academiae, alter Theſaurarius, vel Quaeſtor; atque haec munera ſunt perpetua. Mutata nonnulla fuere anno 1716. auctoritate Ducis Aurelianenſis, qui tunc ſceptra regni vicaria tenebat. Audiamus eo de inſtituto Collectores *Actorum Erud. Lat. a.* 1720. *p.* 129. Fontenellii fide haec referentes: *Numerus honorariorum et aſſociatorum, nulli certo ſcientiarum generi addictorum, auctus, et claſſis viginti Adiunctorum perſonalium ſuppreſſa, in eius vero locum noua duodecim Adiunctorum claſſis ſurrogata, ita, vt duo ſint Adiuncti Geometriae, duo Aſtronomiae, duo Mechanices, duo Anatomiae, duo Chymiae, duo Botanicae:*

nicae: has nempe Scientias excolit Academia Scientiarum. Sancitum etiam eſt, ne Clericus regularis vnquam locum obtineat in numero honorariorum et ſtipendiariorum, a qua claſſe poſteriori etiam aſſociati excluduntur. Adiunctis non conceditur votum, niſi quando de Scientia agitur. Quotannis a Rege eligetur Praeſes (fit hoc primo anni die, poteſt tamen prorogari hocce ſpatium,) *et Vice-Praeſes ex numero honorariorum, itemque Director et Sub-Director ex numero ſtipendiariorum.* Conuentus ordinarii ſunt diebus Mercurii atque Saturni: publici eodem tempore, quod praeſtitutum eſt Academiae Inſcriptionum. Socios omnes cognoſcere licet ex libello, *Amſtael, a.* 1737. *in* 8. excuſo, cuius en! titulum: *Liſte de Meſſieurs de l'Academie Royale des Sciences, depuis l'etabliſſement de cette Compagnie en* 1666. *jusqu'en* 1733. *avec le Catalogue des Ouvrages, qu'ils ont publiez.* De recentiſſimis vid. FORMEY *l. c. p.* 19. *ſq.* Hiſtoriam Academiae huius copioſius expoſuit, inſtinctu Bignonii, IOH. BAPTISTA DU HAMEL, primus illius Secretarius, prodiitque Volumen ipſius, Latine exaratum, *Pariſ. a.* 1698. *in* 4. Recuſum ſtatim fuit *Lipſiae a.* 1700. Auctor poſt *Pariſ. a.* 1701. *ead. forma* editionem adornauit alteram, paſſim locupletiorem, duobus etiam libris ſubiectis amplificatam. In hac vero, praemiſſa de origine et progreſſu Academiae narratione, varias Diſſertationes et Obſeruationes, per triginta annos exhibitas, experimenta etiam phyſica et mathematica certum in ordinem digeſſit. In ſex libros diſpertitum eſt Opus, primusque acta comprehendit ab anno 1666. vsque ad annum 1675; alter ad annum 1684; tertius ad annum 1692; quartus ad annum 1696. progreditur; quintus annos 1697. et 1698; ſextus denique annos 1699. et 1700. recenſet. Vid. *Acta Erud. Lat. anni* 1700. *p.* 108. et

anni 1703. *p.* 208. atque *p.* 257. *ſq.* Poſtremi duo anni ex ſchedis Fontenellii manuſcriptis translati ab Hamelio ſunt Latinum in ſermonem. Quum autem ingens eſſet rerum, quae hoc biennio contigerant, vbertas, denuo, et longe quidem fuſius, agendum ſibi de iis eſſe exiſtimauit laudatus FONTENELLIVS, Hamelii digniſſimus ſucceſſor. Inchoauit ergo praeſtantiſſimum Opus ſuum, *Hiſtoire de l'Academie des Sciences* inſcriptum, de quo plura me congerere memini *Tomo II. Bibl. litt. Cap.* 6. *ſect.* 2. *§*. 3. *p.* 1010. *ſq.* ab anno 1699. idque Volumen primum *Pariſ. a.* 1702. *in* 4. ſplendide, vti caetera, typis eſt impreſſum. In duas ſemper Partes vnumquodque diuiſit Auctor. Prior nudam fere eorum, quae in Societate ſeu viua voce, ſeu calamo, propoſita fuerant, hiſtoriam complectitur, iis quoque profuturam, qui ſcientias vel mediocriter callent: altera luculentiores Commentarios, atque in iis ſcripta integra, quae e re fuerat in lucem edi, ac per quae et maior lux recenſitis in prima Parte adfundi poteſt, et certior conciliari fides, quae verba decerpſi ex *Act. Erud. lat. a.* 1704. *p.* 154. Cf. *Les Muſes en France p.* 95. *ſq.*

Anno 1671. conſtituta fuit, Colberto auctore, *Academia Architecturae*, cuius Socii congregantur in Luparenſi palatio ſingulis Lunae diebus. Conſtat ea duabus ex claſſibus, quarum prior duodecim, altera ſex ac decem habet Academicos. Legi de ipſa queunt NEMEITZIVS in *Sejour de Pariſ, p.* 278. *edit. nou.* et FORMEY *l. c. p.* 25.

Ante triginta annos, ſcilicet a. 1731, coaluit etiam *Academia Chirurgica*, confirmata demum, Regio diplomate, anno 1748. Primum Praeſidem nacta eſt principem Chirurgorum Regiorum, de la Peyronie, a cuius liberalitate et in artem ſuam amore

amore praemium quoddam annuum quingentarum librarum proficiſcitur. Eiusdem cura *Pariſ. a.* 1743. *in* 4. *c. fig. aen.* prodierunt *Memoires de l'Academie Roiale de Chirurgie*, quem Tomum I. excepit *anno* 1753. Tomus II. Eo ipſo tempore ſucceſſit *in* 4. *Recueil des Pieces*, *qui ont remporté les prix de cette Academie*, *de puis ſon Etabliſſement*, *jusqu' à preſent.* Horum Operum editiones exſtant etiam *in* 12. priore in ſex, altero in duo Volumina redacto. Credendum facile, Pariſienſe exemplar recuſum eſſe apud Belgas. Cf. *Catalogue de livres de Neaulme*, *a Berlin* 1755. *in* 8. *p.* 152. *et p.* 352. Anno 1751. nouas leges, noua priuilegia accepit. Praeſes eſſe ſemper debet primus Regis Chirurgus, iamque hanc adhuc ſpartam ornat, quantum ego quidem ſciam, de la Martiniere. Vid. *die Götting. gel. Anzeigen*, *anni* 1754. *p.* 442. *ſq.* et FORMEY *l. c. p.* 26.

Olim *Academia Politices* innotuit, ſuaſu Marchionis de Torcy, a Ludouico XIV. anno 1712. condita, eo quidem conſilio, vt praeparari poſſent ad maximi momenti negotia iuuenes ſummo nati loco, atque ingenii dotibus illuſtres. Plura de hoc inſtituto vid. apud GOTTLIEB SAM. TREVERVM in Exercit. *de licentia peregrinandi*, *legibus circumſcribenda p.* 69. Sed circa annum 1740. idem concidiſſe penitus, teſtatur, ex quo iam Treuerus profecerat, NEMEITZIVS *Parte IV. der vernünftigen Gedancken p.* 148.

§. XVIII.

Sic et, Pariſienſium ad imitationem, in prouinciis permultae ſurrexerunt Academiae, quarum aliquas tangemus ordine litterarum. Scenam aperiat.

Arelatenſis Scientiarum et linguarum, quae Regio firmata diplomate anno 1669. viginti primum

habuit Socios, nobili omnes proſapia Arelati ortos, ibique degentes vitam, quibus tamen anno 1677. decem alii acceſſere. Dux de S. Aignan primus fuit Protector. Caeterum iisdem gaudet haec Academia priuilegiis, quibus Academia Francica ornata eſt, multosque illa produxit homines, doctrinae reconditae copia conſpicuos. Vid. LE FEVRE *Muſes en France, p.* 107. et IUVENEL DE CARLENCAS *Verſuch einer Geſchichte der ſchoenen Wiſſenſchaften P. II. p.* 323. *edit. Kapp.* vbi de ipſa dicitur, binis ex cauſſis eam eſſe potiſſimum notabilem, primum quippe non niſi equeſtris ordinis viros recipi in Societatem, vt hi ab illecebris abſtrahantur deſidiae, litterarumque dulcedine capiantur: deinde admitti etiam feminas, exemplo antea non cognito. Ab hacce Academia ſuſpicor diuerſam eſſe, cuius meminit Clar. FORMEY in *France littér. p.* 69. Scribit enim hoc loco: *La Societé littéraire d'Arras, dont les premiers fondemens ont été jettés en* 1737, *n'a point encore demandé de Lettres Patentes; elle eſt ſeulement autoriſée par une Lettre de Mr. d'Argenvilliers, Miniſtre et Secretaire d'Etat, du* 13. *Mai* 1738. *Ses exercices embraſſent tous les genres de Litterature; mais ſon principal objet eſt la Langue Françoiſe et l'Hiſtoire de la Province. Elle tient ſes ſeances ordinaires tous les Samedis, et une ſeance publique dans le Carême. Elle a une Bibliotheque aſſez conſiderable. Elle a trois officiers, un Directeur et un Chancelier, qui ſe renouvellent tous les ans à la pluralité des voix, et un Secretaire, qui eſt perpetuel.* Nominat poſt haec Protectorem hodiernum, et Socios partim honorarios, partim ordinarios.

Bliterris, quam vrbem Galli vocant *Beziers*, *Academia Scientiarum et litterarum elegantiorum* anno 1723. inſtituta adiuuante potiſſimum Ioh. Bouilleto, Medi-

Medico variis ſcriptis clariſſimo, priuatos habere conuentus coepit, publicos autem biennio poſt, permiſſu Regio. Morte exſtincto Fleurio, S. R. E. Cardinali, et primo aulae Miniſtro, qui Protector fuerat Academiae, illuſtriſſimus Comes de Saint Florentin talem honorem non eſt dedignatus. Prodiit *Bliterris anno* 1736. *in 4. Recueil de Lettres, Memoires et autres pieçes, pour ſervir à l'Hiſtoire de l'Academie des Sciences et de belles Lettres de la Ville de Beziers,* cuius Opuſculi editor eſt laudatus BOUILLETUS, Academiae a ſecretis. Cf. *die Leipz. gel. Zeit. anni* 1736. *p.* 859. et FORMEY *l. c. p.* 61. *ſq.*

Cadomenſis humaniorum litterarum Societas iam anno 1651. orta eſt, famamque nacta Iac. Moiſant de Brieux, qui auctor eius praecipuus dicitur, Huetii, atque Sam. Bocharti meritis. Initio anni 1705. confirmata fuit diplomate Regio, vna cum Statutis *anno eodem in 4,* euulgato, et Protectorem obtinuit Nicol. Ioſeph. Foucault. Poſt cecidit illius non nihil dignitas, donec ei ſplendorem priſtinum reſtitueret Albertus de Luynes, Epiſcopus Baiocenſis, quo iam Protectore ſuperbit. Vid. plura apud FRERONIVM in *Année litteraire anni* 1755. *Tomo VI. p.* 99. *ſq.* Commentarii eius raro et ſerius excuduntur. De nouiſſimis Voluminibus, quae Obſeruationes annorum 1754. et 1755. complectuntur, atque *in 8. mai.* hoc titulo proſtant: *Memoires de l'Academie des belles Lettres de Caën,* vid, *die Götting. Anzeigen von gel. Sach. a.* 1759. *Parte LXXXII. p.* 708. *ſq.* Patet exinde, Academicos non ad ſolas adhaereſcere litteras elegantiores, verum et in Philoſophiae naturalis verſari ſtudio: quod coniecturae locum aperit, coaluiſſe hancce Societatem cum phyſica illa, cuius, aetate ſuperiori, Andr. de Graindorge et Petr. Dan. Huetius conditores fuere. Cf.

HVETII *Origines de la ville de Caën Cap. XIII.* vbi de Societatibus Cadomenſium litterariis agi ſcio abs Auctore, doleo tamen, me carere iam libri huius vſu. Add. etiam FORMEY. *l. c. p.* 48. *ſq.*

Idem Vir clariſſimus *p.* 37. breuiter deſcribit *Academiam Scientiarum et bonarum artium*, quae *Francopoli* floret in agro Belloiouienſi. Gallorum lingua haec vrbs *Villefranche* vocari ſolet. Tenue Academiae iſtius, vt caeterarum plerarumque, initium fuit. Grex nimirum hominum doctorum priuatim anno 1667. conuenire coepit ſub tutela Camilli de Neuville, Archiepiſcopi Lugdunenſis. Publice hoc factum anno 1680. atque anno 1695. exeunte diploma Regium obtinuit gratia Philippi, qui vnicus Ludovici XIV. frater erat. Tum anno 1728. confirmati ſunt hi Codicilli, atque Academiae eadem, quibus Francica ſuperbit, priuilegia conceſſa. Socii viginti numero, inter quos tamen honorarii non exſtant, ſeparatae nimirum claſſi adſcripti quouis menſe bis coeunt priuatim: ſolemnis in curia conſeſſus eo definitus eſt die, quo anniuerſaria S. Ludouici ſacra fieri ſolent. Vid. FORMEY *l. c. p.* 37. *ſq.*

Lugduni duae ſocietates hoc ſaeculo innotuerunt. Altera *Academie des Sciences et belles Lettres* dicta, altera *Societé Royale.*

Prioris natalis incidit in annum 1700. Academia ex quinque ac viginti Sociis ordinariis conſtat, qui Lugduni commorantur. Honorariorum incertus eſt numerus. Exercitationum ratio refertur ad Scientias, et omne litterarum humaniorum genus. In *Actis Erud. Lat. a.* 1716. *p.* 239. haec de eadem indicantur: *Lugduni Societas quaedam eruditorum aliquot abhinc annis coaluit, qui ſtatis temporibus conueniunt, deque varii argumenti praelectis*

ſibi

ſibi lucubrationibus ſententiam dicunt. Gaudet ea nunc Protectore Archiepiſcopo Lugdunenſi, *Villaregio*, (Villeroi, cuius nominis Dux, qui prouinciae praeeſt, hodie patronus Academiae celebratur,) *habetque Secretarium Broſſettum, a quo praeſtantiſſimam Operum Boilauii editionem, notis vtiliſſimis inſtructam, quam proxime exſpectamus.* (Factum id *Geneuae anno* 1716. *in* 4. *mai. Tomis II.*) *Directoris dignitas quouis ſemeſtri in alium ex ſociis transfertur, functusque hoc munere eſt ſub exitum anni praeterlapſi Dominus de Serres, Curiae monetariae Conſiliarius.* De recentiſſimo ſtatu huius Academiae inſpiciendus FORMEY *l. c. p.* 40. *ſq.*

Altera Societas mathematica praecipue pertractat et phyſica: neque tamen artes ſtatuaria et pictoria plane negliguntur ab eadem. Conſtituta fuit anno 1713. eadem, qua Academia Scientiarum, ratione, niſi quod triginta Socii ordinarii hic admittuntur. Protector itidem eſt Dux Villaregius. Vid. FORMEY *p.* 43.

Maſſilienſis elegantiorum litterarum, anno 1726. Codicillis Regiis munita, ſtatim adoptata fuit ab Academia Francica, cui exhibet quoque, tamquam tributum, annis ſingulis ſpecimen diligentiae vel ſermone ligato, vel ſoluto. Eloquentia enim ac Poëſis vernacula, vna cum Hiſtoria et arte critica, illi ſunt agri, quorum culturam Academici curae habent. Totum inſtitutum ornamenti plurimum debet auctori eius Villarſio, Campi Mareſchallo, qui et anno 1733. nummum aureum, ter centum librarum Gallicarum, praemii annui loco, ſtatuit, quo inuitari ſolent ad ornate ſcribendum quicunque illi ſint, indigenae, ſiue exteri. Orationum argumenta, more conſueto, indicantur publice, quemque Socii reliquis eloquentia iudicarunt ſuperio-

periorem, huic in aedibus Academiae ipſo criterii die, qui eſt menſis Auguſti quintus ac vigeſimus, Ludouici nomine in faſtis notatus, ſolemniter ſummus honor decernitur. Semel per hebdomadam Socii indigenae conueniunt in magnifico, quod Villarſius exſtruxit, palatio, deque praelecto quopiam libello ferunt ordine ſuffragium. Cf. *Acta Erud. Latina a.* 1736. *p.* 327. *ſq.* vbi recenſetur *Recueil des Pieces d' Eloquence, preſentées à l'Academie des belles Lettres de Marſeille, Maſſiliae a.* 1735. *in 8.* Quouis anno talem Collectionem prodire noui oblatorum ſpeciminum, pro ſtatuto praemio obtinendo. Poſt Villarſii obitum, quem Academia funebribus Orationibus, dicto faſciculo inſertis, anno 1734. proſequuta eſt, curam eius praecipuam ſuſcepit Dux Villarſius, filius forte defuncti, Gubernator Prouinciae. Cf. FORMEY *p.* 63. *ſq.*

Progredior ad *Societatem Regiam Scientiarum*, quae anno 1706. *Montepeſſulano* conſtituta fuit auſpiciis Ludouici XIV. et pars quaedam Academiae Scientiarum Pariſienſis dici poteſt. De iſta coniunctione ita diſſerit FORMEY *l. c. p.* 51. *En conſequence de cette union très intime, et de cette aſſociation particuliere, quand quel qu'un de l'Academie des Sciences ſe trouve à Montpellier, ou que quel qu'un de la Societé de Montpellier ſe trouve à Paris ils ſont réciproquement entrée et ſéance dans leurs Aſſemblées. Les deux Academies ſont obligées de s'envoyer réciproquement tout ce, qu'elles ſont imprimer en leur nom. La Societé de Montpellier envoye chaque année à l' Academie des Sciences un Memoire, que l' Academie des Sc. fait imprimer à la Suite de ceux, qu'elle publie pour la même année. Outre les Memoires imprimés à Paris, la Societé Royale a fait paroitre en differentes occaſions pluſieurs recueils particuliers, qui raſſemblés forment un aſſés grand nombre de volumes.*

Gau-

Gaudet Societas, nullo alio interueniente, tutela Regis, ac ſub initium ſtatim ita formata eſt, vt ſex *honorarii* Collegae, iique indigenae, inter quos vnus Praeſidis res agit, quindecim *aſſociati* ordinarii totidemque alumni, ſeu, quod nomen poſtea placuit, *adiuncti*, in eadem inueniantur. Neque vero tam certus eſt ſtabilisque omnium horum numerus, quin vnus alterue, extra ordinem, quandoque recipi poſſit. Aſſociati anno 1733. ſex aſſociatis liberis, annoque 1743. quatuor aſſociatis externis aucti iuſſu Regio fuere. Ordinarii habitant in vrbe *Montepeſſulano*, horumque tres Mathematici ſunt, qui vel Geometriae, vel Aſtronomiae, vel Mechanicae vacant; tres in Anatomicis, tres in chymicis, tres in botanicis, ac reliqui tres in phyſicis exercent ingenium. Adiunctorum, qui etiam praeſentes eſſe debent, eadem ratione labores diſtincti ſunt. Singulis Iouis diebus, exceptis diuerſis feriis, a ſecunda hora pomeridiana vsque ad quartam, praeleguntur argumenti exquiſiti Commentationes: die contra Iouis, qui mox feſtum Martini ſequitur, publicus conſtitutus eſt conuentus; niſi quod ſaepius factum, graues cauſſae impellant ad eundem aliud in tempus differendum. Tunc vero Sociorum, quos mors abſtulerat, merita celebrantur, deque praemiis diſquiritur recte et cum laude geſtorum. Acta quae fuerint anno 1737. exponit libellus, *Monte peſſulano in* 4. typis impreſſus, hoc quidem titulo: *Aſſemblée publique de la Societé Royale des Sciences de Montpellier* caet. cuius ſumma capita memorantur in *Actis Erud. Lat.* *a.* 1740. *p.* 611. *ſq.* Sociorum autem, qui nuper adhuc amico inter ſe foedere iuncti fuerant, nomina recenſet FORMEY *p.* 52. *ſq.*

Nanceii, quae vrbs Ducatus Lotharingici caput eſt, ſub finem anni 1750. *Societatem Scientiarum et elegan-*

elegantiorum litterarum condidit Stanislaus, Poloniarum Rex. Collegas omnes producit laudatus FORMEY *p.* 82. Princeps eſt inſtitutum, vt ciues Lotharingici Muſarum amore inflammentur, qui videbatur diu deferbuiſſe, ideoque ſtatutum annuum praemium iis ſolis deſtinatum eſt. Cuiuis etiam licet, argumentum, quodcunque velit, pertractare. Publice iam innotuerunt Sociorum conatus: prodierunt quippe *Nanceii a.* 1755. *in* 12. *mai. Memoires de la Societe Royale des Sciences et belles Lettres de Nancy.* Exſtare noui Tomos duos, quorum prior indicatur in *den Leipz. gel. Zeit. a.* 1755. *p.* 779. hoc addito, Petrum Ioſeph. de Solignac, Secretarium Societatis, hiſtoriam eiusdem et conſtitutionem ſimul deſcribere. Tertii Tomi mentionem iniicit clariſſimus FORMEY *l. c. p.* 292. vbi de Viro hoc illuſtri nonnihil differit.

Rothomagenſis Academia Scientiarum, litterarum elegantiorum et artium Codicillis Regiis anno 1744. ſtabilita fuit. Protector eius Dux Luxemburgenſis eſt, teſte FORMEY *p.* 72. quo et loco Academicos cum ordinarios, tum aſſociatos, recenſet. De primo illius conſeſſu publico agitur vberius in *Bibliotheque Françoiſe Tomo XLI. Parte I. p.* 162. *ſq.* vt obſeruatum lego in *Catalogi Bunauiani Tomo I. Vol. I. p.* 994. Poſt ea quid fuerit geſtum a Sociis, explorare non licuit.

De *Academia Sueſſionenſi* IVLIANI HERICVRTII liber exſtat, cum Epiſtolis eius ad familiares *Montalbani anno* 1688. *in* 8. editus, cuius tamen inſpiciendi occaſio deeſt. Ortum ſuum habuit anno 1674. beneficio Etrei, S. R. E. Cardinalis, ſtatimque a Rege priuilegiis eſt munita. Socii linguae patriae excolendae litteriſque humanioribus operam dant, arctiſſimo cum Academia Francica vinculo coniun-

coniuncti. Ea de re LE FEVRE in *Les Muſes en France p. 109.* ſic ſcribit inter alia: *L'Académie de Soiſſons compte pour beaucoup l'engagement, où elle eſt de prendre toujours un Protecteur du corps de l'Academie Françoiſe, et de lui envoyer tous les ans une piéce de ſa compoſition. Elle a presque tous les mêmes ſtatuts, et les mêmes vſages que l'Académie Françoiſe. Le nombre de ſes Académiciens eſt fixé à vingt. Elle a produit pluſieurs Savans illuſtres.*

Academiae Ludorum Floralium apud *Toloſanos* initia et progreſſum referunt ex CORNEILLE *Dictionnaire geographique et hiſtorique* doctiſſimi Collectores *Actor. Erud. Lat. a. 1709. p. 153.* verbis, quae ſequuntur: *Horum inſtitutionem inde ab anno 1324. repetunt, quo Septemuiri elegantioribus litteris dediti publica Epiſtola Poetas vicinos omnes inuitarunt, vt calendis Maii illius anni Toloſae comparentes carmine certarent, ſtatuta ei, qui vinceret, in praemium viola aurea. Probauit mox inſtitutum magiſtratus, qui conſtitutis Cancellario et Secretario, et cenſura Septemuiris, qui exinde* Mainteneurs *dicti,* (i. e. ſtrenui horum Ludorum adſertores,) *relicta, Floralia haec publico ſumtu quotannis continuari praecepit, additque poſtea violae ſecundi et tertii praemii loco roſam ſylueſtrem* (l'eglantine) *et caltham* (le Soucy.) *Hinc femina nobilis Clementia Iſaura circa annum 1540. Florales ludos* (les Jeux floraux) *prima et tertia Maii die celebrandos inſtituit, et legata eam in rem maxima bonorum parte vna cum aedibus magnificis quae his ludis perpetuo conſecratae ſunt, iuſſit quatuor quotannis flores, nimirum violam, roſam ſylueſtrem, caltham et ocellum* (l'oeillet) *victoribus diſpenſari,*

penſari. Denique Rex Ludouicus XIV. anno 1694. Floralia haec Academiae priuilegiis auxit, cuius Socios ordinarios triginta quinque eſſe voluit, praemiis etiam paulum immutatis; quippe hodie amaranthus ex auro, tum ex argento viola, roſa ſylueſtris et caltha diſtribuuntur. Interruptae anno 1698, ob Collegarum plurimorum obitum exercitationes iſtae poeticae et oratoriae; reſtitutae vero poſtea continuantur ad hunc vsque diem. Vid. *Les Muſes en France, p. 18.* et FORMEY *p.* 31. *ſq.* Clementiae Iſaurae Elogium reperitur in MASSONI *Elogiorum Parte II. p.* 3. *ſq.* Alii tamen plane negant, hanc feminam exſtitiſſe, inter quos praecipuus eſt GVIL. CATELIVS in *Hiſtoria Languedociana, Toloſae a. 1633. in f.* Gallice excuſa, hodie rarius obuia. Ea, quae huc pertinent, decerpſit inde Franc. Tornierius, adiecitque PETRI DE CASENEVVE libello, *l'origine des Jeux Fleureaux de Toulouſe* inſcripto, quem poſtumum edidit, vna cum BERN. MEDONII *Vita Auctoris,* Latine compoſita, *ibidem a.* 1659. *in* 4. Complura dixiſſe Petr. de Caſanoua ſingularia lectuque digna, teſtatur NICERONIVS in *Vitis Erud. Parte XIV. p. 87. edit. Germ.* Nouiſſime Academiae huius hiſtoriam *ibidem a.* 1715. *in* 8. accepit Res publica litteraria. Titulus libri, a LALOUBERE, Legato quondam Regio, qui tamen eſſe voluit anonymus, perſcripti, ſequens eſt: *Traité de l'origine des Jeux Floreaux de Toulouſe; Lettres patentes du Roi portant le rétabliſſement des Jeux Floreaux en une Academie des belles Lettres; Brevet du Roi, qui porte Confirmation des Chancelier, Mainteneurs et Maitres des Jeux Floreaux; Statuts pour les Jeux Floreaux.* Vid. *Catalogus Bibl. Bunau. Tomo I. Vol. I. p.* 994. ac *Vol. II. p.* 1722. vbi doctiſſimus FRANCKIVS in notula quadam refert, quotannis ad conſeruandam Clemen-

Clementiae Iſaurae memoriam Orationem in dicta Academia recitari, quae inſeri ſoleat Collectioni ſingulis annis prodeunti hac inſcriptione *in 8. Recueil de Pieces de Poëſie et d' Eloquence, preſentées à l'Academie des Jeux Floreaux, avec les Diſcours prononcés dans les Aſſemblées publiques de cette Academie.* De tali Collectione, anno 1753. parata legi queunt *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1754. *p.* 441. Integra vero, ab anno 1694. vsque ad annum 1737. producta, et Volumina XLIII. continens, reperitur in laudato *Catal. Bunauiano Tomi I. Vol. 3 p.* 2074. Quatuor praemia, quouis anno ſtatuta, dantur iis, qui optimam Odam, optimam Orationem, optimum Poema epicum, optimamque Elegiam vel Eclogam confecit. Amaranthus ex auro, quadringentarum librarum, Poetae lyrico: viola argentea, ducentarum et quinquaginta librarum, Poetae epico: roſa ſylueſtris argentea, eiusdem pretii, Oratori: caltha tandem, ducentarum librarum, Elegorum vel Eclogae conditori tribuitur. Carminum argumentum quilibet pro arbitrio eligere poteſt, illud contra, de quo Oratione agitur, ipſa Academia praeſinit. Vid. quae ex *Bibliotheque Françoiſe Tomi III. Parte altera* differuntur in *den Leipz. gel. Zeit. a.* 1724. *p.* 488. Praeter eos, qui Societatis huius memorabilia expoſuere, iam ſupra adlatos, conſulendus etiam HAYMANNVS in *der Geſchichte der vornehmſten Geſellſchaften der Gelehrten*; *Cap. XII. p.* 343. *ſq.*

Adeſt ibidem alia Academia, *Scientiarum, Inſcriptionnm et litterarum politiorum* nomine inſignita, cuius recenſet Socios FORMEY *p.* 34. *ſq*; videtur tamen hiſtoria eius adcuratior ipſi nondum ſatis cognita fuiſſe.

Veſontione (Gallice vrbs vocatur Beſançon) quadraginta hominum eruditorum Societati diplomate Regio *Academiae Scientiarum, litterarum elegan-*

elegantiorum et artium priuilegia conceſſa ſunt. Euenit hoc anno medio 1752. Protector eſt de Duras, Campi Mareſchallus, et Comitatui Burgundico Praefectus. Pridie anniuerſarii, S. Ludouico dicati, duo numiſmata aurea, loco praemii, ſoluuntur. Alterum trecentas et quinquaginta libras pretio aequat, cuius compos fit, qui ſermone ſoluto ab aemulis reportauit victoriam: alterum, centum libris minus, Diſſertationi litterariae adiudicatur, cuius argumentum indicare ſolet Academia. Vid FORMEY *p.* 85. Reliquas Gallorum Societates lubens praetereo, quae *Ambiani*, *Antiſſidori*, *Andegaui*, *Aureliae*, *Bleſis*, *Burdigalae*, *Catalauni*, *Diuione*, *Montealbano*, *Pali*, ac *Rupellae* conſtitutae ſunt, quarumque partem breuiter memorauit laudatus FORMEY, ideo inſpiciendus. Hoc exinde ſole meridiano clarius adparet, gentem politiſſimam de litteris magis in dies ornandis admodum eſſe ſollicitam, easdemque nec eos adſpernari, qui genere ac nobilitate regni ampliſſimi ſunt principes.

§. XIX.

Celeberrima eſt *Societas Regia Londinenſis*, cuius de origine ac progreſſu potiora ſuppeditabo. Prima eius fundamenta vere ſunt anno 1645. Londini iacta, non, vt Spratius, de quo infra, perhibet, Oxonii; atque tunc ſingulis hebdomadis certus aliquis dies praefinitus eſt, quo conuenere Ioh. Wilkinſius, Ionathan Goddardus, Ge. Entius, Franc. Gliſſonius, Chriſtoph. Merrettus, Sam. Foſterus, ac Theodor. Haakius, Germanus in Epiſcopatu Wormatienſi natus, qui praecipuus horum conuentuum auctor ſuaſorque fuerat. Anno circiter 1649. Socii nonnulli abierant Oxonium, vbi, adſci-

adſcitis nouis Collegis, huiusmodi quoque congreſſus celebrarunt: priores tamen, more ſolito, continuarunt ſimul, qui Londini remanſerant. Docet id luculenter, ex quadam Ioh. Walliſii Epiſtola, illuſtris BÜCHNERVS in *Hiſtoria Acad. Naturae Curioſorum p.* 15. Londini autem Societati conſeruandae nullus aptior viſus eſt locus, quam Collegium Greshamenſe, quod optimo conſilio Muſis eſſe ſacrum iuſſerat ciuis quidam eius nominis Londinenſis. Iamque tuta videbantur omnia, pluresque paullatim Socii accedebant, quum ciuiles motus anno 1658. pellerent Muſas, et cathedrae Greshamenſes a militibus occuparentur. Itaque intermiſſae ſunt aliquamdiu operae, donec anno 1660. quo in regnum redierat Carolus II. Rex, ipſae etiam Muſae redirent. Atque hoc anno ſerio de ordinanda Societate deliberatum eſt, maxime Roberti Murrey, Conſiliarii intimi, ſtudio, qui et primus mox Praeſes fuit conſtitutus. Cf. GILB. BVRNETI *Hiſtoria ſui temporis, Vol. I. p. 64. ſq. edit. Germanicae Hamburgenſis, a. 1724. in 4.* adornatae. Debeo hunc locum HEVMANNO in *Conſp. Reip. litt. Cap. IV. §. 57. p. m. 172.* Plane peracta res anno 1663. In diplomate Regio publica et aeterna lege ſancitum, vt liberum Societati eſſet ius emendi, vendendi, posſidendi bona quaecunque, aptique ipſo iure haberentur Socii ad immunitates, vel iurisdictionem, quocunque modo acquirendam; tum vt iisdem concederetur ius ſtandi in iudiciis Angliae, et ad ea prouocandi alios actione tam reali, quam perſonali, quali iure gaudent omnino Angli indigenae; vnde adparet, quantum exinde commodi ad exteros redundet. Inſignibus quoque praeſtantiſſimis donauit Carolus Societatem; ſcilicet tres ſtant leones in ſcuto argenteo, cui aquila incumbit in buccula, quali Duces ac Principes in Inſignibus ſuis

 vtun-

vtuntur. Suſtentant ſcutum duo canes venatorii, qui vti ad indagandas feras viſu et olfactu egregie ſunt inſtructi, ita Sociorum, in arcanis naturae inueſtigandis, ſagacitatem et induſtriam eleganter exprimunt. Statutum praeter ea, vt Societas Praeſidem habeat, et viginti Collegas, qui Senatus quaſi perpetui ſpeciem quandam praebeant. Ex his decem quotannis S. Andreae die Senatu publico mouentur, totidem aliis eorum in locum ſuffectis; ipſa quoque Praeſidis dignitas initio ambulatoria fuit; at receſſit poſt ab hac lege Societas. Sic Guil. Brounkerus, Iſaac. Neutonus, et Hans Sloane per complures annos has partes egerunt. Qui ſolito more ex Senatu migrant, Societati nihilo minus adſcripti manent. Conſtat ea ex ingenti hominum illuſtrium ac doctiſſimorum numero, quod vel Catalogus docet anno 1740. confectus, qui reperitur in RATHLEFII *Geſchichten ietzt lebend. Gelehrten, Vol. I, Parte 3. p. 250. ſq.* De alio, aliquot annis antiquiore, vid. *Acta Academica,* quae *Lipſiae* quondam *in 4.* collecta fuerant, *anno 1733. Sect. IV. p. 107. ſq.* In Collegis adſciſcendis nihil refert, quae quisque ſacra profiteatur, qua gente ſit oriundus, quod vitae genus elegerit, dummodo inſigni emineat rerum philoſophicarum, cumprimis naturalium, atque mathematicarum cognitione. Hos enim fines ac terminos ſibi conſtituit Societas. Conuentus olim ſingulis Mercurii diebus celebrati fuerunt, atque in Collegio Greshamenſi duo muſea habuerunt Socii, alterum in quo ſe congregarent, alterum libris rebusque rarioribus adſeruandis deſtinatum. Nunc tempore hiberno, diebus Iouis, ſub occaſum ſolis id fieri ſolet, et inde ab anno 1710. non amplius in Collegio Greshamenſi, ſed in aedibus *Crane Court*, in vicinia *Fleetſtreet* ſitis. Vid. ALBERTI *Briefe von Groſſ-Brittannien. Parte IV.*

te IV. p. 1164. ſq. vbi et alia ſingularia. De Bibliotheca inſtructiſſima, pretioſoque rerum naturalium et artificialium adparatu, iam dixi praecipua *Tomo I. cap. 3. ſ. 12. p. 250.* ac de Commentariis Societatis, *Philoſophical Transactions* inſcriptis, *Tomo II. Capitis 6. Sect. 2. ſ. 1. p. 995. ſq.* Hiſtoriam eiusdem ſcripſit THOMAS SPRATIVS Anglico ſermone. Liber primum *Londini a. 1667.* iterumque *a. 1702.* tertium *a. 1722.* et quartum *a. 1734. in 4.* ſine mutatione, prodiit; nec, quod moleſtum eſt vtique lectoribus, Indices acceſſere. Alteram editionem recenſent *Acta Erud. Lat. a. 1703. p. 104. ſq.* poſtremam BAVMGARTENIVS in *den Nachrichten von merckwürdigen Büch. Vol. X. p. 431. ſq.* vbi et recte obſeruat Auctor, librum hunc eſſe hiſtoriam admodum imperfectam, ac dimidium ſaltim Partis ſecundae ſpatium huc poſſe referri. Proſtat etiam Gallica Hiſtoriae Spratianae interpretatio, *Geneuae 1669. in 8.* euulgata, quam, ni fallor, Galli *Pariſ. a. 1670. ead. forma* recudendam curarunt. Hoc ſaeculo id ipſum argumentum diligentius perſequutus eſt THOMAS BIRCHIVS, illuſtri Societati a ſecretis, primum in *Vita Rob. Boyle*, Anglice ab eo compoſita, *Operibus*que magni huius Viri *Londini a. 1744.* non ſolum praemiſſa, verum et ſeparatim *eodem anno in 8.* exhibita, vbi de origine Societatis Regiae Londinenſis varia notatu digna congeſſit: deinde vero longe copioſius in *the Hiſtory of the Royal Society of London.* Pars I. et II. *Londini a. 1756.* Pars III. et IV. *a. 1757. in 4. mai.* lucem adſpexit. De binis prioribus Tomis vid. omnino *die Götting. gel. Anzeigen anni 1756. P. CXLV, p. 1307. ſq.* ac *die Leipz. gel. Zeit. a. 1756. p. 857.* Exiſtimant, qui laborem doctiſſimum inſpexerunt, non apto quidem nexu inter ſe coniunctas eſſe relationes, vti Hiſtoriae leges poſtulant; interim tamen meliore omnia ordine perfectiusque

propoſita inueniri quam in Volumine Spratiano. Quantum ſuſpicari licet, nondum ad exitum perduxit, quod molitus eſt, Birchius, ideoque fore ſpero, vt Indices tandem locupletiſſimi, qui adhuc deſunt, Operi abſoluto adnectantur. Caeterum conf. hic HAYMANNI *Geſchichte der Geſellſchaften der Gelehrten, Cap. XXI. p. 501. ſq.* et KÜCHELBECKERI *Beſchreibung der Stadt London p. 87. ſq.* edit. ſecundae, *Hanouerae anno 1736. in 8.* adornatae. Vſus quoque ſum in pertractando hoc argumento IOH. BVRCHARDI MENCKENII Oratione polita *de Societatis Regiae Anglicanae origine, incrementis, priuilegiis, legibus et Sociis,* quae a. 1729. recitata, et eiusdem *Orationibus Academicis p. 448. ſq.* inſerta fuit.

Poſt Societatem Regiam Londini coaluit aetate ſuperiori *the Athenian Society*, i. e. Societas Athenienſis, quae diſſoluendas ſibi ſumſit quaeſtiones quascunque. De inſtituto BERNARDVS in *Nouvelles de la Rep. des Lettres a. 1703. m. Iulio p. 100.* ſequentem ſcribit in modum: *Il y a huit ou dix ans, qu'on publioit à Londres une ou deux feuilles volantes toutes les ſemaines ſous le titre de Mercure Athénien. C'etoit une eſpéce de Journal, ou l'on pretendoit entr' autres choſes reſoudre toutes les queſtions, qu'on propoſeroit ſur les Arts et ſur les Sciences. On vient de faire un Recueil de toutes ces Queſtions, et d'en compoſer deux gros Volumes in 8. intitulez:* the Athenian Oracle *caet. C'eſt à dire: L'Oracle d'Athénes, ou Recueil complet de toutes les Queſtions et Réponſes les plus conſiderables, qui ſe trouvent dans l'Ancien Mercure Athenien: avec pluſieurs points de Theologie, d'Hiſtoire, de Philoſophie, de Mathematique, d'Amour et de Poëſie, qu'on n'avoit point encore traitez, et une Table alphabetique caet. par un Membre de la Societé Athenienne. Il y a bien de pauvretez dans tout cela.* Hactenus Bernardus. Hiſtoria

ſtoria huius Societatis priuatae, quae iam pridem deſiiſſe dicitur, cognoſcenda forſitan ex Opere, *Londini anno 1691. in f.* publicato, quod producit *Catalogus Bibl. Bunav. Tomo I. Vol. I. p. 995.* Summa tituli eſt: *the Hiſtory of the Athenian Society* caet. conſtantque omnia ex Voluminibus V. ac totidem Supplementis. Certiora mihi in promtu ſunt *de ſocietate Antiquaria Londinenſi*, cuius hiſtoriam, poſt ea, quae THOM. SMITHVS in *Indice libror. manuſcript. Biblioth. Cottonianae* obſeruarat, ſingulari ad Kappium Epiſtola *Lipſiae anno* 1735. *in* 4. breuiter enarrauit CHRISTIAN. KORTHOLTVS. Docet in eadem Auctor, Societatem illam, rerum priſcarum ſtudioſiſſimam, regnante Eliſabetha praeclaro conatu Guil. Cambdeni et Roberti Cottoni, Viris illuſtribus, inſtitutam fuiſſe. A Iacobo I. fruſtra petita ſunt diploma et priuilegia Regalia: temporibus autem Caroli II. caput erigere coepit Societas, adiutore in primis Elia Ashmolio, de quo ſingularia intermiſcuit Kortholtus. Poſt eius obitum patronum anno 1718. nacta eſt Iohnſonum, qui, vt exſurgeret illa ſplendidior, feliciſſimo ſucceſſu effecit. In ea per aliquot annorum ſpatium Secretarii functus eſt munere Guil. Stukeley; Praeſidibus Comitibus Hartfordiae et Winchilſeae, ac Vice praeſidibus Petro le Neve, et Rogerio Gale. Vid. *Acta Erud. Lat. a. 1727. p. 103.* vbi STVKELEII *Itinerarium curioſum* occurrit. Quouis die Iouis conueniunt Collegae, et in Antiquitatum, praecipue patriarum, campos exſpatiantur. Specimen induſtriae huius proſtat, *Londini a.* 1726. hoc titulo excuſum: *Collectanea Societatis rei antiquariae ſtudioſae*, vbi aeri exhibentur inciſa, quae paſſim monumenta vetuſta reperta ſunt. An altera Pars, quam Socii iam pridem pararunt, prodierit in lucem, ego quidem ignoro. Id autem intellexi ex *Actor. Erud.*

Supplementis Tomo VIII. p. 326. ante Collectaneorum iſtorum editionem THOM. HEARNIVM ex Smithi, ſupra laudati, ſcriniis Collectionem Societatis Antiquariae de ſelectis Antiquitatum Anglicarum capitibus *Oxonii a. 1720. in* 8. *mai.* lingua vernacula publicaſſe, quod ipſum Opus *l. c.* fuſius recenſetur. In Aduerſariis ſuis hanc habent rationem Sodales. Primum notant, vbi vetuſta in Anglia deliteſcant monumenta, et quis eorum ſit poſſeſſor; tum conquirunt eadem, partim Romana, partim Saxonica, Runica, Danica, caet. Nec minus de libris manu exaratis ſolliciti ſunt, quaeque ad explanationem rerum antiquarum proxime aut ſcripta, aut excogitata fuere, diligenter in Commentarios referunt. Pluribus adſtringi conditionibus nolunt Socii, adeoque conuentibus intereſſe queunt pro arbitrio. Quoties tamen omnium nomine aliquid euulgatur, toties vnum quemque ſubſcriptione in ſe recipere oportet, quod librum editum emere velit. Extra Societatem alii ſubſcripturi haudquaquam admittuntur. Inde raritas *Collectaneorum* anno 1726. excuſorum, quorum ne formam quidem reſciſcere licuit. Symbolo vtitur Societas lucerna aenea Romana, ex monte S. Leonhardi iuxta Windeſorum a. 1717. effoſſa, cum inſcriptione: *non exſtinguetur.* Plura ſuppeditabit Kortholtiana illa Epiſtola, cuius recenſio exſtat in *Supplem. ad Noua Acta Erud. Tomo I. p. 429. ſq.*

De *Societate Etymologica*, quae Londini anno 1732. orta eſt, et poſt in ipſa forſitan herba elanguit, nihil memorare poſſum, praeter ea, quae in *Actis Academicis Lipſienſibus*, *p. 118. Vol. I. anno 1733. in 4.* emiſſi, lego relata. Verba ſunt haec: *Superiore anno Londini viri quidam eruditi, magis a doctrina quam ab aetate commendabiles, ſocietatem inſtitue-*

ſtituerunt, eo potiſſimum fine, vt linguas Europaeas inueſtigent vlterius atque emendent. Vocatur haec Societas Etymologica, *cuius Socii nunc quidem nouem exſiſtunt, duo Germani, vnus Vngarus, vnus Italus, Belga vnus, Gallus vnus, reliqui vero ſunt Angli. Quemadmodum omnes et ſinguli linguam Latinam atque Gallicam cognitam et perſpectam habent; ita vnus et alter Ebraicam, Graecam, Italicam, Hiſpanicam, Vngaricam, Slauonicam et alias Europaeas linguas intelligit. Verſabuntur autem in eo inprimis doctiſſimi noſtri Academici, vt cum in conuenientiam, tum in differentiam harum linguarum inquirant, et Gloſſaria, quae proſtant, partim emendent, partim vero adaugeant. Neque dubitant, quin hac ratione viam ad Grammaticam generalem, et Lexicon linguarum vniuerſale, ſibi ſint paraturi, quorum conatus, laudabiles omnino, et optimo cuique probandos, auſpicatiſſimos eſſe iubemus.*

Antiquiſſimum eſt inter Societates Anglicas *Collegium Medicorum*, tempore Henrici VIII. Londini conditum anno 1518. et auſpiciis quidem Ioh. Chambre, Thomae Linacri, Ferdin. de Victoria, Nicol. Halſewel, Ioh. Franciſci et Roberti Yaxley. Diploma Regium, die 23. m. Oct. anni 1518. confectum, apud RYMERVM exſtat in *Tomo VI. P. I. Actor, public. Anglicorum, p. 159. edit. Hagienſis.* Primum triginta, poſt a Carolo II. quadraginta, tandem a Iacobo II. octoginta Collegae ſunt conſtituti. Inter hos Praeſes vnus, Cenſores quatuor, Electores duodecim. Reliqui Candidati dicuntur, et Socii honorarii, itemque Licentiati, id eſt tales, quibus medicinam exercere licet. Linacri, Guil. Haruaei, qui Praeſes fuit ſaeculo ſuperiori, et aliorum liberalitate reditus hocce Collegium amplisſimos

mos accepit. Vid. HAYMANNI *Geſchichte der Geſellſch. der Gelehrten*, *Cap. XXI. p. 535.* et KÜCHELBECKERVS *l. c. p. 95. ſ.*

§. XX.

In Suecorum regno temporibus Chriſtinae, Reginae omnium ſermonibus celebratae, primum de Academia quadam litteraria fuit cogitatum. Anno enim 1650. Ge. Henr. Ludolfus, frater Iobi, ad morem Academiarum Italicarum Gallicarumque Stockholmiae colloquia introduxit, ſtatis diebus habenda cum viris aliis eruditis. Placuit inſtitutum Ioh. Freinshemio, et praeter hunc pluribus, quos fama beneuolentiae in homines doctos, quam prae ſe ferebat Regina, in Sueciam attraxerat; ideoque in Bibliothecam Regiam, cui praefectus tunc erat Freinshemius, conuenerunt, ac de variis rebus partim Gallice, partim Latine diſſeruerunt. Vid. CHRIST. IVNCKERI Commentar. *de Vita Iobi Ludolfi p. 56.* Eiusdem generis colloquia, niſi quidem haec eadem ſint cum iis, quorum iniecta modo eſt mentio, diebus Iouis ſingulis apud ſe conſtituerat Chriſtina. Vid. MAGNI O. CELSII *Bibl. Regiae Stockholmenſis Hiſtoria p. 72. ſq.* Mox autem Regina et ſacra auita et regnum deſerente, bellique flammis ardentibus, in ipſis quaſi cunis iſthaec exſpirauit Societas. Regnante deinde Carolo XI. anno 1667. et auſpiciis potiſſimum Magni Gabriel. de la Gardie, *Vpſaliae Collegium Antiquitatum* conditum eſt teſte NICOL. DAL, in *Specimine de Antiquariis Sueciae, Stockholm. a. 1724. in 4.* in Vita Ioh. Hadorphii *ſ. VII.* Inſtructio Regia data fuit d. 20. m. Nou. a. 1667. ex qua patet totius inſtituti ratio. Scilicet iniungitur Sociis, vt linguae Suio-Gothicae ac priſcae Runicae culturam, Monumentorum antiquiſſimorum, Manuſcriptorum, Maiorumque Hi-

ſtoriam

ſtoriam, priſci Iuris patrii explicationem, Hiſtoriae regni eccleſiaſticae delineationem, Documentorum Runicorum ac Sepulturae veterum ſcrutinium, denique rei monetariae, ſigillorum, rerum genealogicarum, vrbium, caſtellorum caet. adcuratam deſcriptionem curae cordique habeant. Primus huius Societatis Director fuit Ge. Stiernhielm, Collegii militaris Regii Conſiliarius, Vir eruditis non ignotus: Adſeſſores vero, qui in recenti adhuc Societate ſedem obtinuere, laudantur Ioh. Axehielm, Ioh. Loccenius, Ioh. Schefferus, Olaus Verelius, Magnus Celſius, et Ioh. Hadorphius. Huic in primis labores grauiſſimi, ad edenda Chronica rhythmica, explicandamque veterum ſepulturam, rem monetariam et ſigilla, concrediti; imo et Collegii res domeſticae commiſſae, ita quidem, vt rei pecuniariae procuratorem ac diſpenſatorem ageret, de argumentis antiquariis cum omni, per vniuerſum regnum, Ordine commercium litterarum haberet, ſingulorum item caſuum frequentes et adſiduas Delagardio, Cancellario, rationes redderet. Quumque Collegio Antiquitatum poſt exhibitos, occaſione Comitiorum, varios monumentorum Indices, traderentur etiam libri quidam veteres, et Collectanea priorum Antiquariorum, animaduertebatur, multas vetuſtatis memorias, in Archiuo regni cumulatas, praeter ea reperiri. Ideo Hadorphius, anno 1669. Secretarius ad Archiuum ab Antiquitatibus nuncupatus, circumſpiciens, quae ſcrutatoribus Antiquitatum lucem poſſent foenerari, acta et documenta plurima, reformationem eccleſiaſticam et politicam praecedentia, ſelegit, bonaque cum Cancellariae venia, nauigio vtens Delagardiano, Vpſaliam deuexit. NICOL. DAL, *l. c. §. VIII.* Poſtea Stockholmiam reportata fuit maxima pars Actorum, vſibus Collegii Anti-

quitatum conceſſorum, mortuisque Sodalibus, qui muneribus Academicis functi ſimul fuerant, creati ſunt Adſeſſores, in vrbe Regia commorantes. Inde translatum Collegium illuſtre Stockholmiam, Sociorumque numerus diminutus, mercedis tamen ſumma duplicata eſt, et, priore adpellatione mutata, nomen Collegio inditum *Archiui Antiquitatum.* Factum hoc edicto Regio anno 1692. m. Aprili. Vid. DALIVS *l. c. ſſ. XXII.* Floruit adhuc anno 1734. Peringskoldiorum, et aliorum magni nominis Virorum, fama ſcriptisque doctiſſimis extra patriae terminos iam pridem celeberrimum. Neque dubito, inſtitutum tantae vtilitatis etiam nunc ſupereſſe. Ab anno huius ſaeculi primo, ſingulares typographos habuit Collegium Antiquitatum, docente id IOH. ALNANDRO in *Hiſtoriola artis typographicae in Suecia, Vpſal. a.* 1722. *in* 8. *Cap. II. ſ.* 3. Vix natum id ipſum fuerat, quum arceſſeretur Elias Brennerus, admodum iuuenis, qui praeter litterarum ſtudia penicillum ſcite tractare didicerat, ad depingenda in variis regni partibus Antiquitatis monumenta. Peractum hoc ſtrenue non ſolum Vpſaliae, ſed in Gothia etiam Orientali atque occidentali, item Ducatu Finlandiae, neque tamen ex voto Brenneri, quippe qui redux factus non omnem mercedem annuam, multo minus itineris ſumtus recipere poterat. Itaque renunciauit Collegio pictoris munus, ad quod quidem reducere ipſum non nulli ſaepius tentarunt, verum priſtini memor temporis, quo iuſta praemia nequicquam exſpectauerat, noluit iterum in oblatas conditiones deſcendere. Tandem, poſt integrum vicennium, vbi Ioh. Peringerus in Hadorphii mortui locum creatus erat Secretarius et Antiquarius Regius, Adſeſſoris in dicto Collegio dignitatem non recuſauit. Cf. DALIVS *l. c.* in Vita Brenneri *ſſ.* 111. *ſq.* et *ſ. XVI.*

Doleo,

Doleo, Hiſtoriam Collegii Antiquitatum Dalianam, ante quadraginta fere annos prelo paratam, lucem non adſpexiſſe; hoc enim Opuſculum, quo iam vſus fui, non niſi pars quaedam eſt Voluminis maioris. Vid. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1725. *p.* 1015.

Cura Erici Benzelii, tunc Bibliothecarii Academici, anno 1711. *Vpſaliae Societas litteraria* coeperat, rebus potiſſimum naturalibus inueſtigandis conſecrata. Sed vtiliſſimi hi conatus parum fuere diuturni ob funeſtum bellum, quo Carolus XII, vanae gloriae iuſto auidior, regnum ſuum prope ſubuerterat. Pace vero reddita, anno 1720. Societatem aliquantiſper turbatam inſtaurauit laudatus Benzelius cum Olao Rudbeckio, adſcitis in conſortium Olao Celſio, et ex Profeſſorum aliorum corona elegantiſſimi ingenii viris. In priuato hocce, non vulgari tamen, Sociorum conuentu complura naturae arcana, et alia rariora, ad illuſtrandam e priſci aeui monumentis patriae hiſtoriam feliciter eſſe detecta, luculenter comprobant *Acta litteraria Sueciae*, de quibus pauca congeſſi *Tomo II. cap. 6. ſect.* 1. *§.* 35. *p.*984. Vt vero decoro cuncta ordine procederent, a Comite Aruido Horn, regni Senatore, impetrauit Societas, quod optauerat: Praeſidis quippe honorem libentiſſimo accepit animo, pluresque inuitauit Collegas, qui coniunctis viribus continuarent incepta. Succeſſit anno 1728. auctoritas Regia ſingularibus Codicillis, menſe Nouembri exaratis, et *Stockholmiae a.* 1729. *in* 4. publicatis. In his eſt ſtatutum, vt Societas vocetur *Regia litteraria et Scientiarum;* vt praeter Praeſidem illuſtrem, ab ipſo Rege ſemper eligendum, ac praeter Secretarium, numerus Collegarum quartum ac viceſimum non excedat; vt omnes proferre ſtudeant noua quaeuis et nondum audita, tam

tam in re litteraria, quam in diſciplinis, mathematicis praecipue ac phyſicis; vt ſummam tamen induſtriam in naturali regni hiſtoria ponant, ſolliciteque explorent phaenomena, et ab ipſa natura formata, et ope Mechanices atque Chymiae elicienda; vt Geographiam patriae diligenter excolant, ſimulque certi Collegae, Societate ſumtus ſuppeditante, per varias regiones iter ſuſcipiant, et priſcorum Suio-Gothorum antiquitates, monumenta, linguam vernaculam, Botanicen, hiſtoriam animalium, res minerales ac vegetabiles adcurate obſeruent, eoque conſilio cum viris etiam conſpicuis, et in prouinciis habitantibus, imo cum aliis partim indigenis, partim exteris, plurimo rerum vſu atque inſeruiendi ſtudio claris, familiaritatem ac litterarum commercia ineant; vt Socii, Vpſaliae degentes, quauis hebdomada ſemel conueniant, abſentes contra quotannis his minimum communicent cum Societate obſeruationes a ſe conſcriptas, atque inſerendas poſtea Actis litterariis et Scientiarum Sueciae, quorum editio trimeſtri quouis iniungitur. Taceo plura, quae legi poſſunt in ANDR. WESTENII Diſſert. *de Societatibus litterariis et Scientiarum, praecipue hyperboreis*, quam *Vpſal. a.* 1734. *in* 4. excuſam, Praeſide Matthia Aſpio, Eloqu. Profeſſore, defendit. Ibi omnia, quae attuli hactenus, *p.* 26. *ſq.* confirmantur, integrumque diploma Regium exhibetur, vna cum Sociorum, honorariorum pariter atque ordinariorum, nominibus. Subiicit Auctor *p.* 55. in Societatis inſigne ſubſidium praeterea Fiſco eius a Regia maieſtate attributam eſſe quandam pecuniae ſummam, iuſſuque Superiorum Chalcographum etiam et Inſtrumentorum mathematicorum effectorem vſibus Societatis inſeruire. *Acta Societatis Regiae Scientiarum Vpſalienſis ad annos* 1740. 1741. *et* 1742. *Stockholmiae*

miae

miae a. 1744. 1746. *et* 1748. *in* 4. *mai.* prodierunt, et ſunt Continuatio quaſi Actorum litterariorum Sueciae. Vid. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1746. *p.* 444. et *a.* 1747. *p.* 810. Tum Acta eiusdem Societatis ab anno 1744. vsque ad a. 1750. *ibidem a.* 1751. ſucceſſerunt. Plura Volumina mihi quidem non innotuere.

Vt rerum phyſicarum, mathematicarum, medicarum, praecipueque Oeconomiae ſtudium magis magisque apud Suecos excoleretur, *Stockholmiae* anno 1739. Codicillis Regiis confirmata fuit *die Schwänska Wettenskaps Akademie* i. e. Academia Scientiarum Suecica. Origo eius adſcribenda Martino Triewaldo, qui Carolo Linnaeo primum aperuit conſilii ſui rationes. Is vero ſtatim in partes traxit illuſtriſſimum poſtea Virum, Andream Baronem ab Höpken, qui et alios inſignes Muſarum patronos, Ionam Ahlſtröm, Stenonem Carol. Baronem a Bielke, et Carol. Guil. Baronem a Cederhielm, huius inſtituti cauſſa, ſibi conciliauit. Tum aucta Societas hominum illuſtrium, Eruditorum, Artificum et mercatorum numero non exiguo, qui partim Stockholmiae, partim Vpſaliae, partim in aliis regni locis commorabantur. Praeſentes conuenerunt in palatio equeſtri, ſingulis Mercurii diebus, et quidem horis antemeridianis, idque adhuc, quantum reſciui, facere ſolent. Praeſes, quae dignitas primum ad Linnaeum peruenit, quouis trimeſtri mutatur. Caeterum amice conſentiunt Academici Stockholmienſes cum Vpſalienſibus. Socii certe complures vtramque ornant Academiam, quumque Vpſalienſis Latine toti orbi litterario conatuum ſuorum ſpecimina porrigat, Stockholmienſis patrio ſermone ciuibus potiſſimum prodeſſe ſtudet. Huius Commentarii, argumenti phyſici, oeconomici et mechanici, menſe Iulio

Iulio anni 1739. coepti ſunt, atque etiam nunc ſtrenue continuantur Dixi de iisdem *Tomo II. cap. 6. ſect. 2. ſ. 11. p.* 1058. Cf. RATHLEFII *Nachricht von der Königlichen Schwediſchen Academie der Wiſſenſchaften*, in *Vol. I. Parte* 4. *p.* 498. *ſq. der Geſchichte ietztleb. Gelehrten*, itemque *die Götting. gel. Zeit. anni* 1747. *p.* 428.

Quae ibidem coaluit medio anno 1753. Reginae Suecorum, Louiſae Vlricae, Muſarum amantiſſimae, auſpiciis *Academia Scientiarum et litterarum elegantiorum*, de ea legi merentur *die Götting. gel. Anzeig. anni* 1756. *Parte LXXVII. p.* 644. *ſq.*

§. XXI.

Neque deſunt noſtra aetate in Hiſpania Societates eruditorum. Prima, ni fallor, *Hiſpali*, ſeu Seuillae, eſt conſtituta, Scientias et Artes, Phyſicam in primis, colens, eique exornandae multum operae impendit Ioh. de Peralta, Medicus gentis ſuae celeberrimus. Altera *Madriti* anno demum 1713. ſecundum regulam Academiae Regiae Scientiarum apud Pariſinos, auſpiciis Ducis de Eſcalona, fundata, conſtitit eo tempore, cum Directore ac Secretario, quatuor et viginti ex Sociis, qui vt in polienda linguae Caſtellana, nationi ſuauiſſima, generatim, ita in concinnando Dictionario Hiſpanico praecipue occupata fuit. Memorantur haec ex Abbatis DE VAYRAC *Etat preſent de l' Eſpagne* in *Actis Erud. Lat. anni* 1719. *p.* 278. Acceſſit anno 1714. confirmatio Regia: Statuta vero huius Academiae, ſic inſcripta: *Fundacion y Eſtatutos de la Real Academia Eſpannola*, *Madriti anno* 1715. *in* 4. plagulis tribus excuſa, Germaniceque reddita fuere in *dem Neuen Bücherſaal der gelehrt. Welt*, *Vol. V. Parte* 53. *p.* 369. *ſq.* Continent illa Capita quinque, quorum primum agit *de inſtituti ratione et cauſſa*, ſecundum *de Aca-*

de Academicis, eorumque numero, tertium *de negotiis atque officiis Directoris et Secretarii*, quartum *de conuentibus Academicorum*, quintum *de laboribus ipſorum litterariis.* Gallico ſermone Statuta haec exhibentur in *Memoires de Trevoux, m. Oct. a.* 1715. *p.* 1682. *ſq.* Anno 1723. Philippus V. Rex, Academiae reditus annuos ſexaginta mille Realium, ſeu octo circiter mille Imperialium, adſignauit, vt eadem varios ſuſtinere ſumtus queat, praeciue in Dictionarium erogandos. Vid. *die Leipz. gel. Zeit. anni* 1724. *p.* 57. Dictionarium linguae Caſtellanae prodire tum coepit *Madriti anno* 1726. *in f.* Tomus alter, qui tertiam Alphabeti litteram abſoluit, *anno* 1730. ſubſequutus eſt. De hiſce ſic in *Actis Erud. Lat. a.* 1731. *p.* 436. GREGOR. MAIANSIVS ſuam expoſuit ſententiam: *Ad eloquentiſſimorum hominum conſuetudinem obſeruandam meliores magiſtros vellem, quam Academici ſunt, qui grauioribus fortaſſe negotiis intenti, vocum origines non ſatis adcurate notant, fere ſemper inſiſtentes Couarruuiae veſtigiis, qui licet multa viderit acute, omnia non potuit; proprias ab impropriis locutionibus ſolent infeliciter diſtinguere. Non raro vtuntur teſtimoniis* [illegible]*oletariorum ſcriptorum, vtpote qui fere trecentos ſibi tamquam Hiſpanae linguae magiſtros operis initio praefixerunt. Voces praeſertim antiquatas, quaeque, quum reperiuntur, magis ignorantur, praetermittunt plurimas. Denique ea linguae Latinae infantia laborare videntur, vt raro vocabula Latina Hiſpanis, et multo minus phraſes phraſibus reſpondeant. Et quis credat, viginti quatuor Academicos ſeptendecim annorum ſpatio tres litteras tantum edidiſſe? Vnus homo ſemeſtri tantundem, praeſtiterit.* Idem ſubiicit paullo poſt, EMANVELEM DE LARRAMENDI, in libello, *de la Antiguedad i Vniverſalidad del Baſcuenſe en Eſpanna* caet. *Salamancae anno* 1728. *in* 8. excuſo, vocabulorum

lorum Hiſpanicorum multas detexiſſe origines, quas Academicos doceat. De pluribus Dictionarii huius, patria lingua compoſiti, Tomis nihil accepi.

Barcinone (Barcelonae) etiam *Academia bonarum litterarum* coaluit, anno demum 1729. in iuſtam formam redacta. Hiſtoria eius *ibidem anno* 1756. *in* 4. euulgata eſt hoc titulo: *Real Academia de buenas Lettras de Barcelona* caet. *Tom. I.*

Tandem *Societatis*, *ad incrementum rei medicae et chirurgicae*, nuper Madriti, auſpiciis Ludouici, Principis Regii, conditae, iniicienda eſt mentio. Singulis annis praemia ſunt ei promiſſa, qui argumentum quoddam, a Societate praeſcriptum, optime pertractarit. Ita quidem tabulae publicae nos de inſtituto hoc reddiderunt certiores.

De *Academia hiſtorica Luſitana* ſingulare Opus exſtat EMAN. TELLEZ DE SYLVA, *anno* 1727. *in* 4. *mai.* hac inſcriptione productum: *Hiſtoria da Academia Real da Hiſtoria Portugueza.* Eſt vero Tomus I. ſaltim, qui recenſetur in *Actis Erud. Lat. anno* 1730. *p.* 433. *ſq.* Eo conſilio ſtabilita fuit *Lisbonae* a Iohanne V. Academia ſub finem anni 1720. vt Hiſtoria Luſitana, multis adhuc tenebris inuoluta, magnisque naeuis laborans, excolatur ſtrenue, ac digna hoc ſaeculo ratione litteris mandetur. Cuius rei in memoriam cuſa eſt moneta, prima facie Regis imaginem, cum epigraphe: *Iohannes V. Luſitanorum Rex*, altera Regem ſtantem repraeſentans, qui Hiſtoriam, genibus eius prouolutam, alleuat manu. Adiecta ſunt verba: *Hiſtoria reſurges.* Infra leguntur haec in compendium redacta: *Regia Academia Hiſtoriae Luſitanae inſtituta VI. Idus Decembris* cIɔIɔccxx. Ex Statutis, in quibus electio Academicorum, eorumque munus, Director, Cenſores

ſores

ſores quatuor, Secretarius, Miniſtri, Academiae inſignia et ſigillum, dicendi materiam ſuppeditant, id cognoſcitur, numerum Sociorum ad quinquageſimum procedere. Singulis adſignata penſa ſunt, in Hiſtoria eccleſiaſtica et ciuili, Latine vel Luſitanice ſcribenda. Congreſſus et colloquia exactis quindecim diebus, haberi debent, et quidem in Palatio Regio. Exteros variarum prouinciarum Academicos, *prouinciales* propterea dictos, mittere ad Academiam collecta et excerpta oportet ex totius regni Tabulariis. Haec et alia fuſius exponuntur cum in laudata Hiſtoria, tum in maiore Opere, *Lisbonae a.* 1721 *ſq. in f.* Tomis XI. edito, cuius en! titulum: *Colleccam dos Documentos, Statutos, e Memorias da Academia Real da Hiſtoria Portugueza.* Vid. *Catal. Bibl. Richeianae, P. III. p.* 776. Tomos quinque priores indicant *Acta Erud. Lat. a.* 1727. *p.* 1. *ſq.* ac tres, qui ſucceſſere, *anno* 1737. *p.* 49. *ſq.* Primum Tomum exhibuit FERDIN. TELLEZ DE SYLVA, Comes VILLARMAIOR: reliquos filius ipſius, EMAM. TELLEZ DE SYLVA, Marchio DE ALEGRETE, Secretarius Academiae perpetuus, de quo ſupra. Mortuus is eſt a. 1736. vti docent *die Leipz. gel. Zeit. anni* 1736. *p.* 537. Quum Academia hiſtorica nec omnes recipere queat eruditos, nec pluribus dicata ſit diſciplinis, Iohannes V. anno 1721. nouam *Setubaliae*, in celebri Extremadurae oppido, Academiam condidit, nomine *Academiae problematicae* inſignitam. Occupata haec potiſſimum in tractandis litteris elegantioribus et quaeſtionibus variis diſſoluendis. Poſtremus cuiuslibet menſis dies congreſſibus Sociorum praefinitus eſt, quo tempore Orationes et carmina ſiue Latina, ſiue patria lingua, nec enim alia admittitur, recitari ſolent, praemiis nonnullis conſtitutis, vt ingeniorum acutiſſimorum diligentia inflammetur. Vid.

die Leipz. gel. Zeit. anni 1721. *p.* 545. *anni* 1722. *p* 873. *anni* 1731. *p.* 122. nec non *anni* 1732. *p.* 89 et *p.* 643.

Academia Medica ſtudio Ioſephi Gomes, Profeſſoris Medicinae, in ipſa Regia exorta eſt anno 1722. In ſocietatem recepit etiam Chirurgos. Collegae conueniunt ſingulis quindecim diebus, ac de natura morborum, quibusque remediis aegrotantium ſit proſpiciendum ſaluti, inter ſe colloquuntur. Docent haec *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1722. *p.* 817. et *a.* 1724. *p.* 129.

De alia Luſitaniae *Academia elegantiorum litterarum*, quae *Vimarini* (Guimaranes populus vrbem vocat) anno 1724. feſto Iohannis Euangeliſtae die primum ſe congregauit, non nihil occurrit in *den Leipz. gel. Zeit. anni* 1725. *p.* 497. *anni* 1737. *p.* 369. et *anni* 1740. *p.* 305 Perſpicimus exinde, Socios in primis vtrique eloquentiae, cum ſolutae, tum ligatae, ſtudioſos eſſe, ac modo Latina, modo patria lingua vti. Quibus ſi quis caeteros vicerit, is praemio quodam adficitur. Protector Academiae initio fuit Thaddaeus Ludov. Anton. Lopez de Carvalho, Archiepiſcopus, qui poſt Secretarii etiam functus eſt officio.

Nec in America Luſitani Societates litterarias eſſe voluerunt ignotas. Praefectus enim Braſiliae in vrbe *S. Saluatoris* anno circiter 1723. *Academiam Scientiarum* inſtituiſſe dicitur. Vid. RATHLEFII *Gelehrtes Portugal*, in *Parte VIII. der Geſchichte ietztleb. Gelehrten*, *p.* 253. qui Vir doctiſſimus antea memorauit alias quoque Luſitanorum Academias, ſcilicet *Oratorum*, *Anonymorum*, *Applicatorum*. Addo his ex celeberrimi Viri, GODOFR. ACHENWALL, *Staatsverfaſſung der Europ. Reiche p.* 117. *edit. tertiae* anno 1752. *Tomari* acceſſiſſe *Academiam Scientiarum*, Pariſinae exemplo formandam.

§. XXII.

§. XXII.

Ruſſorum gens plurimum debet *Academiae Scientiarum Petropolitanae.* Fundamenta eius anno 1724. iecerat Petrus Magnus, Imperator, propoſita ſibi ante oculos Pariſina, Berolinenſi, et Florentina, *del Cimento* dicta. Vid. FRID. CHRIST. WEBERI *Verändertes Rußland Vol. III. p.* 52. *et* 60. Itaque diſciplinae mathematicae et phyſicae, vna cum litteris humanioribus, praecipuo ſunt ſtudio excolendae. Eius autem poſt obitum, Catharinae, coniugis, auſpiciis, ad perfectiorem ſtatum perducta eſt Academia, primusque congreſſus, qui ob impedimenta feſto S. Catharinae die celebrari non poterat, die 27. m. Dec. a. 1725. ſtilo veteri eſt inſtitutus. Inter leges praeſcriptas id officii Academicis iniunctum eo tempore, vt omnes conuenirant bis quouis octiduo, diebus Martis ac Veneris, partim ad exponenda reliquorum iudiciis conſilia ſua atque Commentationes, partim ad ſupplenda, emendanda vel confirmanda Sodalium ſuorum cogitata, ſi quid de argumento, diſquiſitioni publicae ſubiecto, vtile vel eximium cognouerint. Iisdem legibus eſt ſancitum, vt quotannis terni conuentus ſolemnes agantur. Primus Praeſes fuit Laur. Blumentroſt, Medicus Imperatricis primarius, multique Viri, doctrina eminentiſſimi, non exiguo ſumtu ex diuerſis Europae regionibus ſunt conuocati ad ornandum inſtitutum. His ipſis autem non id ſolum datum eſt negotii, vt in colendis, nouisque inuentis locupletandis, ſcientiis et artibus eorum cura verſetur, ſed vt partem etiam induſtriae erudiendis iuuenum ſelectorum animis impendant. Ideoque Academiae Profeſſores die 24. m. Ianuarii a. 1726. praelectiones publicas inchoarunt, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iouis ac Veneris continuandas. Munificentia Petri M. conditoris praeſto

 eſt

eſt Bibliotheca inſignis et numero, et excellentia librorum, Muſeum rebus naturalibus refertiſſimum, inſtrumentorum arte et magnificentia ſpectabilium commendabilis adparatus, numiſmatum et antiquitatum rara Collectio, theſaurus anatomicus Frid. Ruyſchio, eius artifice, digniſſimus, quem Petrus triginta millibus Florenorum Belgicorum comparauit. Vid. IOH. FRID. SCHREIBERI *Hiſtoria vitae et meritorum Frid. Ruyſchii, Amſtael. a.* 1732. *in* 4. *mai.* Caeterum ad hiſtoriam Academiae ſpectant *Sermones in primo Solemni Acad. Scient. Imperialis conuentu die* 27. *Dec. a.* 1725. *publice recitati*, *Petropoli a.* 1726. *in* 4. *mai.* Auctor eſt GE. BERNH. BÜLFFINGERVS, vti docent *Acta Erud. Lat. a.* 1726. *n.* 354. Spectant huc porro, et honorifice nominari debent *Commentariorum Acad. Scient. Petropolitanae* Volumina complura, de quibus breuiter egi *Tomo II. cap.* 6. *ſect.* 2. *ſ.* 8. *p.* 1041. Catalogus librorum, quotquot Academia a primis initiis vsque ad annum 1740. prelo ſuo exire iuſſit, inſertus eſt *Actis Erud. Lat. a.* 1740. *p.* 246. *ſq.* Nouiſſime Auguſta Imperatrix, Eliſabetha, inſtaurauit Academiam nouasque leges promulgauit, quarum haec ſunt argumenta potiora: Academia, nulli alii Collegio, ſed Imperatrici ipſi ſubiecta eſto proxime; diuiſa eſto in poſterum in Academiam Scientiarum, et Academiam Artium. Academia Scientiarum complectatur ſimul Vniuerſitatem; Huius membra *Profeſſores* et *Regentes*, qui vero ad illam pertinent, *Academici*, et eorum alumni *Aſſociati*, ſiue *Adiuncti*, dicantur. Academicorum quatuor ſint Claſſes. *Primam* occupent Aſtronomi et Geographi: *alteram* Phyſici, Botanici, Hiſtoriae naturalis cultores, Anatomici atque Chymici: *tertiam* Phyſicae experimentalis et Matheſeos mixtae ſtudioſi: *quartam* denique Geometriae addicti; Omnibus his adiunctus ſit Secreta-

rius

rius perpetuus; Academicorum ordinariorum numerum decemuiri expleant, totidemque ſint Aſſociati; decem quoque Socii honorarii variarum gentium admittuntor; licitum tamen Praeſidi eſto, horum plures recipere, qui vel doctrinae quodam genere inclaruerunt, vel veteris proſapiae et magnae dignitatis homines ſunt, tam in Ruſſia, quam aliis Europae regionibus; Praeſidis arbitrio permittitur quodcunque agendum eſſe credit Academiae emolumento; itaque Socios, partium ſuarum immemores, ſubmouere a munere, aliosque illorum in locum eligere poteſt; Academici priuatim conueniant ter ſingulis hebdomadis, publice autem menſibus Ianuarii, Maii atque Septembris; Praeſes, qui hodie eſt praepotens Ruſſiae minori praefectus, (*Hetmannum* vulgo dicunt) Cyrillus Comes a Raſumowski, quotannis publicandum curet Problema, ſoluendum ab eruditis, propoſito centum aureorum praemio, vel eiusdem pretii numiſmate, illi tribuendo, qui Academiae iudicio ſolidiſſimam argumenti pertractationem, vel Ruſſica, vel Germanica, vel Gallica, vel Latina lingua elaboratam, exhibuerit, qua de re vid. *Acta Erud. Lat. anni* 1750. *p.* 96. *anni* 1756. *p.* 527. et *anni* 1757. *p.* 681. Cauendum etiam Praeſidi, ne ſumma redituum annuorum, Academiae deſtinatorum, qui tria et quinquaginta nummos vnciales Ruſſicos excedunt, parum reſpondeat perficiendo rite inſtituto. Haec et alia plura copioſius memorantur in *den Leipz. gel. Zeit. a.* 1748. *p.* 393. *ſq.* Cf. deſcriptio Academiae, quae Ruſſice ac Germanice reperitur in Faſciculo tabularum aeri inciſarum, qui prodiit magnifico habitu *Petropoli a.* 1741. *in f.* hoc titulo inſtructus: *Gebäude der Kayſerl. Academie der Wiſſenſchaften, nebſt der Bibliothec vnd Kunſtkammer in St. Petersburg, nach ihrem Grundriſs, Aufriſs vnd Durchſchnitt,*

vorgeſtellet. Vid. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1743. *p.* 1. *ſq.*

§. XXIII.

Apud Danos primum anno 1742. orta eſt, auctore Viro illuſtriſſimo, Ioh. Ludov. Comite ab Hollſtein, Regis amico, *Societas Hafnienſis bonis artibus promouendis dedita*, Regiisque mox Codicillis confirmata. Socii nominatim recenſentur in *den Altonaiſchen gel. Zeitung. anni* 1747. *P. XXX. p.* 241. *ſq.* et in STRODTMANNI *Beyträgen zur Hiſtorie der Gelahrtheit, Vol. I. Parte* 1. *p.* 291. in Adpendice. Fuere inter hos initio, praeter Viros dignitatis maximae, Holbergius, Grammius, Scheidius, Marc. Woeldicke, Buchwaldius, Pontoppidanus, Möllmannus, Horrebouius, et alii. Hiſtoria regni Danici et naturalis, et ciuilis, praecipue induſtriam eorum exercet. Commentariorum ſuorum iam octo Volumina edidit Societas, ac Danico quidem ſermone, qui quum paucis exterorum ſatis cognitus ſit, non nemo interpretationem Latinam ſuſcepit. Prodiit ergo *Hafniae anno* 1745. *in* 4. Pars I. *Scriptorum, a Societate Hafnienſi bonis artibus promouendis dedita, Danice editorum, nunc autem in Latinum ſermonem conuerſorum*, quam ſequutae ſunt plures. *Anno* certe 1752. Partem V. accepimus. Parti primae Praefatio eſt praefixa, in qua de origine Societatis et eius ratione diſſeritur adcuratius. Cf. IOH. CAR. FRID. GESNERI *narratio de praeſenti ſtatu rei litter. in Dania, Hafniae* 1761. *in* 4. *p.* 20. item BÜSCHINGII *Nachrichten von dem Zuſtande der Wiſſenſchaften in den Däniſchen Reichen, Vol. II. p.* 264. *ſq.*

Alia ibidem *Societas ad excolendas linguas Septentrionales et Hiſtoriam patriam* coaleſcere coepit exeunte anno 1744. inſtinctu Iac. Langebeck, qui et eius

eius Praeſes eſt factus. Conuenere Socii primum die octauo menſis Ianuarii a. 1745. ſimulque ſtatutum ab iis, vt id fiat ſingulis Veneris diebus, horis pomeridianis. Atque eo iam tempore non contemnendum librorum tam excuſorum, quam manu ſcriptorum, documentorum autographorum, nummorumque Danicorum adparatum in promtu habuere. Vid. STRODTMANNVS *l. c.* vbi et haec leguntur: *Wer das Däniſche Magazin* (id enim Opus debetur huic Societati) *geleſen hat, wird überführet ſeyn, daſs man Vrſache habe, einem ieden Lande dergleichen Geſellſchaften zu wünſchen; denn ſo würde manche treffliche Nachricht dem Moder entriſſen, vnd die Hiſtorie in ein helleres Licht können geſetzt werden.* Prodire coepit Opus dictum *Hafniae in* 4. ab *a.* 1745. lingua Danica, conſpexique ego Volumina VI. vsque ad a. 1752. Plura de eo diſci queunt ex BÜSCHINGII *Nachricht von dem Zuſtande der Wiſſenſchaften in den Däniſchen Reichen*, *Vol. I. p.* 460. *ſq.* Vid. etiam *Vol. II. p.* 450. Poſtea Regiae titulum et priuilegia Societas iſthaec anno 1747. accepit, vti docent *die Altonaiſch. gel. Zeit. a.* 1748. *p.* 26. Cf. MARTINI HÜBNERI *Nachricht von der Königl. Däniſchen Geſellſchaft zu Verbeſſerung der Nordiſchen Geſchichtskunde vnd Sprache zu Copenhagen*, in DAEHNERTI *critiſchen Nachrichten, Vol. I. p.* 129. *ſq.* Exiit hoc Volumen *Gryphisw. anno* 1750. *in* 4. Add. GESNERVS *l. c. p.* 21. vbi haec: *Sedecim viri eruditi Sociorum numerum complent, qui ſub directione Iac. Langenbeck, Regi a conſiliis iuſtitiae, et Archiuarii intimi, conueniunt in arce Charlottenburg dicta, ſemel in hebdomade. Huius Societatis ſcripta cenſurae non ſunt ſubiecta, et documenta, quibus indiget, aut vti voluerit, ex Archiuo deſumendi poteſtatem habet. Caetera autem documenta, quae in templis ſeruantur, vel aliis locis in occulto latent, ex ſingulari Regis Edicto cum*

 Societa-

Societate, ſi quidem illa poſtulauerint, ſunt communicanda. Scripta huius Societatis iam multa Volumina complent. Idem de aliis quoque Societatibus Danorum eruditis breuiter diſſerit.

Harlemi, in Belgio foederato, ſimiliter nunc *Societas Scientiarum* floret, cuius fundamenta iecere anno 1752. Septemuiri doctiſſimi, ad magiſtratum vrbis pertinentes. Fuerunt ii Arent van Raet, Conſul, Petr. van Schuylemburch, Corn. Aſcan. van Sypeſtein, Antonius Schlicher, Iuſtus Huygenius, Andr. Heshuyſen, ac Theod. Koekius, omnes Senatores. In primo ſtatim conuentu Secretarium perpetuum elegerunt C. C. van der Aa, Sacerdotem coetus Lutherani. Anno inſequenti varios collegas nouos ſibi conciliarunt: anno autem 1754. Princeps Naſſouiae, Rectorque prouinciarum Belgicarum, Protectoris honores, ipſi delatos, non repudiauit, poſtque maiori in dies incremento proceſſit inſtitutum. Quouis anno quinquaginta aureorum praemium porrigitur ei, qui propoſitam quandam quaeſtionem feliciſſime ſoluit illuſtrauitque. Anno 1761. quatuor et quinquaginta Sodales ordinarii numerati ſunt, atque tres Directores. Eorum labor praecipuus eſt, vt patriae emolumento phyſicae, medicae et mathematicae diſciplinae excolantur: neque tamen theologica penitus, hiſtórica et critica negligunt. Cf. *Bibliotheque des Sciences et des beaux Arts, Tomo II. P. 2. p.* 453. *ſq.* Quid praeſtiterint intra decennium, abunde comprobant Commentarii, lingua Belgica editi. Sic autem inſcribuntur: *Verhandelingen vitgegeeven door de Hollandze Maatſchappye der Weetenſchappen te Haarlem.* Pars I. *Harlemi a.* 1754. *in* 8. *mai.* lucem adſpexit, Pars V. vero *a.* 1760. Paſſim tabulae adiectae ſunt aeri inciſae. Vid. STRODTMANNI *Neues Gel. Europa, Vol. II. P.* 7. *p.* 567. nec non *die Leipz. gel. Zeit.*

anni

anni 1755. *p.* 311. *ſq.* item *anni* 1758. *p.* 473. vbi de verſione Germanica horum Commentariorum ſermo eſt, quam adornauit, alieno non nihil auxilio ſuffultus, adnotationibus quibusdam inſtruxit, et *Altenb. a.* 1758. *in* 8. *mai.* prodire iuſſit V. C. ABRAH. GOTTHELF KAESTNERVS. Non eſt dubium, quin et caeterae Partes hac ratione Germanis, linguae Belgicae ignaris, mox innoteſcant.

Agmen Poloni claudant, quibus ne deeſſet amplior vacandi ſtudiis occaſio, illuſtriſſimus gentis Maecenas, Ioſeph. Andr. Comes Zaluski, ſupremus regni Referendarius, *Varſouiae* die ſeptimo m. Decembr. a. 1753. conſtituit *bonarum artium et Scientiarum Academiam*, de qua vid. *die Leipz. gel. Zeit. anni* 1754. *p.* 97. *ſq.* Scripta, quae recitari ſolent in conuentu, vel Latina, vel Polona ſunt lingua exarata. In ipſis Academiae auſpiciis Orationem Latinam, eamque non inelegantem, dixit Socius, ANTON. WISNIEWSKI, in Varſouienſi Nobilium Collegio Philoſ. et Matheſ. Profeſſor, quae agit de vtilitate, ex hoc inſtituto in Poloniam redundatura. Excuſa eſt *Varſouiae a.* 1754. *in* 4. *mai.* iterumque *Lipſiae*, typis, ni fallor, Langenhemii. Inter alia *p.* 13. ſic diſſerit Orator: *Fiet olim, vt poſtliminio omnes bonas artes ac ſcientias, quibus ſub Sigismundo primo, ſub Sigismundo Auguſto, et ſub Stephano, Bathoreo hoſpitium conceſſit Polonia, ſub feliciter nobis regnante rediuiuo Romanorum Auguſto, propediem reductas eſſe gaudeamus: quae vtique apud nos minime interrupta colonia duraſſent, ſi illarum florem et iura ſimiles Academici coetus conſeruaſſent. Fiet, inquam, vt haec noſtra Societas Politicen illuſtret, Matheſin et Philoſophiam ſtabiliat, a Theologia ſuperuacaneas amputet quaeſtiones, Criticen legibus iuſtis circumſcribat, ipſam quoque, quam cum lacte materno ſuximus, Polonam linguam ſuae reſtituat puritati.*

CAPVT VNDECIMVM

DE

ORIGINE TYPOGRAPHIAE, EIVSQVE PROGRESSV IN PLVRIMIS EVROPAE REGIONIBVS, TYPOGRAPHIS, BIBLIOPOLIS, ET CORRECTORIBVS CELEBRIORIBVS, CAET.

§. I. *Scriptores notitiam Auctorum ſuppeditantes, qui de arte typographica egere.*

§. II. *De prima artis origine variae lites. Fabula de Saturno.* Scythis *eadem origo an ſit adſcribenda?*

§. III. Sinenſes *an inuentores habendi?*

§. IV. *Scriptores, qui laudem hanc ad* Harlemenſes *pertinere adfirmant. Primi libri, qui prodiiſſe ibidem dicuntur.*

§. V. *Scriptores, qui eandem* Moguntiae *vindicarunt.*

§. VI. *Scriptores, qui* Argentorati *typographiam ortam primum eſſe contendunt.*

§. VII. *Scriptores, qui aliis tribuerunt inuentionem.*

§. VIII. *Quaenam ſententia proxime accedat ad veritatem, et quo certe anno typographia innotuerit?* Iohannes Guttenbergius *auctor.*

§. IX. *De ipſo, eiusque conatu ac fatis, ſpeciatim diſſeritur.*

§. X. *De artis progreſſu, deque* Ioh. Fauſto, Petro Schoeffero, *poſterisque eius ſingularia: item de libris quibusdam praecipuis, ſub typographiae initia excuſis.*

§. XI. *De notis characteriſticis librorum, primis ab inuenta arte annis editorum.*

§. XII. *et*

§. XIII. *De fatis typographiae, clarisque officinis in* Germania.

§. XIV. *Quando ea ſit introducta in* Italiam, *deque primis typographis Romanis,* Schweinheimio, Pannarzio, Hanio.

§. XV. *De typographia* Vaticana.

§. XVI. *De conatibus typographicis* Mediolani.

§. XVII. *Primi* Venetorum *typographi.*

§. XVIII. *De* Ratdolto *ac* Aldo Manutio, *eiusque poſteris.*

§. XIX. *De* Bombergio, *itemque* Iuntis.

§. XX. *De typographia* Taruiſii, Neapoli, Parmae, Florentiae, *recepta, quaeque noſtra aetate inclaruit, Cominiana* Pataui *officina.*

§. XXI. *et*

§. XXII. *Initium artis apud* Gallos. *Typographi nobiliores ibidem, praeſertim* Stephani, Gryphii ac Doletus.

§. XXIII.

§. XXIII. *Quo tempore ſucceſſuque typographia peruenerit ad* Heluetos? *Merita* Frobeniorum *atque* Oporini.

§. XXIV. *De initio et progreſſu eius in* Anglia, Scotia, Hibernia.

§. XXV. *Fata eiusdem apud* Hungaros *et* Belgas: *de typographia* Plantiniana ſpeciatim.

§. XXVI. *Memorabilia de arte typographica in* Hiſpania, Suecia, Luſitania, Dania, Polonia, Ruſſia, Turcia, *deque typographeis* Iudaeorum.

§. XXVII. *Varii librorum Indices, ſaec. XV. impreſſorum.*

§. XXVIII. *De typographorum Inſignibus.*

§. XXIX. *Quaedam de typographis eruditis.*

§. XXX. *De typographeis illuſtrium et eruditorum Virorum domeſticis.*

§. XXXI. *De Maecenatibus artis typographicae.*

§. XXXII. *Correctores in officinis typographorum eruditi.*

§. XXXIII. *Scriptores de typographiae laudibus, vſu et abuſu.*

§. XXXIV. *De quaeſtione nonnulla: libri antiquiores an, et qua ratione ſint recenter excuſis praeferendi?*

§. I.

In ſuperioribus, *Capite V. ſ.* 15, quum dictum fuerit, rei litteriae ſtudioſo habendam quoque rationem editionum eſſe, quae de libris exſtant, non erit certe ab inſtituto alienum, ſi de arte typographica, praecipuisque officinis typographicis, potiora hic loci propoſuerim. Maximus eſt eorum numerus, quorum induſtria in hoc argumento pertractando fuit occupata. Plerosque illorum, qui rarius noſtra aetate obuii erant, et vel data opera hiſtoriam artis exhibuerant, vel aliquam ſaltim eius fecerant mentionem, conquiſiuit vndique, ac ſecundum ordinem chronologicum diſpoſuit IOH. CHRISTIAN. WOLFIVS. Tum ex muſeo ipſius *Hamb. a.* 1740. *in* 8. Partibus II. prodiere *Monumenta typographica, quae artis huius praeſtantiſſimae originem, laudem et abuſum poſteris produnt.* Curauit, vt Opuſcula, Germanice, Belgice, Gallice, Italice Angliceue conſcripta, pure ac dilucide Latinam in linguam transferrentur: eos autem libros, qui vel origi-

originem typographiae et fata in certa quadam regione, aut vrbe, memorant, vel hiſtoriam eius iisdem prope verbis, quae iam in ipſius Collectione leguntur, ſingulariue Auctorum ſtudio non ita pridem expoſuerant copioſius, de induſtria praetermiſit, ne Operis moles nimis adcreſceret. Ordine tamen alphabetico praefixit Wolfius *Bibliothecam typographicam*, id eſt Elenchum Scriptorum, qui partim vberius fuſiusque, partim breuiter, artem typographicam illuſtrarunt; ita quidem, vt eos, quorum Opuſcula integra, vel etiam loca ampliora, in eius reperiuntur Collectione, typis maioribus, hos e contrario, quorum verba in eadem plane non exſtant, typis inclinatis, ſeu, vt vulgo dicunt, currentibus, a caeteris omnibus diſtingueret. Quae inſerta eſt PROSP. MARCHAND *Hiſtoire de l' origine de l' Imprimerie* Bibliotheca Scriptorum, de arte typographica conſulto agentium, quorum Auctor trecentos circiter et quinquaginta congeſſerat, eam non mera nomina tituloſque, ſed adcurata etiam de ſingulis iudicia, complecti docent *Acta Erud. Lat. anni* 1739. *p.* 580. Eo ipſo tempore, ſcilicet *anno* 1740. *Hanouerae in* 4. lucem adſpexit IOH, LVDOLPHI BÜNEMANNI *Notitia Scriptorum, editorum atque ineditorum, artem typographicam illuſtrantium, intermixtis paſſim Obſeruationibus litterariis.* Iſtae quidem plenae ſunt bonae frugis; at aegre omnino ferendum, virum rei litterariae peritiſſimum ad finem non perduxiſſe, quae molitus eſt. Subſtitit quippe in media alphabeti littera. Sic et IOH. CHRIST. SEITZIVS ordine chronologico adornauit Auctorum de artis typographicae inuentione Catalogum, cui adnotationum non nihil ſubiecit. Obuius is eſt in principio libri, quem *Harlemi a.* 1740. *in* 8. *mai.* hoc titulo exiiſſe conſtat: *Het derde Jubeljaar der vitgevondene Boekdrukkonſt.* Nec plane hoc negle-

neglexit argumentum FRID. CHRISTIAN. LESSERVS, qui *Typographiam iubilantem*, i. e. *eine kurtzgefaſſte Hiſtorie der Buchdruckerey Lipſ. eodem anno eademque forma* publicauit. Prooemium continet notitiam complurium Scriptorum de arte typographica, iudiciis quibusdam locupletatam. Ipſa vero libri Capita haec ſunt: Primum agit *de ortu primisque initiis typographiae*; alterum *de progreſſu eiusdem in Germania, nec non Luſitania, Gallia, Anglia, Italia, Helvetia, et Hungaria*; tertium *de artis incrementis apud Turcas atque in Aſia, recentiori potiſſimum aetate*; quartum *de modis praecipuis, quibus ars typographica ſenſim eſt emendata*; quintum *de inſignibus et ornamentis typographorum*; ſextum *de multiplici typographiae vſu*; ſeptimum *de virtutibus atque officiis typographorum*; octauum denique *de iis, quae obſeruanda ſunt in re publica, typographiae cauſſa.* Falſa, quae paſſim irrepſere, lectorem haud facile credulum requirunt; ideoque caueant ſibi a libro tirones. Inter complura exempla; quae probandae huius ſententiae cauſſa proferri nullo negotio poſſent, vel ad vnicum illud prouoco, cuius CLEMENT in *Bibl. de livr. dific. à trouver, Tomo IV. p.* 176. mentionem iniecit.

§. II.

De prima typographiae origine nec vna fuit olim, nec adhuc eſt, eruditorum ſententia. Facturum igitur me operae pretium credo, ſi paullo ſingulas adcuratius enarrauerim. Argumentis profecto ineptis nituntur, ingenioque nimium indulgent, qui Saturnum artis huius auctorem atque inuentorem laudant. Adſeruit hoc, quantum ſciam, primum POMPONIVS LAETVS in *Epiſtola ad Auguſtin. Mapheum*, Salluſtio praefixa, eumque ſequutus eſt, IOH. MATTHAEVS, a patria Luna, celebri olim Italiae

Italiae vrbe, cui hodie Sarzanae nomen, LVNENSIS vocatus, in libello *de rerum inuentoribus Cap. XII.* vbi ſic *Impreſſura*, inquit, *litterarum in Germania poſt Chriſti aduentum comperta fuit, nam ante fidem Chriſtianam Saturnus litteras Italos imprimere docuit, vt refert D. Cyprianus in libello de Idolis.* Ipſa eius verba haec ſunt: *Hic* (Saturnus) *litteras imprimere, hic ſignare nummos primus in Italia inſtituit.* Sed male intellectum eſſe Cypriani locum, auctoremque loqui tantum de antiquo ſtilis paruis ferreis ſcribendi in tabula more, deque inſcriptionibus, quae in auerſa numiſmatum parte adparent, iam pridem obſeruauit GABRIEL NAVDAEVS apud WOLFIVM *Monument. typogr. P. I. p.* 494. *ſq.* Scythis inuentionis gloriam tribuit STEPHAN. ZAMOSCIVS in *Analectis lapidum vetuſtorum et nonnullar. Daciae antiquitat. Pataui anno* 1593. *in* 8. editis, atque nunc obuiis rariſſime. Cuius quidem opinio quum ſingularis plane ſit, integra hic verba transſcribere placet. Ita vero ille *p.* 11. *Supereſt apud hos in Tranſyluania genus quoddam vernaculum ſcribendi, quod ab ἀρχαιογόνοις eorum Scythis iam inde per multa ſaecula poſteritati traditum, ac ab Oriente in Europam illatum retinetur. Sicut autem linguarum diſſimilitudine Aſiatici ab Europaeis herciſcuntur, ita et litterarum notis, ſcribendique forma, per omnia diſſident. Nam cum Europaei dextrorſum elementorum figuras ducant, Aſiatici ſiniſtrorſum ſuas pingunt,* χαρινίζοντες. *Ex his duabus ſcribendi formis caeterae etiam in toto orbe, vt originem habent, ita et motus qualitatem alterutram ſequuntur. Sola Siculorum ſcriptura noluit eas leges imitari. Ea enim non vltro citroque vti Graeca et Hebraea, ſed initium a ſummo faciens, horſum ſe capeſſit, litteris deorſum tendentibus,*

bus, ac tam ſubtili complexione implicatis, vt pauciſſimis multa abſoluatur ſententia. Itaque non ſcriptorio ſemper atramento, ſed particulis oblongis, fuſtellisque in quatrum dolatis, cultelli cuſpide, velut ſtilo, litteras confertim haerentes inſculpunt. Quod genus ἐγγλυφογραφίας *cum iisdem priſcarum litterarum notis huc vsque temporis penes illos remanſit. Talis typi exemplar perquam vetuſtum integro volumine in Bibliotheca Magni Ducis Hetruriae Florentiae hodie exſtat, mirandis ſane, et incognitis Europae litterarum notis, charta libris non eſt opiſtographa, ſed aduerſa tantum parte conſcripta: verum ita ob papyri ſubtilitatem tralucent omnes litterae, vt auerſa quoque parte, non minus quam aduerſa, legi pariter queant Non e lineis chartis, quales hodie in vſu, ſed Nilotica papyro, volumen conſtat, nec calamo eſt exaratum, ſed typo impreſſum, vbi verſuum* συστοιχία, *dependulae ſingularibus lineis per quaelibet interſtitia inſertis inter ſeſe diſtinguuntur. Nec vero ipſi tantum characteres, ſed totus etiam codex multam vetuſtatem omnibus argumentis prae ſe fert, vt iam deſinant gloriari Europaei de ſua Caſſiterographia nuperrime inuenta, cum hic liber, ante multa ſaecula impreſſus, litteris huic orbi incognitis Scythas eius rei auctores manifeſte proclamet. Quod et Paulus Iouius ab Oriente per Scythas ad Europaeos veniſſe iam pridem recte ſcripſit.* Singula haec verba repetiit BOXHORNIVS in *Hiſtoria vniuerſali p. 180.* Prouocat igitur Zamoſcius ad Codicem Bibliothecae Florentinae, chartae Niloticae impreſſum. Contra quae varia monuit olim STRUVIUS hoc ipſo loco, et verbis quidem ſequentibus: *Sed non ſolum* αὐτοψία *docebit, an liber impreſ-*

ſus

ſus ſit, vel manu tantum exaratus, cum Ioh. Mabillonus de re diplomat. lib. I. cap. 8. teſtetur, papyri Aegyptiacae vſum in ſcribendis Codicibus manuſcriptis duraſſe vsque ad ſaeculum XII. verum etiam illud quam maxime in dubium erit vocandum, an characteres iſti, de quibus agit Zamoſcius, ſint Scythici. Dubitauit de illo iam Ioh. Troeſterus in Dacia nov-Antiqua lib. III. cap. 2. Rationes Zamoſcii ſunt, quod ſcriptura lectu difficilis, quod characteres litteris deorſum tendentibus ſint ſcripti. Sed hoc ſolum ad probandum, Scythicos eſſe characteres, non ſufficit. Olaus Wormius quippe de litteratura Runica cap. XXV. iam obſeruauit, hunc ſcribendi modum a ſummo ad imum Runis ac Danis iamdum fuiſſe cognitum. Hoc etiam, ipſo teſtante, vſi ſunt incolae Taprobanae, et etiam num vtuntur Indi, praeſertim Sinenſes, qui a quibusdam Taepocon dictus Aethiopibus hunc modum familiarem fuiſſe docet Alex. ab Alexandro Genialium libro II. cap. 30. Quodſi ergo plures gentes hoc ſcribendi genere fuerunt vſi, an non potius characteres iſtius Codicis, ſi impreſſus, ſunt Runici, vel, quod magis probabile, Sinici? eo quod de litteris dicit, eas tam ſubtili complexione eſſe implicatas, vt pauciſſimis multa abſoluatur ſententia, quod de Sinicis fere dici poterit, imo ex Codice Florentino, ad quem prouocat, magis illud patebit, cum illum Sinicis eſſe exaratum characteribus dicant. Hactenus ipſe Struuius, quocum iungi meretur MATTH. BELIVS in Exercit. *de vetere litteratura Hunno-Scythica, Norimb. a.* 1718. *in* 4. vbi *Sect. II. ſ.* 15. 16. et 18. *p.* 50. *ſq.* hoc de argumento diſſerit vberius, ac Troeſteri cum primis opinionem refutat. Ad Zamoſcium autem vt reuertamur, duo is non dubitauit adſerere, ſcilicet Pandectarum Codi-

Codicem Florentinum non calamo exaratum eſſe, ſed impreſſum typis, ac deinde, Scythas eſſe artis typographicae veros inuentores. Vtrumque lubrico admodum nititur fundamento. Iam profecto nemo amplius negabit, manuſcriptum exſtare Volumen Florentinum, poſtquam HENR. BRENCMANNI *Hiſtoria Pandectarum* ante hos quadraginta annos euulgata eſt. Docet enim vir doctus *Cap. III. p.* 11. *ſq.* opus ſi non in Graecia, atque ipſa imperii ſede, Conſtantinopoli, ſaltim a Graeco homine deſcriptum videri; tum *libro II. cap.* 2. *p.* 108. partim Graecis Latiniſque, partim et Gothicis id factum litteris fuiſſe oſtendit. Quod vero ad Scythas, typographiae auctores laudatos, attinet, mirum vtique, BELIVM *l. c. p.* 54. Zamoſcii ſententiam ſequi. *Certum eſt*, inquit, *typographiam Orientalibus, multis ſaeculis ante, notam vſurpatamque fuiſſe, quam apud Europaeos, ſiue Belgarum, ſiue Germanorum opera inuenta creditur. Mille et quingentis annis eam apud Sinenſes antiquiorem adfirmare nihil dubitat Iſaac Voſſius Cap. de artib. et Scient. Sinarum, quod eſt variarum obſeruat. cap. XIV.* Et, quibusdam interiectis, ſic initio §. XIIX. pergit idem: *Iam ſi vltimi Orientis populi, quales Sinenſes ſunt, typographicam hanc artem, rudiorem licet noſtra, tam longa ſaeculorum ſerie, ante Europaeos vſurpauerunt, non video, cur non eadem Scythis quoque Aſiaticis tribui omnino poſſit, cum procliue ſit, vt gentes regionum terminis contiguae, vti reliquarum rerum, ſic artium quoque, mutuum quoddam inſtituant commercium.*

§. III.

Singularem pertractationem poſtulant, quae Belius de Sinenſibus interſperſit. Sunt profecto complures alii, quibus hos populos artem nobiliſſimam inueniſſe perſuaſiſſimum eſt. Proferam ergo pleros-

pleroſque, qui mihi quidem innotuerunt. NICOL. TRIGAVLT *de expeditione Chriſtiana apud Sinenſes ſuſcepta, Lugduni a.* 1616. *in* 4. iterumque *Herbipoli* 1640. *in* 8. diſertis ſcribit verbis *lib. I. cap.* 4. *Typographia apud Sinas antiquior eſt aliquanto, quam apud Europaeos: nam a quinque retro ſaeculis certum eſt, ab iis vſu receptam, neque deſunt, qui aſſerant, prius ea Sinas fuiſſe vſos, quam in hanc mortalitatem immortalis ſeſe Deus abieciſſet.* Quare antiquiorem, aliorum fide, dicit typographiam ea aetate, quam Seruator natus eſt generis humani. Idem ſentiunt HIERON. OSORIVS *de reb. geſtis Emanuelis, Luſitaniae Regis, lib. XI.* IOH. PETR. MAFFAEVS *Hiſtor. Indiae Oriental. lib. VI. p.* 256. ANGEL. ROCCHA in *Adpend. Commentat. de Bibl. Vaticana p.* 409. *ſq.* et plures, quos nominauit THEOPHIL. SPITZELIVS *de re litter. Sinenſ. Sect. III. p.* 33. et iam ante eum BERN. A MALLINKROT *de ortu et progr. artis typogr. Cap. I.* Addere his iuuabit LVDOV. COMITEM, ſeu LE COMTE, e S. I. in *Nouveaux Memoires ſur l' état preſent de la Chine, Pariſ. a.* 1696. ac denuo *Amſt.* 1697. *in* 12. *mai.* Refert Auctor hic *Tomo I. epiſt.* 7. typographiam apud Sinenſes antiquiſſimis iam temporibus in vſu fuiſſe, quamuis ea differat ab Europaeorum typographia. Sinenſes enim non habere ſingularum litterarum formas aeneas, vti nos; ſed ſi librum velint excudere, characteres inſculpi tabulis ligneis, quae MSti folia numero ſuo aequent. Has vero tabulas ligneas ob multitudinem ſuam, praeſertim quum volumen aliquod paullo craſſius excudendum ſit, non exiguam aedium partem occupare, iiſdemque nullum alium librum, praeter iſtum vnum, excudi poſſe. Cf. NEOCORI *Biblioth. libror. nouor. Tomo I. p.* 68. Nec Gallo huic repugnat Nicol. HIERON. GVNDLINGIVS in *Hiſtoria Philoſ. moralis, cap. V. §.* 3. *p.* 34. *et* 35.

et 35. Contendit quippe, Sinenſes quicquid habent, habere a ſe ipſis, artemque typographicam inueniſſe eos multis ſaeculis ante, quam in Europa viuentes. Poſtea vero *noſter*, inquit, *imprimendi modus longe antecellit illum Sinenſium. Non poſſunt hi characteres ſuos, quibus ſemel vſi ſunt, adhibere amplius. Nos vna tabula, litteris in hunc vſum iunctis perfecta, aliquot millia exemplarium imprimimus: illi tot tabulas formare neceſſum habent, quot exemplaria volunt; vnde etiam fit, vt integras ſaepe domus eiusmodi apparatu, ad vnum ſolum librum pertinente, impleant.* Hanc ipſam, quae eſt apud Sinenſes vſitata, excudendi rationem ex Trigantii libro adducto exponit SPITZELIVS, cuius en! verba: *Characteres Sinae tabulae, e pyro fére maloue, inſculpunt, h. m. folium exſcriptum leuiter conglutinant, inde magno artificio iam ſiccam papyrum ita eradunt, vt non niſi tenuiſſima facie transparentes characteres videantur, cum ſtilis ferreis ita tabulam illam exſculpunt, vt ſola characterum vel picturae lineamenta emineant. Incredibili tum facilitate ac celeritate folia pro arbitratu imprimunt, eaque ſaepe typographus vnus die vno quingenta ſupra mille expedit. In inſculpendis quoque tabulis tanta celeritate verſantur, vt nihilo plus temporis in ſculpenda, quam noſtri in componenda vna, emendandaque, conſumere videantur. Et haec excudendi ratio ad Sinicos characteres fere grandiuſculos accommodatior eſt, quam ad noſtros, neque enim tenuiſſima noſtra elementa ligneae tabulae inſculpi commode poſſunt.* Nouiſſime hanc de Sinenſium typographia ſententiam tueri eſt conatus SAM. ENGELIVS in *Lettre ſur l' invention de l' Jmprimerie*, quae epiſtola reperitur in *Journal Helvetique anni* 1741. *p.* 852. *ſq.* Add. eiusdem *Lettre ſur l'origine de l' Jmprimerie*, et *ſur diverſes editions anciennes, à Berne* 1742. *in* 8. Verum enim vero, quamquam negandum non eſſe vide-

 tur,

tur, Sinenſes iam ante Europaeos aliquam habuiſſe typographiae notitiam, neque tamen hi artem ab illis didicere. In eo ſimul omnes conueniunt, longe differre Sinenſium inſtitutum a noſtro, eadem omnino ratione, vt chalcographia diſcrepat a typographia Id commodi tamen Sinenſibus naſcitur, quod auctor, vel typotheta, non cogatur ſimul ac ſemel ingentem, vti nos, exemplarium copiam parare, ſed quoties voluerit, opusue fuerit, plura excudere, aut pauciora, volumina queat. Cf. de Sinenſium typographia THEOPH. SIEGFR. BAYERI *Muſeum Sinicum*, *Petropoli anno* 1730. *in* 8. *mai. Tomo I. p.* 80. *ſq.* itemque IOH. BAPT DV HALDE *Deſcription geogr. hiſtorique* caet. *de l' empire de la Chine, Pariſ. a.* 1735. *in f. mai. Tomo II. p.* 299. *ſq.* et LESSERI *typogr. iubilans*, *Cap. I. §. 7. p.* 17. *ſq.* Singularis etiam et a noſtra typographia plane diuerſus fuit modus, quo VLPHILAE Codex *Euangeliorum* hodie adhuc apud Vpſalienſes conſpicitur. Is enim, teſte IOH. IHRE in *Vlphila illuſtrato, Holmiae a.* 1752. *in* 4. edito, litteras habet argenteas, ferro membranae inuſtas, qua ratione bibliopegi titulos dorſo librorum imprimunt.

§. IV.

Miſſis his, tres potiſſimum vrbes ante oculos obuerſantur, quae huius argumenti cauſſa ſumma inter ſe contentione decertant. Nemo ignorat vel modice Hiſtoriae litterariae peritus, Harlemum abs me intelligi, Moguntiam atque Argentoratum. Proferam primum eos Scriptores, qui HARLEMO, apud Belgas foederatos, inuentae typographiae laudem impertire ſtuduerunt. Fuſius rem omnem exponit HADRIAN. IVNIVS in *Batauia Cap. XVII. p.* 429. *edit. anno* 1652. *in* 12. adornatae, quo ex libro ſua plerumque hauſit THEODOR. SCHREVELIVS

LIVS in *Harlemo p.* 270. Audiamus nos ita diſſerentem Schreuelium: *Quotquot ciues Harlemi nati et educati, fide omnes digni hoc quaſi per manus traditum a parentibus acceperunt, ante annos CCVII. ciuem non e multis Harlemi fuiſſe, qui aedibus ſatis ſplendidis foroque imminentibus, e regione Palatii regalis, habitabat. Ei nomen fuit Laurent. Ioh. Sacryſtein, quod aedituum ſignificat, non familiae, munus enim haereditarium fuit in iſta ſtirpe: ita, vt hic honos ipſi ſoli debeatur multis inuidendus. Is autem id pro more habebat, exſpatiare in ſuburbano nemore, in ſyluis obambulare, et cum forte meditabundus in amoenis viretis conſediſſet, temporis fallendi cauſſa, venit in mentem in fagino cortice litterarum typos formare, dein nomen incidere, quod impreſſit dorſo manus, relictis totidem in cute litteris: mox verſiculum vnum atque alterum animi gratia ducere, et recta linea litteras; quas atramento imbuebat nouus artifex, et purae chartae imprimebat. Hoc primum fuit artis maximae rudimentum, quod vbi feliciter ſucceſſit, coepit animo altiora concipere. Primum omnium atramenti ſcriptorii genus glutinoſius tenaciusque excogitauit. Placuit inuentum. Adhibito tandem in conſilium et partem curae genero ſuo, Thoma Petri, qui filios reliquit quatuor, qui omnes ſucceſſiue Coſſ. et conſulares fuere, ne quis exiſtimet, e faece vulgi fuiſſe homines, qui tam praeclaram artem inuenerint, Dei inuentum. Inde totas pinaces characteribus expreſſerunt, ſed ab vna tantum parte. Exſtant hodieque eius operis aduerſaria paginis tantum aduerſis impreſſa, quae paginae glutine commiſſae inter ſe cohaerent, vt videantur eſſe opiſtographa. Ex hoc typographeo liber prodiit, qui lingua vernacula ſcriptus* Speculum Salutis *inſcribitur. Haec prima quaſi infantia artis huius, quae paullatim incrementa cepit. Nam auctor alta mente praeditus bacillos buxeos protinus mutauit, et characteres plumbeos fecit, mox e ſtanno fuſi-*

 les

les litteras formauit, magis concinnas, et durabiles magis, quas Gerardus Thomae diligenter aſſeruauit ad fidem poſteritatis. Cumque iam progreſſus faceret in dies maiores, etiam rem faceret ex arte, ex voto inchoata ſuccederent, quaeſtum etiam facerent, Author non fuit par labori typographico. Ita neceſſe habuit mercenariorum opera vti, quos non admiſit in officinam ſuam, niſi dato prius fidelitatis iuramento, ne ſecreta artis typographicae eliminarent, aut alios docerent quouis modo. Non obſtante eo, Iohannes quidam, ſiue, vt fert ſuſpicio, Fauſtus, hero ſuo inuidus, a quo artem omnem fuerat edoctus, ipſo peruigilio natalis Dominici, omne typorum choragium inuolauit, aſportauitque primum Amſtelodamum, inde Coloniam Agrippinam, denique Moguntiacum: vbi hic trifurcifer et ſesquilauernio ſibi nouae inuentionis laudem arrogans, intra vertentis anni ſpatium ad annum a nato Chriſto M.CCCCXLII. iis ipſis, quos hero fuerat ſuffuratus, litteris in lucem edidit Alexandri Doctrinale cum Petri Hiſpani tractatibus. Hinc rumor vulgo, Moguntiae artem typographicam inuentam in praeiudicium Laurentii Coſteri. Idem adfirmauit, Iuniique verba repetiit PETR. SCRIVERIVS in *Laurekraus voor Laurens Koſter van Haerlem, eerſte Vinder van de Boekdruckerey*, quod Opuſculum ſubiunctum eſt libro eius ſic inſcripto: *Beſchryvinge ende Lof der Stad Haerlem in Holland* caet. *Harlemi anno* 1628. *in* 4. Latine redditum interprete GE. QVAPNERO exſtat in *Collectione Wolfiana Parte I. p.* 209. *ſq.* Diuerſus ab eo plane libellus, *ibidem a.* 1726. *in* 4. hoc titulo excuſus: *Laurier-Krans gevlogten om't Hoofd van Laurens Koſter, eerſte Vitvinder der Boekdrukkerkunſt binnen Haerlem.* Carmina ſunt Latina et Belgica, de quibus vid. WOLFIVS *l. c. p.* 437. *ſq.* Succeſſit Scriuerio MARC. ZVERIVS BOXHORNIVS, cuius Differt. *de typographicae artis inuentione et inuentoribus, Lugd. Bat. a.* 1640. *in* 4. lucem

cem adſpexit. Suum poſtea locum nacta eſt in WOLFII Opere *l. c. p.* 813. *ſq.* Eo tendit potiſſimum auctoris labor, vt Bernardi a Mallinkrot rationes refellantur, quibus Moguntinis, non Harlemenſibus, typographiae deberi primordia contenderat. Alia pro Harlemenſibus teſtimonia Ludov. Guicciardini, Valerii Andreae, Franc. Sweertii, Auberti Miraei, et plurium, attulit MALLINKROTIVS *de ortu et progr. artis typograph. Cap. III. p.* 611. *ſq.* in *Parte I. Collect. Wolfianae.* Sed haec quidem omnia leuioris eſſe momenti videntur. Nec defuerunt, qui noſtra aetate in cauſſam hanc ſe demittere ſunt conati. Quae ALB. HENR. DE SALLENGRE diſſerat, ea legi queunt in *Memoires de Litterature Tomo I. P.* 2. *p.* 395. *ſq.* Operoſius vero adſtruitur, primum omnium artis typographicae inuentorem Coſterum exſtitiſſe, reique tantae gloria Harlemenſibus, contra negantes Germanos ac Gallos, adiudicatur vtique in *Vita Laur. Coſteri*, quam exhibet Anonymorum Belgarum *Levensbeſchryving van beroemde en geleerde Mannen*, *Amſtael. anno* 1730. *ſq. in* 8. *mai. Tomi II. Parte I.* Pertinet huc porro IAC. KORTEBRANTS *Lof der Drukkunſt te Haerlem, uitgevonden door Laurens Janszoon Koſter* caet. *Delphis a.* 1740. *in* 4. Cuius libri meminit clariſſimus FRANCKIVS in *Bibliothecae Bunauianae Catalogo*, *Tomi I. Vol.* 1. *p.* 667. Eodem denique anno *Harlemi in* 8. *mai.* Belgice prodiit iam ſupra memoratum IOH. CHR. SEITZII, Franco-Germani, *Tertium inuentae typographiae Iubilaeum*, *complectens ſuccinctam tractationem hiſtoricam de nobili arte typographica.* Repetitus fuit liber, Latine redditus, *ibidem eademque forma anno* 1742. Priorem editionem recenſent Collectores *Actor. Erud. Lat. a.* 1743. *p.* 93. *ſq.* Decem vſus eſt Seitzius argumentis, a SCHOEPFLINO breuiter examinatis. Vid. eiusdem *Vindiciae*

typographicae, de quibus alibi plura, *Cap. VIII. p.* 84. *ſq.* Addit Vir illuſtris *ſ*. 7. hanc epicriſin: *Qualiscunque horum argumentorum ſit indoles*, *Seitzius ea ex Scriuerio hauſit*, *qui eadem conquiſiuerat vndique*, *typographiam tabellarem vt vindicaret Harlemo*, *quam ei vltro et lubentes concedimus.* Nunc auide exſpectamus GERARDI MEERMANI ampliſſimi Roterodamenſium Syndici, *Origines typographicas*, habitu ſplendido edendas, qua in Commentatione nouis documentis Harlemenſium illuſtrare cauſſam conſtituit. Indicatur conatus hicce, laude dignisſimus, in *den Leipz. gel. Zeit. anni* 1761. *num. LII. p.* 443. vbi recenſetur *Conſpectus Originum typographicarum*, *a Meermano proxime in lucem edendarum*; quod etiam factum in *Actis Erudit. Lat. eod. anno p.* 223. *ſq.* Poſtea celeberrimus Auctor menſe Febr. a. 1763. haec ad me perſcripſit: *Originum mearum typographicarum tomus prior hoc ipſo menſe typis abſolutus erit*, *alterque confeſtim ſuccedet. Opus forma quarta maiore excuditur charta et characteribus nitidisſimis*, *instructum praeterea nouem laminis aeneis*, *exhibentibus Specimina primarum impreſſionum Harlemenſium*, *idque tanta cum cura*, *vt iurares*, *te typos originales videre. Addentur etiam effigies tum ipſius inuentoris Laurentii*, *tum mea*, *artificioſiſſime caelatae.*

Inter primos libros, opera Coſteri excuſos, nominari vulgo ſolet *Donatus*, Grammatices inſtitutio, tabulis ligneis inciſa, cuius vero an et vbinam locorum hodie adſeruetur exemplum, ſibi quidem ignotum eſſe, ſcribit SCHELHORNIVS *Amoenit. litterar. Tomo II. p.* 328. Alterum ſpecimen typographicum dicitur *Ars moriendi*, ſeu *Tentationes Diaboli.* Editionem, in maiori quarta, vel minori folii forma, charactere Gothico, in tabulis ligneis inſculpto, figurisque illuſtrato, exhibitam, copioſius

ſius depinxit GOETZIVS *Vol. I. der Merckwürdigkeiten der Königl. Biblioth. zu Dresden*, *p.* 11. *ſq.* Aliud exemplar, ab hoc non nihil diuerſum, recenſet DAVID. CLEMENT in *Biblioth. de livres, dificiles à trouver*, *Tomo II. p.* 143. *ſq.* Conſpexi idem illud, quod manibus tractauit Auctor, in Bibliotheca Regia Hanouerana, mihique eſt omnino perſuaſiſſimum, recte ipſum *p.* 145. haec ſubieciſſe: *On y voit à chaque page l' Jmprimerie dans ſa naiſſance. Jl n' y a rien de regulier, ri en d' exact, tout y eſt groſſier et informe. Les pages d' écriture ont été gravées toutes entiéres ſur des planches de bois, elles ſont environnées d' une quadre formé tantôt de deux, tantot de trois lignes inégales, dont la ligne extérieure eſt tout à fait groſſiére, mince dans un endroit et large dans l' autre, tantôt elle eſt crénelée, tantôt il y en a une partie d' éfacée en levant la forme, tantôt il en manque un bout. Les Caractéres ſont épais et joints enſemble, comme s' ils etoient écrits à la main, ce qui fait voir, que cette piéce a été imprimée avant l' invention des Caractéres mobiles.* Et paullo poſt *Jl y a aparence*, inquit, *que cette piéce a été imprimee à la main, avant l' inuention des preſſes, à peu prés de la maniere, que les Teinturiers impriment ſur la toile: car on voit, que les lignes extérieures de diverſes pages ont coulé en relevant la forme. Et ſi l' on examine l' eſpace, qui ſe trouve entre deux pages, pour former les deux marges intérieures, on reconnôitra facilement, que l' on n' avoit pas encore le ſecret d' afermir deux formes enſemble, pour imprimer deux pages à la fois; mais que chaque page a été imprimée ſéparément. L' une eſt haute, et l' autre baſſe. Elles s' a prochent ordinairement par en haut, et s' éloignent au bas, ce*

qui fait, qu' il eſt impoſſible de plier les fevilles, en ſorte que les marges en ſoient égales. Tandem vero addit, quod nondum ſatis certum videatur, hunc libellum eſſe a Coſtero profectum. En! ipſa verba: *On ne ſauroit dire avec aucune probabilité, chez qui cette piéce a été imprimée Si le Speculum humanae ſaluationis vient de Laurent Cöſter, il y a aparence, que cette piéce, qui eſt beaucoup plus groſſiére et plus informe, n' en vient point. Jl y a trop de diférence entre les caractéres et les figures. Si l' on vouloit juger ſur la marque du papier, on pourroit conjecturer, que c' eſt une des premieres épreuves de* William Caxton; *mais le plus ſur eſt, d' adopter ici le ſiſtéme de l' ignorance, et de ſe taire.* Data etiam opera de hoc ſcripto actum a IOH. G. WELLERO in *dem Neueſten aus der anmuthigen Gelehrſamk. anni 1752. P. X. p. 725. ſq.* vbi obuia eſt *Nachricht von dem alten vnd ſehr ſeltenen Buche* (*Ars moriendi vnd ins beſondere von einer deutſchen Ueberſetzuug deſſelben.* Alius, qui Coſtero tribuitur, liber eſt *Apocalypſis per figuras repraeſentata, cum Gloſſis in f.* De eo CLEMENT *Tomo I. p. 408.* ſequentia memorat: *Ce précieux morceau de l' antiquité vient de Lorent Cöſter de Harlem, c' eſt tout dire. Les feuillets ne ſont imprimes, que d' un cote, et blancs de l' autre, a fin de les pouvoir coler enſemble. J' ai vû divers Ouvrages de cette trempe, dans la Bibliothéque roiale* (d'Hannouer) *par exemple*: le Speculum humanae Saluationis *du même Lorent Cöſter* caet. Fuſius autem, quem et Auctor laudat, iſtam editionem deſcripſit FERDIN. STOSCHIVS in *Catalogo rariorum in Apocalypſin Iohannis Commentariorum*, illato *Symbolis litterar. Bremenſibus, Tomo I. P. 4. p. 360. ſq.*

Neque

Neque ſilentio debet praetermitti, cuius antea mentionem inieci, *Speculum humanae ſaluationis*, liber Latine et Gothicis quidem litteris, maiuſculis, atris, craſſis, rudibus atque informibus a Coſtero anno circiter 1440. abſolutus. Deſcripſit eundem SCHELHORNIVS *Amoenit. litter. Tomo I. p.* 3. *ſq.* Hoc teſte, in folio minori expreſſus habet paginas triginta, haud opiſtographas: vna enim dumtaxat cuiusque folii facies typis vel figuris repleta eſt, ad vitandam vero deformitatem duae ſemper paginae, glutine commiſſae, cohaereſcunt. Tam vocum, quam figurarum characteres tabulis inſculpti ligneis ſunt, obſeruanturque non nunquam litterae atramento confluenti deformatae, venterque illarum, alias albus ac vacuus, atramenti macula obductus vt artis inde infantia poſſit haud difficulter agnoſci. Nec deſunt crebra vocum compendia, quae vulgo *abbreuiaturae* dicuntur. Quindecim libelli folia pertractationem exhibent, reliqua figuras, huic reſpondentes. Ad lacunas quasdam paginarum explendas nunc litterarum ductus prolatati ſunt longius, nunc aſteriſci adiecti, nunc animalium, neſcio quorum, effigies ornamenti loco expreſſae. Cf. IDEM *Tomo IX. p.* 969. *ſq.* vbi quaedam, priori loco dicta, emendantur. Scilicet Opuſculum hoc Harlemi quidem, in Tabulario Curiae, adſeruatur, ſed nec ſerico inuolutum, nec argenteae incluſum arculae verum ligneae ſaltim, ſine vllo tegumento. Idque confirmat ſimul NEMEITZIVS, *P. I. p.* 36. *der vernünftigen Gedancken über allerh. Materien.* Add. DE SALLENGRE *Memoires ſur les premieres impreſſions faites à Harlem, l. c. p.* 392. *ſq.* atque MAITTAIRIVS *Annal. typogr. Tomo I. p.* 18. Subſequuta videtur ſtatim eiusdem formae interpretatio Belgica, *dat Speghel onſer behoudeniſſe* inſcripta. Typis hancce plumbeis prodiiſſe, contendit illuſtris

ſtris MEERMANVS in *der Hamburg. vermiſcht. Biblioth. Vol. II. p. 87.* in fine Commentationis, qua deſcribit diligenter translationis huius Belgicae editionem aliam, anno 1743. ſexaginta florenis ſibi comparatam. Opinatur, eandem typis ſtanneis, anno fere 1443. edidiſſe Coſterum. Age! audiamus Virum clariſſimum, ſic. *l. c.* loquentem: *Quum plumbeos typos improbus quidam famulus Coſtero ſubripuiſſet, ipſe officinam ſuam typographicam de nouo inſtruere coactus fuit, iamque adhibere coepit ſtanneos typos, quibus excuſus fuit hic liber ex altera editione, ex qua noſtrum exemplar eſt, idque circa annum* 1443. (*vti Seitzius cap.* 7. *p.* 163. *coniicit,*) *vel certe haud longo tempore poſt. Reliqua ad deſcriptionem huius libri pertinentia ex ipſo Seitzio peti poſſunt, qui etiam cap.* 4. *p.* 55. *ſq. euidentiſſime probauit, illum minime tabulis ligneis inciſum, verum litteris mobilibus a Coſtero excuſum fuiſſe, id quod etiam negare nemo poterit, cui librum ipſum inſpicere et examinare contigit.* Haec de Belgico exemplari. Aliter de Latino ſtatuendum. SCHOEPFLINVS enim in *Vindiciis typogr. p.* 87. poſt repetitum idemtidem examen operis id mixti eſſe inuenit. Superior paginarum pars icones et verba, litteris immobilibus ſculpta, ipſo teſte, repraeſentat; inferior autem, quae rhythmos Latinos ſculptis mobilibus exprimit, genuinae typographiae partus eſt, adeoque liber ex Coſteriana et Guttenbergiana arte compoſitus. Praeter haec Vir illuſtris paullo poſt *nota* (*n*) Seitzii fidem in dubium vocat, vbi *Seitzius*, ait, *Speculo, Batauica lingua ſcripto, editionis primae annum* 1439. *ſecundae a.* 1443. *Speculo Latino a.* 1444. *neſcio quibus indiciis, confidenter aſſignat.* Idem *p.* 84. generatim profitetur, Chronologiam ſuam Seitzium, ſine oraculi cuiusdam monitu, definire non potuiſſe, Tentationibus quippe Daemonis annum 1431. Hiſtoriis Veteris et N.

Teſta-

Teſtamenti a. 1432. Cantico Canticorum a. 1433. Apocalypſi a. 1434. Donato autem a. 1435. audacter attribui ab eodem. Caeterum euolui hoc poſſunt loco cum *die neuen Beyträge von alten vnd neuen theologiſchen Sachen anno* 1751. *Parte I. p.* 10. *ſq.* vbi ex *Catalogue des livres imprimez de la Biblioth. du Roi de France* occurrunt *neue Nachrichten von dem Speculo humanae Saluationis:* tum IOH. HENR. A. SEELEN *Ecloga de Speculo humanae Saluationis*, in *Noua Bibliotheca Lubecenſi, Vol. I. P. I. p.* 69. *ſq.* Addatur his CHR. GOTTLIEB SCHWARZIVS in *Indice nouo libror. ſub incunabula typogr. impreſſorum*, (qui eſt inſertus *den nützlichen Arbeiten der Gelehrten im Reich, P. VI.*) *p.* 482. ita prudenter iudicans: *dubium eſt, ad quem iure meritoque inuentio iſtius artis* (xylographicae) *ſit referenda; eam gloriam huc vsque Harlemenſes Laurentio ſuo Coſtero vnice vindicarunt; quamuis ne vnicam quidem tabellam proferre potuerint, cui Coſteri illius nomen, aut Harlemi, et temporis, certum indicium antiquitus ſit additum. Verum et in Germania, etiam ante Coſterum, fuerunt formarum ſculptores, qui figuras ligno inſculpſere, ac ſigillatim chartas luſorias inde expreſſere. Ad haec tot diuerſa genera et fragmenta eiusmodi tabularum reliqua paſſim nunc obſeruare licet, vt neſciam, qua ratione omnia ad vnum Coſterum, tamquam auctorem, referri queant?* Cf. eiusdem hominis doctiſſimi dicta *p.* 488.

§. V.

Longe plures ſunt omnino, qui artis diuinae origines MOGVNTIAE adſcripſerunt. Primus, a quo id factum eſt, laudatur IOH. TRITHEMIVS, ſaeculi XV. ſcriptor vere coaeuus, qui in *Annalibus ſuis Hirſaugienſibus ad annum* 1450. ita loquitur: *His temporibus in ciuitate Moguntia Germaniae prope Rhenum, et non in Italia, vt quidam falſo ſcripſerunt, inuenta et excogitata eſt ars illa mirabilis, et prius inaudita,*

dita, imprimendi et characterizandi libros per Ioannem Guttenberger, ciuem Moguntinum, qui, cum omnem pene ſubſtantiam ſuam pro inuentione huius artis expoſuiſſet, et nimia difficultate laborans iam in iſto, iam in alio deficeret, iamque prope eſſet, vt deſperatus negotium intermitteret, conſilio tandem et impenſis Iohannis Fuſt, aeque ciuis Moguntini, rem perfecit inceptam. In primis igitur characteribus litterarum in tabulis ligneis per ordinem ſcriptis, formisque compoſitis Vocabularium, Catholicon nuncupatum, impreſſerunt, ſed cum iisdem formis nihil aliud potuerunt imprimere, eo quod characteres non fuerint amouibiles de tabulis, ſed inſculpti, ſicut diximus. Poſt haec inuentis ſucceſſerunt ſubtiliora, inueneruntque modum fundendi formas omnium Latini alphabeti litterarum, quas ipſi matrices nominabant, ex quibus rurſum aeneos, ſiue ſtanneos characteres fundebant, ad omnem preſſuram ſufficientes, quos prius manibus ſculpebant. Et re vera ſicuti ante XXX. ferme annos ex ore Petri Opilionis de Gernsheim, ciuis Moguntini, qui gener erat primi artis inuentoris, audiui, magnam a primo inuentionis ſuae haec ars impreſſoria habuit difficultatem. Impreſſuri namque Bibliam, priusquam tertium compleſſent in opere quaternionem, plusquam 4000. florenorum expoſuerunt. Petrus autem memoratus Opilio, tunc famulus, poſtea gener, ſicut diximus, inuentoris primi, Iohannis Fuſt, homo ingenioſus et prudens, faciliorem modum fundendi characteres excogitauit, et artem, vt nunc eſt, compleuit. Et hi tres imprimendi modum aliquamdiu tenuerunt occultum, quousque per famulos, ſine quorum miniſterio artem ipſam exercere non poterant, diuulgatus fuit, in Argentinenſes primo, et paullatim in omnes nationes.

His

His addidit verſus aliquot in artis et inuentorum laudem, ac deinde ſic pergit Trithemius: *Et haec de Impreſſoria mira ſubtilitate dicta ſufficiant, cuius inuentores primi ciues Moguntini fuerunt. Habitabant autem primi tres artis impreſſoriae inuentores, Iohannes videlicet Guttenberger, Ioh. Fuſt, et Petr. Opilio, gener eius, Moguntiae in domo zum Iungen dicta, quae deinceps vsque in praeſens Impreſſoria nuncupatur.* Comprobauit illud quoque auctor, iisdem fere, at paullo breuioribus, verbis in *Chronico Spanhemenſi ad annum 1450.* Teſtimonium autem hoc, quo propius inuentae artis aetatem attigit Trithemius, tanto maiorem habet fidem: praecipue, quum ex ore Petri Schoefferi, ſeu Opilionis, qui Fauſti gener erat, ſe dicat hauſiſſe. Videmus ex eo ſimul, tabulas ligneas excogitandis ex metallo typis praebuiſſe occaſionem Adſtipulatur, quantum ad auctorem artis, Ioh. Schoefferus, Petri filius, editor Liuii, Germanicum in Sermonem translati, qui liber *Moguntiae a. 1505. in f.* eſt excuſus, vbi in Praefatione, Maximiliano I. Imperatori dicata, haec leguntur: *In der löblichen Stadt Mentz, in welcher Stadt auch anfengklich die wunderbare Kunſt der Truckerey, vnd im erſten von dem kunſtreichen Iohann Guttenberg, do man zalt nach Chriſti vnſers Herrn Geburt, tauſend vier hundert vnd funfzig Iahre erfunden, vnd darnach mit Vleiſſ Koſt vnd Arbeyt Ioan Fauſten vnd Peter Schöffers zu Mentz gebeſſerth vnd beſtändig gemacht iſt worden, darum dieſelbe Stadt nicht allein bey Teutſcher Nation, ſunder auch bey aller Welt in ewige Zeit (als wohlverdyneth) gepreyſſt vnd gelobt ſolle werden, vnd dye Bürger vnd Einwohner doſelbſt des billig genyſſen.* Magna Scriptorum caterua

in ean-

in eandem tranſiit ſententiam. Nominandi hos inter ſequentes potiſſimum.

I.) IOH. ARNOLDVS, a patria BERGELLANVS dictus, cuius *de Chalcographiae inuentione* Poëma encomiaſticum, idque haud inuenuſtum, primum prodiit *Meguntiae a. 1541. in 4.* Recuſum eſt poſtea in ANT. VERDERII *Supplem. Biblioth. Geſnerianae Lugd. a. 1585. in f.* non optima tamen fide, quum Verderius ea ſuſtulerit, quae dicta in carmine fuerant pro Carolo V. in Franciſcum I. Galliarum Regem. Idem occurrit in TENTZELII *Curieuſen Biblioth. Repoſit. l. p. 986. ſq.* notis Editoris quibusdam illuſtratum, a ab iis, quae ipſe Arnoldus ſubiecerat, non diſtinctis; in GE. CHRIST. IOANNIS *Script. Hiſtor. Mogunt. Tomo III. p. 429. ſq.* in PROSP MARCHAND *Hiſt. de l' Imprimerie P. II. p. 12. ſq;* itemque in WOLFII *Monum. typogr. P. I. p. 1. ſq.* vbi et Ioannis Praefatio praemiſſa conſpicitur.

II.) MATTHAEVS IVDEX, qui libellum *de typographiae inuentione, et de praelorum legitima inſpectione Coppenhagii a. 1566. in 8.* edidit. Locum is deinde nactus eſt in WOLFII Sylloge *l. c. p. 72. ſq.* Mirum tamen raritatis pretium habet prior editio; alias ſcriptum eſt haud magni momenti. Moguntiae primum inuentum hoc dici artificium, *P. II. cap. 7.* profitetur.

III.) BERN. A MALLINKROT, cui debetur *de ortu et progreſſu artis typographicae Diſſertatio, Coloniae Agripp. 1640. in 4.* et apud WOLFIVM *P. I. p. 547. ſq.* Non nulla exemplaria, titulo immutato, praeferunt annum 1639. Primus

mus hic eſt et princeps auctor, qui ſolide hoc pertractauit argumentum, aliisque multis, non eo forſitan ſubſidiorum adparatu inſtructis, palmam praeripuit. Diſputat pro Moguntinis contra Harlemenſes: magis tamen inclinat animus ad ſententiam eorum, qui Fauſto, non Guttenbergio, inuentionis gloriam vindicauere. Caeterum plura de hoc bonae frugis libro ſuppeditat BÜNEMANNVS in *Notitia Scriptor. art. typogr. illuſtrant p.* 38. *ſq.*

IV.) ANDREAS RIVINVS, qui *Hecatombam laudum et gratiarum in ludis iterum ſaecularibus, ob inuentam in Germania abhinc annis CC. Chalcographiam Lipſ. a.* 1640. *in* 4. variis Epigrammatibus publicauit, quo ipſo etiam tempore *forma eadem* lucem vidit eius panegyrica Declamatio, *qua artis typographicae initia, progreſſus, nobilitas et vtilitas ſumma celebrantur.* Vtrumque Opuſculum recudendum curauit WOLFIVS *l. c. p.* 869. *ſq.* Adiectum *p.* 1031. *ſq.* aliud Riuinianum, *Irrungs-Entſcheidungen bey der edlen Buchdruckerey* inſcriptum, Latineque redditum a LVDOVICO KLEFEKERO.

V.) IOH. DE LA CAILLE, a quo profecta eſt *Hiſtoire de l' Jmprimerie, et de la Librairie, ou l' on voit ſon origine, et ſon progrés iusqu' en* 1689. In duos diuiſa eſt libros, aeneis figuris exornatos, prodiitque *Pariſ. a.* 1689. *in* 4. Auctor bibliopola fuit, qui priore in libro, enarrata origine artis, percenſet ordine chronologico antiquos typographos, quotquot a Guttenbergio, cui adſcribit inuentionem, adeoque a medio ſaeculo XV. ad eius vsque finem, innotuere, nec eorum tantum nomina et patriam, ſed domicilium quoque, opera praeci-

pua, ſymbola, epitaphia, non nunquam et res alias praeclare geſtas, commemorat: liber autem ſecundus memoriae dicatus eſt typographorum Pariſienſium ab anno 1469. vsque ad a. 1689. De quibusdam exemplaribus, quae caeteris omnibus pleniora dicuntur, at rariſſime ſunt obuia, legendus AVG. BEYERVS in *Memoriis criticis libror. rarior. num. XXVI. p.* 50. Non iniquum eſt, quod PROSPER MARCHANDVS de labore hoc tulit aliquando iudicium. Subiecit id ipſum COLERVS Introductioni Struuianae, atque his quidem verbis expreſſum: *Cette Hiſtoire de l' Jmprimerie n' eſt a peu de choſe près qu' une Liſte fort imparfaite, et fort mal digerée des Jmprimeurs et Libraires de Paris, et de quelques unes de leurs editions, depuis l' origine de l' Jmprimerie en cette Ville jusqu' en 1689. C' eſt une des plus miſerables compoſitions, qu' on ait jamais faites en ce genre; entrepriſe avec trop de témerité par un homme, qui n' avoit ni le genie, ni la capacite neceſſaire pour y reuſſir, et dans la quelle il n' y a point de page, au l' on ne trouve au moins quelque bevue groſſiere, ſi l' on en excepte le petit Traité de l' origine de l' Jmprimerie, dont la meilleure partie eſt aſſez fidelement copiée dans l' Addition à l' Hiſtoire de Louis XI. de Gabriel Naude*, caet. Quum igitur de la Caille non reſpondiſſet ſatis exſpectationi eruditorum, ANDREAS CHEVILLIER, ſuaſu Colberti, edidit *ibidem a.* 1694. *in* 4. amplam Diſſertationem hiſtoricam et criticam *de l' origine de l' Jmprimerie de Paris*. Omnibus haec eſt doctis probata, inuentu tamen difficilis, teſte, praeter

ter alios, CLEMENTIO in *Bibl. de livr. dificiles à trouver*, *Tomo VII. p. 71. ſq.* Totus labor quatuor ex Partibus conſtat, quarum primam inſeruit Marchandus Hiſtoriae ſuae *de l'origine et des premiers progrés de l' Jmprimerie*, *P. II. p. 97. ſq.*

VI.) GVIL. ERN. TENTZELIVS im *Diſcours von Erfindung der löblichen Buchdruckerkunſt in Deutſchland*, *Gothae a.* 1700. *in* 12. Latine recuſus libellus in WOLFII *Monum. typogr. P. II. p. 644. ſq.* Prima eiusdem fundamenta iecerat Auctor in *den monatbl. Vnterred. anni* 1692. *p.* 688. *ſq.* Fauet quidem cauſſae Moguntinorum, ita tamen, ne Argentinenſes plane offendat. Scribit enim primum *p.* 692. *edit. Latinae: Hic honor nunquam non habebitur Argentinenſibus, eorum indigenam et ciuem, Ioh. Guttenbergerum, in vrbe hac artem typographicam primum inueniſſe, poſtea Moguntiam petiiſſe, ibique auxilio Ioh Fauſti rem perfeciſſe.* Tum, interiectis quibusdam, *At vero Moguntini*, ait, *ab omni inuentionis huius honore non prorſus excludendi ſunt, partim quod Gutenbergii inſtitutum in illorum vrbe ad ſuam maturitatem peruenit, partim quod non Argentorati, ſed Moguntiae, primum librorum imprimendorum factum eſt initium.* Idem repetit paullo poſt ſequenti modo: *hanc primorum publice exercitae typographicae artis initiorum gloriam nemo ſane Moguntiae eripere vnquam poterit.*

VII.) MICH. MAITTAIRIVS *Annalium typographicorum*, de quo alibi Opere copioſius dicere animus eſt, *Tomo I. p. 7. ſq.* Moguntiae inuentionem artis nobiliſſimae vindicat, quaeque

in promtu fuere de Guttenbergio, Fauſto et Opilione, primorum typographorum triga, non ſine induſtria exponit.

VIII.) CASIMIR. OVDINVS in Diſſert. *de primis artis typographicae inuentoribus*, inſerta *Tomo III. Commentar. de Scriptor. et ſcriptis eccleſiaſt. fol. 2741.* auſpiciisque WOLFII recuſa *Parte II. Monument. typogr. p. 872. ſq.*

IX.) PELLEGR. ANTON. ORLANDI, cuius *Origine e Progreſſi della Stampa, e Notizie dell' Opere ſtampate dall' anno 1457. ſino all' anno 1500. Bononiae a. 1722. in 4.* prodierunt. Recenſetur liber in *Actis Erud. Lat. anni 1724. p. 102. ſq.*

X.) SAM. PALMERVS, eruditis typographis merito adſcribendus, quem ſcimus elaboraſſe *General Hiſtory of Printing*, (i. e. Hiſtoriam typographiae generalem, ab inuentione eius prima ad annum vsque 1520.) Luci expoſitum hoc Opus eſt *Londini a. 1733 in 4.* Volumen I. Partem ſaltim continet hiſtoricam, cui practica mox ſucceſſit, ab Auctore relicta, praecipueque ipſis typographis conducens. Cf. quae ex *Preſent State of the Republick of Letters* repetuntur in *den Beyträgen zu den Leipz. gel. Zeit. Vol. I. p. 375. ſq.* Pleraque quidem deſumſit ex aliis, qui antea huius pertractationem argumenti ſuſceperant, ſed nouas etiam intermiſcuit paſſim obſeruationes, partim in praeſtantiſſimis Londinenſium, Oxonienſium et Cantabrigienſium Bibliothecis collectas, partim a Comitibus de Pembroke atque de Oxford humaniſſime ipſi ſuppeditatas. Iohannem Fauſtum, ciuem Moguntinum, pri-

primum in eadem vrbe typographiae nominat inuentorem, huiusque generum, Petr. Schoefferum, nouis putat illam artificiis perfeciſſe. Ioh. vero Guttenbergium, qui Argentoratum deinceps conceſſit, eo tantum nomine referri at artis typographicae auctores poſſe adſerit, quod Fauſto nummis repraeſentatis fuerit adiumento. Vid. *Supplem. ad Noua Acta Erudit. Tomo IV. p, 385. ſq.* Criticas quasdam Obſeruationes in hunc Palmeri librum cum eruditis communicauit KAPPIVS in Praefatione praefixa *Tomo I. der ſo nöthig, als nützlichen Buchdruckerkunſt vnd Schriftgieſſerey, Lipſiae anno 1739. in 8.* cura CHRIST. FRID. GESNERI edito.

XI.) PROSP. MARCHAND in *Hiſtoire de l'origine et des premiers progrés de l' Imprimerie, Hagae Comit. a. 1740. mai.* Elegans omnino labor eſt, Partibus tribus diſtinctus, de quo copioſius differunt Collectores *Actor. Erud. Lat. anni 1739. p. 577. ſq.* Cf. etiam *Nouvelle Bibliotheque m. Ian. a. 1740. artic. 6.* Quae tamen adiunctae ſunt, emendationes quam plurimae non poſſunt non moleſtiſſimae eſſe legentibus. Alios quosdam libri naeuos haud reticuit BÜNEMANNVS in *Notitia Script. art. typogr. illuſtr. p. 40.* Auctior editio, ex ipſius Marchandi Schedis parata, publice nuper promiſſa fuit, cui quidem partui maturiori Lucinam ego propitiam precor.

XII.) CHRIST. GOTTLIB. SCHWARZIVS in *primariis quibusdam documentis de origine typographiae*, Partibus, ſeu Diſſertationibus tribus *Altorfii a. 1740. in 4.* euulgatis. Probat vir

 eximii

eximii quondam ingenii argumentis grauibus fideque digniſſimis, nullam aliam vrbem de poſſeſſione huius laudis deturbare poſſe Moguntiam.

XIII.) Tandem honorifica iniicienda hoc eſt loco mentio IOH. DAV. KOELERI, Hiſtorici quondam Gottingenſis. Produxit is e muſeo ſuo, *Lipſiae*que *anno 1741. in 4.* edidit *die hochververdiente vnd aus bewährten Vrkunden wohlbeglaubte Ehrenrettung Ioh. Guttenbergs - - - wegen der erſten Erfindung der nie genug geprieſenen Buchdruckerkunſt in der Stadt Mayntz*, caet. Clariſſima is documenta Commentationi eruditae ſubiunxit, ex quibus patet omnino, Guttenbergium, Moguntinum ortu, patria in vrbe typographicam artem inueniſſe, et in domo quidem *zum Jungen* dicta, cui deinde *Impreſſoriae* impoſitum nomen fuerit. Nolo plures coaceruare Scriptores, quos indicat *Catalogus Bibl. Bunav. Tomi I. Vol. 1. p 662. ſq.* WOLFIVS que integros exhibet in *Monumentis typographicis.*

§. VI.

His autem contradixere alii, atque typographiae inuentionem ARGENTORATO, et ciui ſpeciatim Ioh. Mentelio, paucis Guttenbergium ſubſtituentibus, vindicauere. Bina potiſſimum in partes monumenta vocantur, quae vrbis tabularium ſeruat. Alterum eſt *Chronicon Anonymi*, temporibus DAN. SPECKLINI, Architectonicae rei apud Argentinenſes praefecti, Germanice exaratum, (vixit autem is ſaeculo XVI. annoque 1589. deceſſit,) quo ex Volumine ſequentia ſolent adduci: ***Anno 1440. als zum drittenmahl von der Küffer Zunft***

zum

zum Ammeiſter erwehlt worden Herr Claus Schanlitt, vnd Stättmeiſter geweſen ſeind Walther Spiegel, Burckh. von Müllenheim, Cuno zum Treubel, Hans Balthaſar von Endingen, iſt die herrliche vnd ſehr nützliche Kunſt der Buchtruckerey erſtlichen offenbar, vnd zwar allhie zu Strasburg an Tag gebracht vnd erfunden worden durch Ioann Mentelin, welcher am Fronhoff zum Thiergarten wohnete, der hatte einen Diener, mit Nahmen Hans Gensfleiſch, von Meyntz bürtig, dieſem vertrauete er ſeine neue Inuention, weil er ihn ſehr anſchlägig vnd ſcharffſinnig befand, verhoffent durch ihn noch weiters zu kommen. Er wurde aber von ihme ſchandlich betrogen, denn dieſer ietztgemeldte Gensfleiſch mit Iohann Guttenberg Kundſchafft machte, ſo ein anſehnlicher vnd reicher Mann war, vnd auch etwas Wiſſenſchafft vmb des Mentelins Kunſt hatte; dem offenbahrte er alle Heimlichkeit, vnd weil ſie in Hoffnung ſtunden, mit dieſer Kunſt gros Gelt vnd Gut zu erwerben, vnd aber allhie zu Strasburg vor dem Mentelin die Sach nicht wol würden können ins Werck richten, ſchlugen ſie an, ſich von dannen gen Meyntz zu begeben, alsdann auch geſchehen. Et paullo infra: *Aber Gott, der keine Vntreu vngeſtrafft läſt hingehen, ſtrieff endlich den Gensfleiſch alſo, daſſ er ſeines Geſichts beraubet vnd blind wurde.* Alterum documentum ex laudati ſupra SPECKLINI *Chronico* itidem manuſcripto deſumtum, vbi haec ad annum 1440. leguntur: *Damahlen ward die herrliche Kunſt die Buchdruckerey zu Strasburg erfunden, durch Iohann Mentele an Fronhoff zum Thiergarten, ſein Schwager Peter Schoeffer vnd Martin Flach verlegten ſolches, aber ſein Diener Iohann Gensfleiſch, als er*

 ihm

ihm die Kunſt hatte genugſam abgeſtohlen, flohe er in ſeine Heimath gen Meyntz, da er ſolches durch den Guttenberger, welcher reich war, alles beſſer in Ordnung bracht, über dieſen bekümmert ſich der Mentele ſo hart, das er ſtarbe vor Leyd, ward zu Ehren der Kunſt ins Münſter begraben, vnd eine Drucker-Preſſ auf ſeinen Grabſtein gehauen; hernach ſtrieffe Gott ſeinen Diener den Gensfleiſch auch, daſſ er bis an ſein End iſt blind worden; ich habe die erſte Preſſ auch die Buchſtaben geſehen, waren von Holtz geſchnitten, auch gantze Wörter vnd Syllaben, hatten Löchle, vnd faſſt man ſie an ein Schnur nach einander mit einer Nadel, zoge ſie dar nach den Zeilen in die Länge; es iſt Schad, daſſ man ſolches Werck, welches das allererſte in der Welt geweſen iſt, hat laſſen verlohren werden. Ita quidem TENZELIVS apud WOLFIVM *P. II. p. 976.* locum hunc exhibet. Poſtrema tamen, poſt verba: *auch gantze Wörter vnd Syllaben* ex tabulario Argentinenſi ſequenti modo SCHOEPFLINVS in *Vindiciis typograph. p. 37.* profert in medium: *hatten nebentzu löchlin, daſſ mans mit einem Drat oder ſtarcken Faden kondte zuſammen faſſen. So war die Preſſ auch hultzin vnd wie ein Trott, damit man allerhand Safft austrottet, formirt.*

Iisdem deinde veſtigiis inſiſtere non dubitarunt.

A.) IAC. WIMPHELINGIVS in *Epitome rer. German. cap. LXV.* apud SIM. SCHARDIVM *Scriptor. rer. Germ. Tomo I. p. 197. edit. ſec.* vbi haec memorat: *Anno 1440. Friderico III. Imp. Rom. regnante magnum quoddam ac pene diuinum beneficium collatum eſt vniuerſo terrarum orbi a Ioh.*

Ioh. Gutenberg, Argent. nouo ſcribendi genere reperto. Is enim primus artem impreſſoriam, quam latiniores excuſoriam vocant, in vrbe Argentinenſi inuenit. Inde Moguntiam veniens eandem feliciter compleuit. Interea Iohannes Mentel id opificii genus inceptans multa volumina caſtigate ac polite imprimendo factus eſt breui opulentiſſimus.

B.) IOH. ADAM. SCHRAGIVS *im Bericht von Erfindung der Buchdruckerey in Strasburg, Argent. a. 1640. in 4.* itemque Latine apud WOLFIVM *P. II. p. 1. ſq. Capite VI.* potiſſimum nec non *Cap. VIII.* cauſſam Argentoratenſium agere conatus eſt Auctor, adfirmans Ioh. Mentelinum, ſiue Mentelium, verum eſſe laudatae artis inuentorem, Guttenbergium autem ex eius inſtitutione eandem Argentorati didiciſſe, quam deinde Moguntiae ſimul exercuerit cum Ioh. Genſefleiſchio, famulo Mentelii.

C.) IOH. HENR. BOECLERVS Oratione *de typographiae, Argentorati inuentae diuinitate et fatis, Argent. a.* 1640. habita, mox inſerta IOH. SCHMIDII tribus Germanicis Homiliis eiusdem argumenti, *ibid. a.* editis, *p.* 65. *ſq.* recuſaque in *Orationibus Boeclerianis ibid. a.* 1654. in 8. *p.* 323. ac denuo *anno* 1712. *in* 4. *p.* 217. *ſq.* Vtrumque hoc ſcriptum locum et inuenit tam in WOLFII Collectione *P. II.* (ac Schmidii quidem Homilias, Latino ſermone expreſſas, *p.* 58. Boeclerianam vero Orationem *p.* 166. *ſq.* conſpicies,) quam in GVIL. IEREM. IAC. CLESSENII *dritten Iubelfeſt der Buchdruckerkunſt, Gothae, a.* 1740. *in* 8.

D.) IACOB. MENTELIVS, Medicus Pariſienſis, in *breui Excurſu de loco, tempore, et authore inuen-*

tionis typographiae, *ad Gabr. Naudaeum*, *Pariſ. a.* 1644. *in* 4. excudente Ant. Vitre. Quum nomen Scriptoris non ſit adiectum, nonnulli hoc Schediasma typographo, ſed perperam, tribuerunt. Exſtat nunc, rariſſimum antea, apud WOLFIVM *P. II. p.* 189. *ſq.* cum emendationibus et additionibus Mentelii, cuilibet paginae ſubiectis, deſcriptisque ex Codice Bibliothecae Regiae Pariſienſis. Menteliorum familiam poſteritati maxime commendat Auctor, quod egit etiam in *Paraeneſi ad Bern. a Mallinkrot*, *protypographia*, *Argentoratenſibus vindicata*, *ſuoque Authori reſtituta atque aſſerta.* Prodiit libellus *ibid. eademque forma in 4.* pariterque, ſummam ob raritatem, inſertus WOLFIANO eſt Operi, *l. c. p.* 241. *ſq.* Acceſſere alteri huic editioni *p.* 367. variae MENTELII *Obſeruationes de praecipuis typographis et typographiae origine*, quae deſumtae ſunt ex memorato Bibliothecae Regiae Pariſienſis Codice.

E.) ZACHAR. A BEICHLINGEN, Canonicus Martisburgenſis, in *Fonte Bibliothecarum inaeſtimabili, das iſt*, *wahrem Unterricht von Vrſprung*, *Fortgang*, *Lobe*, *Nothwendigkeit*, *Nutzen*, *Freyheit*, *Rechten und Gerechtigkeit der Buchdruckereyen*, *oder derſelben Officianten vnd Verwandten.* caet. Lucem adſpexit Opuſculum *Islebiae a.* 1669. *in 4.* Sed nullius eſſe momenti dicitur. Quamuis enim titulus ſplendidus obſeruationes de arte typographica egregias polliceatur, nihil tamen aliud in ipſa pertractatione occurrit, niſi quod iam antea Beſoldus, Garzonus et Bornitius protulerant, teſte WOLFIO *P. I. p.* 7. Rem Argentorati primum eſſe tentatam exiſtimat Auctor, ſed inuentionis glori-

gloriam Guttenbergio, non, vt caeteri plerique, Mentelio, vindicare ſtudet.

F.) PAVL. PATER, Athenaei quondam Gedanenſis Profeſſor, in Diſſert. *de Germaniae miraculo optimo, maximo, typis litterarum, earumque differentiis, Lipſiae anno* 1710. *in 4.* edita, poſt recuſa in WOLFII Collectione *P. II. p.* 705. *ſq.* Sententia eius eſt *Cap. I. ſ. 12.* his verbis expreſſa: *Productae auctoritates certe et teſtimonia veterum quin et ipſa veritas affirmat; in nobili Argentorato, Mathematici Regiomontani conſilio, memoranda haec auſa generoſaque conata Iohannem Gutenbergium ſuſcepiſſe, inſumtaque magna pecuniae vi (erat enim perdiues) tentaſſe primum ibidem rem variis experimentis, ab anno nimirum* 1440: *poſtea vero circa annum* 1450. *in vicinam Moguntinenſem ciuitatem commigraſſe, atque ope Iohannis Fauſti, qui et Fuſtus, itemque Gensfleiſch dicitur, feliciter tandem perfeciſſe.*

G.) IOH. DANIEL SCHOEPFLINVS, Vir ſaepe abs me laudatus, at quouis elogio maior. Splendide is *Argentor. a.* 1760. *in 4.* exhibuit *Vindicias typographicas*, documentis nunc primum diuulgatis, variisque typorum ſpeciminibus, quae in aes incidenda curauit, mirifice exornatas. Vberius hic doctiusque perſequutus eſt rem, iam anno 1740. cum ſingulari Programmate, quod et exſtat in *Commentationibus* eius *hiſtoricis et criticis p.* 557. *ſq.* tum perdocta Diſſertatione *ſur l'origine de l'Imprimerie* propoſitam, in *Memoires de l'Acad. des Inſcriptions et belles Lettres, Tomo XVII. p.* 762. *ſq.* Tres autem *p. 6. et ſequ. Vindiciarum* easdemque diuerſas inter ſe diſtinguendas eſſe opinatur artes, veluti per gradus pedetentim exortas. *Primum*, ait, *Xylographiae*, *ad typographi-*

graphiam ducentis, gradum chartulae illae conſtituerunt luſoriae, quarum vſus ſaeculo XIV. fuit frequens apud Germanos et Gallos; iamque in Caroli V. Galliae Regis aula inualuerunt. Saeculo ſequenti ars iſta Noribergae, Auguſtae Vindelicorum, Vlmae, Harlemi, Argentorati quam maxime floruit. Apud Noribergenſes illuſtris ille Mathematum cultor, Iohannes Mullerus, Regiomonti Franconiae natus, qui a. 1476. *deceſſit,* (Sed perpendi hic loci merentur, quae SCHWARZIO in mentem venere *Diſſert. III. de origine typographiae, p. 66.) apud Argentinenſes circa a.* 1464. *Guillielmus Baur et Frideric. Schott, Martini Schotti, typographi, pater; apud Colmarienſes praeſtantiſſimus ille ſculptor et pictor, Martinus Schoen, Alberti Dureri magiſter; apud Harlemenſes Laur. Coſterus in Xylographica hac arte floruerunt. Hic cum varias delineationes ligneis tabellis inſculperent; cum iconibus, ex hiſtoria praeſertim ſacra deſumtis, ſententias immiſcerent et nomina, cum denique folia, tabulis impreſſa, in libri formam redigerent, typographicae arti praeludere viſi ſunt. Ab immobilibus enim litteris ligneis ad mobiles ligneas perfacilis tranſitus eſt. Ex Xylographicis his ſcholis pedetentim prodierunt:* Vaticinia Veteris Teſtamenti de Chriſto; Argumenta ex Cantico Canticorum; Tentationes Daemonis; Ars memorandi per figuras Euangeliſtarum; Ars moriendi; Quatuor Euangelia hieroglyphice; Apocalypſis figurae et ſententiae; Hiſtoria B. Mariae Virg. in figuris; de Anti-Chriſto, *aliique huius generis libelli, quorum plerique idiomatis Latini ſunt; quidam Teutonici; omnes non opiſtographi, ſed foliatim ab vna tantum parte impreſſi. Vt autem opiſtographi viderentur, duo folia conglutinarunt*

narunt in vnum. Codicum horum characteres immobiles ac fixi ſunt; ſed formae impolitae et rudis. Magnitudo eſt folii minoris. Exempla huius generis Codicum, anni, loci et artificis deſtituta indicio, in litterariis itineribus Vindobonae Gottwici, Noribergae, Francofurti, quin et Lutetiae ac Londini frequenter inſpexi. Haec de prima Vir illuſtris arte diſſeruit. Tum, paucis interiectis, ſic pergit idem: *Secunda litteras fixas commutauit in mobiles; vnde verſatilis illa typographia exſurgit, cui proprie nomen* Typographiae *debetur. Hanc Gutenbergius Argentinae inuenit. Tertia denique litteras ſculptas conuertit in fuſas; quam Petrus Schoefferus Moguntiae reperit. Prima praeluſit ſecundae, quae veram typographiam conſtituit. Tertia ſecundam promouit. Primae claſſis artem, quae typica vel tabellaris typographia eſt, ad mentem Batauorum* Coſterianam *vocabimus. Secundae claſſis artem, quae vera et propria typographia eſt,* Gutenbergianam *appellamus. Tertia itidem vere et proprie* Schoefferiana *dicenda eſt.* Quibus expoſitis *Cap. II. p.* 12. miratur non parum celeberrimus Schoepflinus, Guttenbergio, cui publica Europae fama hanc adſerit artem, Mentelium opponi, quem primarium quidem typographiae Argentinenſis artificem, ſed non primum conſtanter reputauerit. Maximum huic opinioni robur acceſſit, poſtquam documenta, ex Argentinenſibus Tabulariis atque Bibliothecis eruta, adcuratius ipſi licuit perluſtrare.

§. VII.

Ex dictis antea facili negotio cognoſci poterit, quid illorum de ſententia ſit ſtatuendum, qui Nicol.

col. Ienſonium artis typographicae fecerunt auctorem. Teſtatur id quidem OMNIBONVS Leonicenus in *Praefat. Quintiliano* praefixa, quem Ienſonius *Venet. a.* 1471. *in f.* excudit; ſed iam pridem ipſum arguit mendacii antiquus Auctor *Chronici Colonienſis*, quod *Coloniae a.* 1499. *in f.* ſic prodiit inſcriptum: *Cronica van der hilliger Stat van Coellen.* Ibi ad a. 1450. *fol.* 312. haec leguntur: *Eynre, genannt Omnebonum, der ſchryfft in eynre Vurrede vp dat boich Quintilianus genoempt, vndt ouch in anderen meir boicher, dat eyn Wale vyſſ Vranckrüch, genant Nicolaus Genſon haue alre eyrſt deſe meyſterliche Kunſt vonden, mer dat is offenbairlich gelogen. Want Sij ſyn noch im leuen, die dat getzuigen, dat men boicher druckte tzo Venedige, ee der Vurſt Nicolaus Genſon dar quame, dair he began ſchrifft zo ſnüden vnd bereyden.* Quae verba, Latine reddita, repetere iuuabit: *Scriptor quidam, Omnibonus dictus, memorat in Praefatione, Quintiliano praemiſſa, itemque in aliis libris, Gallum quendam, Nicolaum Genſon, omnium primum inſigne hoc artificium reperiſſe; ſed is manifeſto fallit mendacio. Adhuc enim ſuperſunt, qui poſſunt teſtari, iam Venetiis libros fuiſſe excuſos, antequam eo delatus eſſet Nicol. Genſon, ibidemque typos effingere et praeparare prelum coepiſſet.* Idem nouiſſime tradidit, auctoremque typographiae Nicol. Ienſonium, dixit, hunc vero gente Danum, ideoque Danis inuentionis laudem tribuendam eſſe, arbitratus eſt CHRIST. FRIDER. WADSKIAERS in *den Gedanken von dem erſten Erfinder der Buchdruckerkunſt*, cuius Opuſculi, Danice exarati inque Nouis litterariis Hafnienſibus primum producti, Germanica interpretatio inſerta CHR. FRID. GESNERI *Buchdruckerkunſt und Schrifftgieſſerey Parte III. p.* 93. *ſq.*

Nonnulla tamen, quod ad Omniboni relationem attinet, hic monet CHRIST. GOTTLIEB SCHWAR-

SCHWARZIVS in *primar. quibusdam documentis de origine typograph. Diſſert. II. p.* 50, quem audire operae pretium fuerit. *In Quintiliani*, ait, *praefatione Omnibonus, inter alia, haec ſcripſit:* Accedebant iuſtae preces magiſtri Nicolai Ienſon, Gallici, alterius (vt vere dicam) Daedali: qui librariae artis mirabilis inuentor: non vt ſcribantur calamo libri: ſed veluti gemma imprimantur, ac prope ſigillo, primus omnium ingenioſe demonſtrauit. *Sed reſpondemus, in his non ipſum Nicol. Ienſonem auſum eſſe, ſe profiteri primum inuentorem typographiae, ſed Omnibonum in eius laude nimium fuiſſe videri. Deinde animaduertimus, Ienſonem ab Omnibono non ſimpliciter laudari tamquam inuentorem typographiae, ſed tamquam inuentorem artis mirabilis, maximeque expolitae, vt libri veluti gemma imprimantur ac prope ſigillo. Ac ſane nullum librum ante id tempus nitidius elegantiusque impreſſum vidimus. Atque in hanc ſententiam etiam Polydorus Vergilius de inuentor. rer. lib. II. cap.* 7. *iſta Omniboni verba intellexiſſe, et interpretatus eſſe, videtur.* ANTON. DEL CORNO in *Memorie iſtoriche di Feltri, Venet. a.* 1710. *in* 4. *p.* 124. Pamphilio Caſtaldo artificium typographiae adſcripſit. En! verba illius: *Dalla nobile caſa Caſtaldia, che trahe la ſua origine da Caſtalio Goto, che fu Capitanio in Feltre l'anno 539. per Teodato, Re d'Italia, ne vſcirono fra gl'altri Panfilio, Poeta eruditiſſimo, qual trovò l'arte di ſtampare i libri l'an. 1440, e poſcia la communicò a Fauſto Comesburgo, ſuo grand' amico, che la miſe in vſo in Germania nella città di Magonza l'anno 1450.* Debeo locum hunc WOLFIO, cuius vid *P. II. Monum. typogr. p. 1164.* Has autem nugas damnauit ſolide SCHWARZIVS *l. c. Diſſ. III. p.* 4, miramque hanc eſſe narrationem, aut potius iactantiam, profeſſus eſt merito. *Quis enim*, inquit, *vnquam in hiſtoria litteraria, aut in alio documento, memi-*

meminit Pamphilii Caſtaldi, tamquam auctoris artis typographicae? Quis vnquam deprehendit libros ab eo excuſos, aut ſaltim indicia officinae typographicae ab eodem inſtructae? Quomodo ille in tantam amicitiam et familiaritatem aut Fauſti, aut Gutembergii, aut vtriusque, peruenit, vt banc artem prius cum his, quam cum popularibus ſuis, communicarit? An Pamphilius vnquam in Germaniam venit, et, ſi venit, vtrum docuit Gutenbergium et Fauſtum banc artem, an bis ſaltem miniſtri ſeruique munia praeſtitit? (Conf. idem infra *p. 30. Obſeru. VII.* dictae Diſſertationis) *Gutembergium enim et Fauſtum in Italia aliquamdiu vixiſſe, nusquam audiuimus. Et cur Anton. de Corno, qui haec narrat, nomen Gutembergii corruptum in Comesburgo conuertit, et Fauſto, tamquam cognomen, adſcripſit? Vides, quot ἄτοπα, quot ἄπιστα, quot ἀκατάλληλα, in hac vna narratione occurrant; quae, vt refutentur, non opus eſt.* Nec deſunt, qui typographiae inuentae excultaeque originem ad praeſtantiſſimum aeui ſui Mathematicum, Iohannem Mullerum, ſiue MOLITOREM, retulere, a patria Regiomonte, Franconiae oppido, plerumque Iohannis Regiomontani, vel de Regio Monte nomine inſignitum. Studioſe recenſet hos, deque ipſo Iohanne copioſe diſſerit laudatus SCHWARZIVS *l. c. Adpendice de Ioh. Regiomontani meritis in rem typographicam, p. 46. ſq.* Intelligimus exinde, ſi de inuentione artis ſermo ſit, Chronologiam aduerſari, quum eo demum anno natus eſſet vir doctiſſimus, quo Guttenbergius iam cum ſociis in primitiis parandis occupatus fuit, nullaque euidentia indicia ex vita Regiomontani occurrere, neque aliunde conſtare, eundem vel Moguntiam, vel Argentoratum, ad conſilia cum typographis primis conferenda petiiſſe; licet negare non audeat Schwarzius, id etiam fieri per litteras potuiſſe. Interim id

id etiam fieri per litteras potuiſſe. Interim id certum omnino, Regiomontanum, qui Norimbergae et veteres edere Scriptores, et ſuas publicare lucubrationes conſtituerat, eo conſilio ipſum inſtruxiſſe officinam typographicam, ſumtus Bernhardo Walthero ſuggerente, ciue Norimbergenſi honeſtiſſimo, qui non facultates ſolum, ad rem perficiendam, habebat ampliſſimas, verum etiam ingenti ardore colebat Matheſeos, ſigillatimque ſcientiae ſideralis, ſtudia. Qua quidem occaſione mirificum animo concepit Regiomontanus inſtitutum, quod ad artem typographicam, *monumentis ſtabilibus mandandam*, (vt ipſe ſub finem Indicis loquitur, quo ſcripta cum aliena, tum ſua, ſe declarat exhibiturum eſſe,) adeoque vel ad modum eius artis exercendae faciliorem, vel ad eandem adhuc magis perficiendam ornandamque conduceret; at quale hoc fuerit arcanum, nemo facile dixerit, quum exitu caruerit inſtitutum, auctore non ita multo poſt, anno nimirum ſaeculi decimi quinti quadrageſimo ſextoque, in optimo aetatis robore viuentibus erepto. Quibus luculenter expoſitis, haec tandem *p.* 68. ſubiungit Profeſſor Altorfinus: *Id vnicum adhuc monemus, Regiomontanum, ſi non caetera inſtituta typographiae excolendae, morte inopinata praepeditus, ad finem perducere potuit, ſaltem primum elegantiſſimos characteres, ſiue typos, itemque genus characterum Germanicorum formandorum, antehac in nulla alia typographia vſitatum, in Germaniam intuliſſe.* De Mariani Victorii Reatini, Epiſcopi olim Amerini, ſententia, ex perperam vel inſpecto, vel intellecto Deſiderii Eraſmi loco nata, Theodoricum nempe Greſemundum typographiam reperiſſe, legatur MALLINKROTIVS *de ortu et progr. art. typogr. cap. XI. p. 700. apud* WOLFIVM, *Parte I.* Alii Alſatiae in praedio, nomine Ruſſenburg, inceptam

primitus hanc artem fuiſſe ſcribunt, quod a ſono imprimendorum librorum dixerunt. Moguntiam deinde primitus impreſſos libros detulerunt; vnde fama, illic repertam fuiſſe hanc artem, diuulgata eſt, prout memorat FRANC. IRENICVS *Germ. exegeſeos lib. II. cap.* 47. Verum et haec, vt caetera, fundamento deſtituuntur; ideoque diutius eiusmodi immorari fabulis merito eſt dubitandum.

§. VIII.

In tanto de artis diuinae inuentore, locoque, vbi res primum tentata eſt, eruditorum diſſenſu, quaenam ſententia proxime accedat ad veritatem, et quo tempore originem habuerit inſtitutum, nunc paullo diligentius exquiri debet. Quid Sinenſes, quid Coſterus, praeſtiterint, quantumque diſcriminis intercedat inter horum artem, atque typographiam, ex ſupra dictis euidenter adparere arbitror. Iam igitur haec ſola eſt ante oculos habenda, cuius verum auctorem primumque Iohannem Guttenbergium fuiſſe, nulla omnino poteſt ratione negari; neque contradicunt ea in re praeſtantiſſimi de originibus typographicis Scriptores. At quo loco excogitata ſit ars noua, id ſane difficiliorem reddit diſceptationem. Equidem eo tempore, quo KOELERI de Guttenbergio libellus prodierat, plerique perſuaſerant ſibi, Moguntiae merito et optimo iure vindicari tantae inuentionis gloriam. Oſtendit enim, Guttenbergium ibidem in aedibus zum Iungen, quae propterea *domus impreſſoria* vocatae ſunt, annua decem florenorum aureorum mercede, tres in annos, ab adfine ſuo, Ort zum Iungen, conductis, artem typographicam primum inueniſſe, et caſu quidem ſingulari, de quo IOH. ARNOLDVS BERGELLANVS in *Poemate encomiaſti-*

miaſtico de Chalcographiae inuentione, anno 1541. exarato, *v. 57. ſq.* Ipſa verba haec ſunt:

Annulus in digitis erat illi occaſio prima,
Palladium vt caelo ſollicitaret opus.
Illum tentabat molli committere cerae,
Redderet vt nomen littera ſculpta ſuum
Reſpicit arcebtypos, auri veſtigia luſtrans,
Et ſecum tacitus talia verba refert:
Quam belle pandit certas haec orbita voces,
Monſtrat et exactis apta reperta libris.
Quid, ſi nunc iuſtos. aeris ratione reducta,
Tentarem libros cudere mille modis?
Robora proſpexit debinc torcularia Bacchi,
Et dixit, preli forma ſit iſta noui.

Vid. KOELERVS *p.* 51. et WOLFIVS in *Monum. typogr. P. I. p.* 17. Factum autem inſtituti eſſe initium ab anno 1440. vsque ad annum 1450. idem KOELERVS opinatur *pagina* 4, Coſterumque magis imitatum inuentionem Guttenbergianam, quam Guttenbergium arcanum artificis Harlemenſis clanculum praeripuiſſe videri, vt complures falſo crediderunt. Sic enim iam SCRIVERIVS apud WOLFIVM *l. c. p.* 348. ſuſpicatus eſt, Ioh. Guttenbergium illum eſſe, qui, inſtrumentis typographicis aſtu conuaſatis, a domino ſuo, Laur. Coſtero, profugerit, et artem in Germania aliis obtulerit atque vendiderit. Quem nouiſſime ſequutus eſt SEITZIVS, anilem fabulam repetens, quum ſcribit, Guttenbergium, fama rei permotum, anno 1439. Harlemum veniſſe, Coſterique egiſſe famulum; tum anno 1440. vtenſilia furto abſtuliſſe domino, Moguntiamque cum iis conceſſiſſe. Ipſum autem hoc furtum Fauſto tribuerunt IVNIVS atque SCHREVELIVS; qua de re vid. ſupra *ſ. IV.* Atque haec nominum mutatio facile ſuſpicioni locum aperit, totam illam de famulo Coſteri fu-

gitiuo hiſtoriam commentitiam eſſe futilemque. Cf. SCHOEPFLINVS *l. c. p.* 59. p. 80. et *p.* 92. Audiuimus nunc, quid valeat ſententia Koeleri, cuius tamen argumenta, pro Moguntinis adlata, non parum, ni plane fallor, infregit illuſtris SCHOEPFLINVS in *Vindiciis typographicis.* Argentoratum, quam ad hunc vsque diem tantopere ornauit vrbem, locum artis natalem, parentemque eius Gutembergium conſtituere Virum celeberrimum, memini *ſpho VI.* breuiter me indicare. Digna eſt vtique relatio ipſius, quae redacta in compendium hic ante oculos Lectorum meorum ponatur. Docet vero *Capite II. p.* 15. *ſq.* monumentorum idoneorum fide ſuffultus, Guttenbergium, natum non Argentorati, quod non pauci ſcripſere, ſed Moguntiae, patrem habuiſſe Frielium Gensfleiſch, qui anno 1430. deceſſerit. Mortuo hoc ſtatim reliquiſſe patriam, et ad Argentoratenſes migraſſe filium, meliorem ſibi, vt videtur, apud exteros fortunam paraturum; modico quippe patrimonio erat inſtructus. Tum in ciuium nobilium claſſem receptus anno 1437. coram Iudice eccleſiaſtico lite implicitus fuit cum virgine nobili Argentinenſi, promiſſi forſitan matrimonii cauſſa. Et hoc ipſo tempore, quo res iſta tractabatur, occulte iam artis typographicae primitias molitus eſt Guttenbergius, aerisque propter inopiam perficiendo inſtituto non ſufficiens ſolus, ſocios conciliauit ſibi, qui pecunia eum operaque iuuarent. Inter hos exſtitit etiam Andreas Drizehenius, ciuis, cuius in domo typographia fuerat collocata. Eo non multo poſt viuis erepto, Guttenbergius Beildeckium, famulum ſuum, ad Nicolaum, Drizehenii fratrem, miſit, cum mandato, vt hic paginas quatuor, in prelo iacentes, eximeret eidem, atque in partes diſtraheret, ne quis perſpicere poſſet artis arcana. Teſtati ſunt

ligna-

lignarius quidam, et ipſius vxor, coram Senatu, quod Andr. Drizehenius per totos ſaepe dies noctesque operi typographico vacauerit, eidemque multum impenderit pecuniae, et propterea ex bonis ſuis nonnulla oppignerauerit, vt rem perficere inceptam poſſet. Prelum typographicum Conradus Saſpach, tornator, fabricatus eſt, qui prope ſummum Templum, in mercatorum platea, habitauit. Hunc, mortuo ſocio, Andrea Drizehenio, adiit Andr. Heilmannus, alius ſociorum, eumque, vel auctore Guttenbergio, vel ſuopte inſtinctu, rogauit, vt domum, vbi prelum erat, peteret, atque ex ea tolleret columellas; quin et ſolutiles harum litteras diſſolueret, ne artis cognoſcerentur arcana. Nec reperit tamen tornator, qui hoc ſtudebat exſequi, columellas, quoniam Nicol. Drizehenius, vrgente Guttenbergio, eas iam a prelo remouerat. Atque haec facta ſunt anno 1438. ad finem vergente. Beildeckius etiam, Guttenbergii famulus, vocatus ad teſtimonium, profeſſus eſt diſerte, ſe, domini ſui iuſſu, Nicolao Drizehenio iniunxiſſe, ne cui prelum oſtenderet, ſed cochleolas potius, (*die Schrauben*) quae conſtringunt columellas, ſine mora aperiret, vt in partes dilaberentur typi, adeoque res occulta maneret. Taceo plura huc pertinentia, quae Schoepflinus, argumenti ſui probandi cauſſa, congeſſit. Ex his autem omnibus ſtatuit ſequentia: 1) Guttenbergium non ipſum ſuis manibus Argentorati tractaſſe typographiam, ſed operis inuentorem ſaltim directoremque fuiſſe; 2) Andr. Drizehenium praecipuum exſtitiſſe Guttenbergii adiutorem, et inuentionis patronum; 3) artis primitias progerminaſſe praeſertim in aedibus huius ſocii: qua in parte vrbis autem is habitauerit, ignorari: traditionem eſſe, in domo cuius inſignia erant Luſtrum, (*zum Thiergarten*) typo-

 gra-

graphiam fuiſſe inuentam; 4) primum prelum Conr. Saſpachium confeciſſe; 5) non leuem eſſe coniecturam quod Guttenbergius litteras ſuas non ſculpſerit ex ligno tantum, ſed etiam ex plumbo. Huius enim inter impenſas, ad artem exercendam, fieri quoque mentionem, vnde litteras metallicas ſculptas Argentorati iam fuiſſe adhibitas credi poſſit, quas Petr. deinceps Schoefferus Moguntiae conuerterit in fuſas; 6) ex teſtimonio Beildeckii, cui Guttenbergius mandatum dederat, quatuor vt partes tollerentur e prelo, colligendum eſſe videri, quod liber, prelo tunc temporis ſubiectus, formae fuerit quadruplicis; 7) primitias typographicas incidere in annum 1436. Dunnium enim, aurifabrum, a. 1439. faſſum apud iudices eſſe, ſe iam ante triennium res, ad chartas excudendas omnino ſpectantes, Guttenbergio ſuppeditaſſe. Illo ergo tempore, quo Andr. Drizehenius deceſſerit, hoc eſt, ſub anni 1438. finem typographicam ſculptarum litterarum atque mobilium officinam Argentinae iam impreſſiſſe, at occulte tantum, haud adiecto, vbi id factum ſit, loco annoque. Adſerit poſthaec laudatus Auctor, anno 1444, Guttenbergium adhuc perſoluiſſe vectigal vini, ſequentibus autem in Rationali Gabellarum nomen eius diſparere, ideoque veri eſſe ſimile, hominem Argentorato, qua in vrbe tria ſit per luſtra commoratus, anno 1445. abiiſſe. Nonnulla quidem his modeſte oppoſuit IOH. GE. SCHELHORNIVS V. C. *p. 6. ſq. Diatribae praeliminaris*, praemiſſae QVIRINI libro ſingulari *de optimorum Scriptor. editionibus, quae Romae primum prodierunt*; nihilo tamen minus ad pleraque, quantum mihi cernere datum, haud foret difficilis reſponſio. Interim temperare ſibi non potuit Theologus litteratiſſimus, quin ſcriberet ingenue: *Neutiquam dubito,*

bito, multa artis molimina et experimenta facta eſſe Argentorati, eamque operoſe ac varie tentatam, ſed conſummatam demum ac perfectam Moguntiae arbitror. Poterant nimirum *quaedam adhuc deſiderari in prelo ſcite adornando, in typis rite ſculpendis, in neceſſariis inſtrumentis commode fabricandis, in ipſo imprimendi modo, in atramento praeſertim typographico, ac fortaſſe in aliis.* Idem iam ante perſuaſum ſibimet habuit Polyhiſtor eximius GODOFR. GVIL. LEIBNITIVS, in *Anti Plagiario*, libro adhuc inedito. En! ipſum locum, a SCHOEPFLINO *p.* 75. prolatum, repetitumque in Diatriba SCHELHORNII: *Probabile,* inquit, *videtur, Ioh. Guttenbergium, virum patricium ex nobili gente zum Iungen, ſeu Iungiorum, quae nunc quoque Francofurti floret, primas artis typographicae cogitationes animo concepiſſe, et Argentorati agitare coepiſſe, ſed Moguntiae demum perficere potuiſſe, adiutore Ioh. Fauſto, Moguntino, et genero Fauſti, Petro Schoeffero, Gerneshemenſi. Fieri poteſt, vt Iungio,* (i. e. Guttenbergio) *in vrbe Argentoratenſi haec verſanti, aſtiterit Mentelius ille Argentoratenſis.* Hinc et nata videtur quorundam opinio, Mentelium hunc artem typographicam primum inueniſſe. Artem certe litteras ſcribendi pingendique occaſionem ei dediſſe, vt Guttenbergio ac ſociis innoteſceret breui, atque adeo animum ad typographiam conuerteret, SCHOEPFLINVS obſeruat *Cap. X. p.* 95. *et* 96. Cf. IDEM *Cap. V. p.* 59. Tam diu igitur, donec pro ferantur documenta noua, eaque Schoepflinianis contraria, Viri doctiſſimi principatum obtinebit adſeueratio, typographiam Argentorati a Guttenbergio inuentam, Moguntiaeque deinceps continuatam et excultam fuiſſe. Contigit illud ab anno 1436. vsque ad annum 1440. praecipue: hoc autem anno 1450, ſculptaeque litterae, Argentorati a Guttenbergio inuentae, ab eodem translatae

Moguntiam ſunt. Ibi tandem Petrus Schoefferus excogitauit fuſiles, atque Guttenbergianis ſuperaddidit.

§. IX.

Praeter ea, quae de Guttenbergio ante dixi, operae pretium fuerit aliorum nonnullorum meminiſſe, ad virum notatu tam dignum, tantique apud poſteros nominis, pertinentium. Fuit autem is ipſe equeſtris ordinis homo, ex antiquiſſima illuſtrique gente Sorgenlochiorum, varios olim in ramos diuiſa, oriundus. Nomen hoc familia a vico Sorgenloch, pagi Moguntini, accepit, quem poſſederat aliquando: cognomina vero Gensfleiſch atque Guttenberg profecta ſunt a villis ita dictis, quas Moguntiae habuerunt Sorgenlochii. Gudenbergium, earum alteram WIMPHELINGIVS in *Catalogo Epiſcop. Argentoratenſium domum boni montis* adpellauit. Vid. KOELERI *Ehrenrettung Ioh. Guttenbergs* §.*V.p.*9. et *p.*15.*ſq.* Falſa eſt igitur et praua multorum Gensfleiſchii et Guttenbergii in duos homines diuerſos diuiſio. Quum Argentorati adhuc moraretur Guttenbergius, anno 1443. de reditu in patriam ſerio cogitauit, biennioque poſt, anno nimirum 1445, conſilium exſequutus eſt. Moguntiam diſcedens, vbi ſtrenue ad artem perficiendam adplicuit animum, ciuitate ſimul ornatus, quo iure quidem nobili genere nati medio aeuo, maxime in vrbibus Imperii liberis, non parum ſuperbire ſolebant. Nummis autem neceſſariis deſtitutus typographicam iniit ſocietatem cum Ioh. Fauſto, itidem ciue Moguntino, eoque opulento. Factum hoc anno 1449. vel inſequenti, ſoluitque Fauſtus octingentos florenos aureos, iterumque a. 1452. totidem alios, ea conditione, vt non vſuras tantum acciperet, verum etiam lucri ſperandi parte fruere-

frueretur. Forſitan nec defuere Fauſto conſilia, quibus iuuare conatus poſſet. Guttenbergius interim operi ipſe admouit manum, inſtrumenta comparauit, adminiſtris praefuit totamque officinam moderatus eſt, quam quippe pro ſuppeditata ſorte Fauſto ſaltim oppignerauerat. Vix tamen per quinquennii ſpatium ſtetit iſthaec ſocietas. Iniqua enim ratione Fauſtus Guttenbergio litem de non ſolutis vſuris intendit, qua de re inſpici meretur Inſtrumentum, cuius authenticum in Bibl. Gottingenſi ſeruatur, ab Helmaſpergero, Notario, Moguntiae a. 1455. die 6. m. Nouembris conditum. Primum illud in lucem produxit perilluſtris a SENCKENBERG *Select. Iuris et Hiſtor. Tomo I. p.* 269. SCHWARZIVS vero *Orig. typogr. Diſſ. I. p.* 5. *ſq.* nec non KOELERVS *l. c. p.* 23. *ſq.* Obſeruationibus eruditis explicare ſtuduerunt. Cecidit bonus Guttenbergius cauſſa, eaque occaſione importunus aduerſariusomnem adparatum typographicum, antea ipſi pignoris loco conſtitutum, ad ſe rapuit, quae KOELERI ſententia eſt, SCHOEPFLINIque et SCHELHORNII *l. c. p.* 18. Ex eo tempore reliquiſſe patriam iterum Guttenbergius videtur, forte iuſto dolore taedioque inductus. Sed quo abierit, propter documentorum penuriam incertum. Qui adfirmant, eum rediiſſe Argentoratum, vt nouos ibi ſocios adquireret, annoque 1459. Argentorato Harlemum contendiſſe, erigendae officinae typographicae cauſſa, hi rationibus idoneis id probare nequeunt. Vid. SCHWARZIVS *l. c. p.* 29. *Obſeruat. IV.* et SCHOEPFLINVS *p.* 92, qui paullo poſt ita ſcribit: *Cur Argentinam rediret, vbi ſua conſumſerat; vbi ſucceſſores eius, Mentelius et Eggeſteinius, fortiter prela ſua vrgebant? Veriſimilius eſt, Moguntia eum diſceſſiſſe Harlemum. Ita decennalis vitae Gutenbergianae lacuna ad annum vsque* 1465. *quo in Mo-*

guntinis documentis rurſus apparet, completur. Ita ratio patet, cur Fauſtus ab anno 1457. *fallaces ſuas formulas, Gutenbergio nempe abſente, propalare ſit auſus. Noſtra Tabularia poſt annum* 1445. *quo Argentina diſceſſit, de eo nihil proferunt. Sed et Moguntina vsque ad annum* 1465, *quantum nouimus, ſilent. Harlemenſia nobis ſuccurrere deberent.* Nec huic ego coniecturae opponi nihil poſſe crediderim. Extſtat apud KOELERVM *p.* 83. documentum Moguntinum, ex quo patet, Guttenbergium anno adhuc 1456. die natae Mariae, quae in octauam menſis Septembris incidit, Moguntiae teſtem cuidam negotio interfuiſſe. Si porro chartam vetuſtam oculis ſubiiciamus, in qua Conr. Homery, Iuris Canonici Doctor, et ciuitatis Moguntinae Syndicus, ſiue Cancellarius, anno 1468. profeſſus eſt, officinam Guttenbergianam ad ſe perueniſſe, ſeque non extra Moguntiam alienaturum eandem, aut ius certe protimiſeos ciuibus ſuis conceſſurum eſſe: ſequitur, quantum ego quidem perſpicio, exinde, Homerium hanc ipſam poſt Guttenbergii obitum, iure hypothecae, ſibi vindicaſſe officinam, forte ob mutuam datam pecuniam; ſiue illa prima fuit, quam cum Fauſto coniunctus inſtituerat: ſiue Guttenbergius, priſtina iſta officina, pro nummis ſuppeditatis, aduerſario relicta, ope Homerii noua ſibi inſtrumenta typographica parauit. Cf. omnino SCHWARZIVS *Diſſ. I. p.* 26. *ſq.* Eiusmodi vero inſtauratio preli, fingamus enim hanc factam eſſe, ſine dubio multum poſtulauit induſtriae, multum temporis. Interim quocunque ſe res modo habeat, id eſt extra controuerſiam, Adolphum, Principem Electorem Moguntinum, anno 1465. aduerſis Guttenbergii fatis adeo eſſe commotum, vt eum inter aulicos ſuos reciperet, ſtipendio quodam annuo, praeter alia beneficia, ipſi adſignato. Vid.

Vid. SCHWARZIVS *l. c. p.* 20. Neque tamen diuturna fuit iſthaec felicitas, quippe viuis ereptus eſt homo integerrimus, at magnas inter ſpes paupertate preſſus, anno 1467. vel ineunte anno 1468. Excudere Guttenbergium libros coepiſſe, negandum haud eſt, nullus licet reperiri adhuc potuerit, eius nomine inſignitus. Vid. SCWARZIVS *l. c. p.* 28. et *Diſſ. II. p.* 45. *Obſeruat. III.* itemque SCHOEPFLINVS *p.* 41. quo ſimul loco docet, falſam eſſe, quae *Dialogis Gregorii Papae* in calce adiecta colore rubro dicitur, epigraphen, his verbis expreſſam: *Preſens hoc Opus factum eſt per Ioh. Guttenbergium apud Argentinam Anno milleſimo CCCCLVIII*, nec fidem aliquam ex PALMERII *General Hiſtory of Printing* accedere, vbi *p.* 299. Volumen hoc Bibliothecae Pembrockianae Londinenſi adſcribat. Primum autem tabulas ligneas, quibus litteras inſculperet, adhibuit Guttenbergius, hisque in praeluſionibus, maxime rudibus, vſus eſt atramento, nondum oleo, ſed aqua ſaltim diluto, quod quum penetraret per chartam, duo ſemper folia, vt vitaretur deformitas, conglutinanda erant. Atque hoc modo vocabularium Iohannis Ianuenſis, *Catholicon* nuncupatum, formis impreſſum eſſe Moguntiae, fultus teſtimonio Schoefferi IOH. TRITHEMIVS adſerit, cuius locum iam ſupra §. V. in medium protuli. Abſolutum tamen hunc fuiſſe laborem, non ſine cauſſa dubitandum. Legendus, quod ad hoc argumentum ſpectat, IOH. GE. SCHELHORNIVS in Diatribe *de antiquiſſ. Latin. Biblior. editione, ceu primo artis typogr. foetu*, *Vlmae a.* 1760. *in 4. p.* 21. *ſq.* et praecipue MICH. RICHEY in Diſſ. Germanica *de Ioh. Ianuenſis Catholico, diuerſisque illius editionibus*, quarum quinque minimum ac viginti, intra ſexaginta annos exhibitae ſunt. Finem imponit laudatum ſcriptum Auctoris doctiſſimi *Idiotico Hamburgenſi*,

burgenſi, anno 1755. *in 8. mai.* euulgato, *p.* 449. *ſq.* Cui addi meretur Commentatio, quam non nemo, qui litteram vnicam S. ſubiecit, inſeruit *den Hannoueriſchen Gelehrten Anzeigen anni* 1752. *Parte XXVIII. p.* 354. *ſq.* cuiusque inſcriptio eſt: *von den erſten Ausgaben des von dem Erfinder der Druckerey zu Mayntz zu allererſt gedruckten Buchs des Catholici Ioannis de Ianua.* Auctor potiſſimum exiſtimat, non totum Catholicon, Opus nimis magnum, ſed eius modo compendium, tabulis inciſum ligneis a Guttenbergio fuiſſe. Aliter e contrario KOELERVS *l. c. p.* 37. Repugnat etiam quod ad primum huncce pertinet conatum. SCHOEPFLINVS *p.* 28. verbis ſequentibus: *Schoefferianae narrationis* (de qua Trithemius dixerat) *falſitatem Acta noſtra coarguunt. Gutenbergius, a.* 1436. *mobiles typos Argentorati tractare iam ſolitus, ad litteras fixas poſt XIV. annos num rediturus fuiſſet?* Idem Vir celeberrimus *p.* 39. ſeptem recenſet libros, quos ex prima typographiae Argentinenſis fabrica prodiiſſe ait, quosque incunabulorum artis certiſſimos teſtes adpellat. En! titulos eorum: *Geſta Chriſti; Soliloquium Hugonis, de Miſſa liber; de Iudaeorum et Chriſtianorum communione liber; Henrici de Haſſia Expoſitio ſuper Dominicam Orationem; Conſuetudines Feudorum; Pſalterium Latinum formae minoris.* Contendit vero paullo ante, hos libros excuſos typis mobilibus fuiſſe ac ſuperne perforatis, vt nempe ſinguli traiecto funiculo in lineam continuam, lineae in paginam continuam poſſent conſtringi, atque deinceps ad imprimendum ſubiici prelo: particulas et ſyllabas, quae ſaepius occurrant, compendii cauſſa, non fuiſſe ſolutiles, ſed iunctim exſculptas. Quibus praemiſſis ita pergit: *Litterarum forma a deſignatoris et ſculptoris dexteritate pendebat. Illae ab initio informes et ſcabrae libros*

male

male comtos produxerunt, quibus alia, quam Argentoratum, patria aſſignari non poteſt. Primae ergo Argentinenſium typographiae omnes illos vindicamus libellos, in quibus litterae ſunt pingues, rudes, craſſa ſculptae Minerua, quarum nulla ſuae ſociae aequalis, ſed vna modo tenuior, craſſior, modo longior, breuior, modo rotundior altera, ita vt eidem non infuſas matrici, ſed ſingulatim ſculptas fuiſſe, facillime appareat. In libellis his lineae longiores raro rectae, plerumque ſunt curuae. Linearum compages elegantia ſymmetrica caret; atramentum librarium pallet; nulli paginarum ſunt numeri: nulli ſunt duerniones, terniones, quaterniones chartarum, alphabeticis ſignis, ſignaturam *quam vocant, diſtincti.* Neque tamen ex his perſpicere licet, exierintne libri eiusmodi ex Guttenbergii, an, qui coepta huius continuauit Argentorati, Ioh. Mentelii officina. Vnicum *p.* 40. memorat Auctor Codicem, ipſius Bibliothecae illatum, *de miſeria humanae conditionis* caet. cui annus 1448. aperte adſcriptus eſt, non item locus, vbi prodiit in lucem. Quid autem, ſi quis dicat, hoc Moguntiae eſſe factum, qua in vrbe Guttenbergius iam ab anno 1445. artem ſuam exercuerat? Quibus argumentis partum huncce tribuere Argentinenſibus poteſt doctiſſimus Schoepflinus? Optarim, talia ſubieciſſet ad remouendum dubium qualecunque. Tranſeamts nunc ad certiora. Poſt Catholicon Ianuenſis Guttenbergius circa annum 1450. acceſſit ad *Biblia Latina*, in quibus excudendis vſus eſt typis ligneis mobilibus, iisque grandioribus, quales Miſſalia priſca habent; charta candoris eximii, et inſtar membranae denſa; nec non atramento glutinoſo ac tenaci, cuique intermiſtum erat oleum. Tria ſunt formae maioris Volumina, valde ſpiſſa, quae tamen ad finem Guttenbergius perduxiſſe haud videtur. Forte enim a fide non

eſt

eſt plane alienum, Operis inchoati partem maximam, perdita, quam Fauſtus excitauerat, lite, cum officina Guttenbergiana ipſi adiudicatam, ac deinceps ab eodem Biblia iſthaec anno circiter 1456. abſoluta fuiſſe. Nimis moleſtus certe ac ſumtuoſus redditus eſt labor, quum TRITHEMIO teſte, alibi iam laudato, Guttenbergius Fauſtusque, impreſſuri Codicem diuinum, plusquam quatuor florenorum (aureorum) expoſuiſſet millia, priusquam tertium compleſſent in opere quaternionem. Quod quidem non ita intelligendum, ac ſi tantam pecuniae vim in duodecim dumtaxat plagulas impendiſſent; comprehendit potius magna haec tunc temporis nummorum copia omnes ſimul ſumtus, in tot artis, tentamenta, ab anno circiter 1445. ad hunc vsque, quo excudi Codex ſacer coepit, in tot item operarios, et reliqua neceſſaria, factos, quibus non Guttenbergii tantum loculos exhauſtos, verum pecuniam quoque, a Fauſto ſuppeditatam, conſumtam fuiſſe, a veritate non abhorret. Legatur hic, quae omnia fuſius pertractat, SCHELHORNII V. C. Diatribe *de antiquiſſima Latinorum Bibliorum editione, ceu primo artis typographicae foetu, et rariorum librorum Phoenice,* cui docto libello *Spicilegii* non nihil acceſſit QVIRINI libro ſingulari *de optimorum Scriptorum editionibus* caet. *p.* 61. *ſq.* Conf. et SCHWARZIVS *de Origin. typogr. Diſſ. II. p. 4.* Idem ſequenti pagina duo alia Bibliorum Latinorum Volumina, grandioris ſtaturae, memorat, non quidem typis miſſalibus, pinguibus tamen et ſemi-Gothicis, impreſſa. Quia ſatis hi ſint inaequales, ita vt eadem littera, in eadem ſaepius pagina, modo aliquantum maior, et longior craſſiorque modo aliquantum minor, breuior ac tenuior conſpiciatur, facile opinatur, iſtos typos non in certa forma fuiſſe fuſos, ſed ex ligno ſigillatim

latim ſculptos; quamquam haud raro vnus typus binas etiam ternasque litteras coniunctim complectatur. Prorſus igitur ſibimet perſuaſum vir eruditus habet, iſthaec Biblia, Guttenbergii Fauſtique ſtudio, Moguntiae lucem adſpexiſſe. Easdem enim in his chartas, eadem chartariorum inſignia, obuia eſſe, quae in libris adpareant, iſtorum ex officina productis. Referre autem haec inſignia modo caput bubulum, modo litteram maiorem D, quam linea longa, eaque ſuperne crucigera, tranſeat. Praeter haec ductum typorum generatim vetuſtis Moguntinorum omnino reſpondere. Quae Schwarziana relatio ſi nullis laboraret dubiis nouum ſupereſſet typographicarum apud Moguntinos primitiarum ſpecimen. Sed perpende, quaeſo, quae diſputauit olim DAV. CLEMENT in *Biblioth. de livres dificiles à trouver*, *Tomo IV. a pag.* 73. vsque ad *p.* 79. in primis contra SALLIERIVM, cuius obſeruationem de antiquiſſima Bibliorum editione continet *Pars VII. p.* 331. *ſq. der Geſch. der Koenigl. Acad. der ſchoen. Wiſſenſchaften zu Paris*, *ex interpretatione Gottſchediana*.

§. X.

Abunde, ni fallor, quae huc vsque de Guttenbergio congeſta ſunt, docent atque declarant, iniurioſos eſſe vtique in virum optimum et prorſus aberrare a vero, qui Iohanni Fauſto ac Petro Schoeffero typographiae inuentionem attribuunt. Fecere hoc non pauci, quos inter vel Ioh. Auentinum, Henr. Salmuthum, atque Bern. a Mallinkrot nominaſſe iuuabit. Loca ipſa non transſcribam. Legi facile queunt in WOLFII *Monum, typogr. Parte I. p.* 330. *p.* 696, *ſq.* et *p.* 702. *ſq.* Interim certum eſt atque exploratum, inſignia Fauſti fuiſſe in rem typographicam merita. Ciuis hic itidem Moguntі-

guntinus ex honeſta natus familia, cuius decora poſteri auxerunt, vti quidem MARCHANDVS in *Hiſtoire de l'origine de l'Imprimerie p. 46.* comprobat, anno 1466. vel inſequenti mortuus eſt forte Pariſiis peſtilentia, qua vrbs haec eo tempore grauiter laborauit. Vid. SCHOEPFLINVS *l. c. p.* 61. in fine. Poſt controuerſiam cum Guttenbergio diiudicatam, typographiam coepit maiori tractare feruore, ſibique adiunxit arctiori vinculo, qui iam ante in officina, huic Fauſtoque communi, operam praeſtiterat, Petrum Opilionem, ſiue Schäfferum, plerumque Schoifferum, Schoefferum, vel Petrum de Gernsheim adpellatum. Patriam enim nactus erat Gernshemium, oppidum ad Rhenum ditionis Moguntinae. Initio ſcribae librarii profeſſus negotium eſt, cuius generis homines olim *Clerici* nomine ſaepius inſigniri ſolebant. Inde nonnunquam in librisClericum ſe Dioeceſeos Moguntinae ſubſcripſit. Quod quum non ſatis recte intellexiſſet SCHWARZIVS, propriae vocis ſignificationi inhaerens, de *Orig. typogr. Diſſ. II. p. 17. et 19.* ſacerdotis eum dignitatem ſuſtinuiſſe putauit, duosque adeo effinxit Petros Schoefferos, illum nempe, qui *Clericus* dicitur, diſtinguens ab alio, quem Fauſtus in calce librorum ſuorum *puerum* vocat. Enimvero male ſic egiſſe Schwarzium, luculenter oſtendit SCHOEPFLINVS *l. c. p.* 30. *nota* (n). Idem et mox obſeruat, Lutetiae aliquando et anno 1449. adhuc, deſcribendis libris victum ſibi paraſſe Schoefferum, ipſumque ex illa librariorum claſſe fuiſſe, qui nominabantur Calligraphi. Non ita multo poſt Moguntiam peruenit, primumque Guttenbergii ac Fauſti conatus iuuit, deinde vero ad hunc delatam illius officinam direxit, alter quaſi Guttenbergius, qui ſculptoribus litteras praeſcripſit ſculpendas. Inuenit etiam commodiorem librorum excudendorum

dorum rationem. Quamquam enim ab arte typos ex metallo fundendi nec Guttenbergii nec Fauſti cogitationes plane videntur auocatae fuiſſe; Schoefferus aptiorem tamen materiam, facilioremque typorum e metallis mixtis modum introduxit, archetypos nimirum, quos vulgo *Buntzen* dicunt, atque matrices, quibus characteres incidi, et ex iis fundi poſſent aequales. Tantopere haec inuentio, inter annos 1450. et 1455. ponenda, Fauſto placuit, vt exſultans gaudio filiam vnicam, Chriſtinam, deſponderet ipſi, paulloque poſt in matrimonium daret. Cf. BERGELLANI *Poema verſu* 125. *ſq.* KOELERVS *l. c. p.* 90. in fine, SCHWARZIVS *Diſſert. III. p.* 26. *ſq.* aliique. Obiiſſe creditur Schoefferus intra annum 1462. et 1465. mirumque foret profecto, tres illos artis typographicae auctores et magiſtros primarios paucorum intra ſpatium annorum rebus eſſe mortalibus ereptos. Vid. SCHWARZIVS *Diſſ. I. p.* 29. 30. et *Diſſ. II. p.* 53. Sed alia ſub finem huius §phi ſuppeditabo. De Schoefferiana familia MARCHANDVS *l. c. p.* 48. *ſq.* varia ſingularia protulit, quae non vbique autem poſita ſunt extra dubium. Primum Schoefferianae praeſertim induſtriae ſpecimen, Fauſti ex officina editum anno 1457, *Pſalterium* eſt, formae maioris Opus. Ornatum id vncialibus litteris et capitalibus, pulcherrime ſculptis atque variegatis colore; quumque miniatores olim in Codicibus ſcriptis litteras initiales ita producerent non nunquam, vt vna ſola gyris ductibusque ſuis magnam marginis partem compleret: Schoefferus etiam in Pſalterio ducentas octoque et octoginta huius generis litteras adhibuit, ligno inſculptas, ac variis coloribus diſtinctas. Quod monumentum incomparabile Fauſtus, gloriae cupidus, ſine nomine ſuo prodire noluit, ideoque primus hic omnium, quantum ſciamus,

liber eſt, artificis, loci anniquе nota ſignatus. Fide haec SCHOEPFLINI ſcribo *l. c. p.* 32. addoque, occultata ante fuiſſe eiusmodi indicia, vt excuſa typis exemplaria pro manu exaratis Voluminibus maiori pretio venirent. Cf. SCHWARZIVS *Diſſ. II. p.* 7. Repetita fuit editio anno 1459. Codex vterque deſcriptus a CLAVDIO DE BOZE, tantorum cimeliorum poſſeſſore quondam locupletiſſimo, in *memoires de l' Acad. des Inſcript. et belles Lettr. Tomo XIV. p.* 254. edit. Pariſ. In Gottſchediana Germanica Diſſertatio haec elegans exſtat *Parte VII. p.* 361. *ſq.* Succeſſit eodem anno 1459. et quidem Octobri menſe GVIL. DVRANDI *Rationale diuinorum officiorum*, antiquum Theologiae liturgicae monumentum, in quo auctor rationes et ſignificationes rituum eccleſiaſticorum, vti hi ſaeculo XIII. fuere, pro genio iſtius aetatis expoſuit. Plane hoc Opus typis aeneis fuſis, et membranis in folio impreſſum eſt, vnicum ſaltim exemplar, ex membranis chartisque mixtim compoſitum, adſeruari Moguntiae in Bibliotheca cathedrali, SCHWARZIVS indicat *Diſſ. II. p.* 10. quo et loco alia occurrunt, lectu non indigna. Fidem prope excedit, certum tamen, librum Durandi poſt primam hanc editionem ſaepiſſime recuſum fuiſſe. Nihilo autem minus raro hodie inuenitur exemplar. Studioſe collegit omnes, quotquot explorare licuit, editiones CLEMENTIVS *in Bibl. de livres, dificiles à trouver, Tomo VII. p.* 467. *ſq.* Interiecto menſium octonorum ſpatio, die ſcilicet quinto ac viceſimo menſis Iunii, *anno* 1460. conſummarunt Fauſtus atque Schoefferus *Conſtitutiones Clementinas in f.* eodemque anno IANVENSIS *Catholicon* forma maxima, diſſimulato tamen typographorum nomine, diuulgatum eſt, quo de Opere fuſius diſſerunt RICHEY in *Idiotico Hamburgenſi p.* 458. *ſq.* et SCHWARZIVS *l. c. p.* 12. *et*

13. vbi

13. vbi quidem is rationum non nihil adfert, cur ſibi perſuaſum habeat, librum hunc prodiiſſe ex noua Guttenbergii officina, poſt diſſidium inter ipſum Fauſtumque apud Moguntinos inſtituta; ſed monet ſaltim SCHOEPFLINVS *p.* 65. coniectura Schwarzii ſi vera ſit, ſuboriri quaeſtionem, cur Guttenbergius nomen ſuum non adiecerit Operi, auſpiciis ſuis excuſo, falſae Fauſti gloriae vt ſe tandem opponeret? Rarum et hoc eſt Catholicon, quamquam, vt obſeruat RICHEY *l. c. p.* 479. intra ſexaginta annos minimum quinquies viciesque impreſſum typis fuit. Miſſis his tranſeamus ad *Biblia Latina*, in Volumina II. maiorum foliorum redacta. Adſcriptus his eſt *annus* 1462. denuoque acceſſerunt Fauſti Schoefferique cum nomen, tum inſignia. Singulare autem fatum ſubire debuit Fauſtus, poſtquam cum Bibliis ſuis Lutetiam Pariſiorum peruenerat. Ibidem enim exemplaria ſingula ſexaginta coronatis, ſiue vncialibus Gallicis, vendidit, quum antea vnicum Bibliorum exemplar, manu impigri ac ſolertis alicuius ſcribae exaratum, quadringentis aut quingentis coronatis conſtaret. Itaque mirati ſunt homines, qui fieri potuerit, vt ſingula exemplaria exacte ſibi reſponderent, nihilque in tanto litterarum et linearum numero diſcriminis conſpiceretur. Cunctantibus deinde ſpectatoribus, atque emtionem procraſtinantibus, ſuorum quaedam exemplarium quinquaginta coronatis Fauſtus, tum quadraginta venditauit, imo pretio longe minori conceſſit emtoribus. Quod vbi audiuerant qui prius mercati fuerant Codicem, deque mirabili venditoris artificio certiores erant facti, ab eo ſe deceptos querebantur, pluſque ſolutum repetebant. Quibus moleſtiis vt ſubduceret ſe Fauſtus, clam reliquit Pariſienſes, atque Moguntiam reuerſus eſt. Ita quidem res exponitur ab

IOHANNE WALCHIO in *Decade fabularum, humani generis mores, ingenium, varia ſtudia adumbrantium, Argent. anno* 1609. *in* 4. *p.* 181. *ſq.* Locus ipſe apud WOLFIVM exſtat *Monumentor. typogr. Parte I. p.* 177. *ſq.* Eadem viginti annis poſt adſeruit GABRIEL NAVDAEVS in *Addition à l' Hiſtoire de Louis XI.* idque ſimul interſeruit, maximam horum Bibliorum partem impreſſam in membranis, litterisque regiis, ſeu maioribus, et encarpis aureis ornatam fuiſſe, (*Vignettes d'or* ſua lingua dicit Auctor,) vt eo facilius MStorum ſimilitudinem ſpeciemque haberent. Vid. denuo WOLFIVS *l. c. p.* 521. Diſertis Naudaeus verbis his de Bibliis anno 1462. editis, adfirmat, plane typos congruere cum ſcriptura, quae tunc temporis facta manu ſit. Haec Walchii Naudaeique relatio ſi vera eſt, SCHOEPFLINVS ſaltim *p.* 60. eandem non audet vocare in dubium, ad Bibliorum editionem omnium primam, annique, loci et typographi indicio deſtitutam, hanc magis pertinere putat SCHELHORNIVS in Diatribe *de antiquiſſima Biblior. Lat. edit. p.* 35. *Quis enim*, inquit, *concipere animo poſſet, eruditos Pariſienſes tam omnium rerum fuiſſe ignaros tamque incautos, vt, cum inuentum illud diuinum, variis iam libris, iisque ſatis grandibus, publice proſtantibus, non amplius in occulto oblitesceret, ita ſe turpiter ab homine Germano circumueniri fuiſſent paſſuri?* At nullo hic ſcrupulus tolli negotio poteſt; quippe primum non ſequitur, vt ſoli homines eruditi fuerint Codicis diuini emtores. Forſitan horum vnus alterue, nouitate rei et miraculo inuitatus, poſtrema quaedam exemplaria minori, quam caeteri ciuium, pretio comparauit, tandemque adcuratiori examine inſtituto, Fauſti detexit fallacias. Deinde vero binas diuerſas ſubſcriptiones Bibliorum nouimus, quarum altera luculenter docet, eadem impreſſa

typis

typis eſſe; altera e contrario indicat tantum ambigue, a quibus Volumina illa ſint adornata. En! hanc integram: *Preſens hoc opus finitum ac completum, et ad euſebiam dei induſtrie in ciuitate Moguntina per Iohannem Fuſt, ciuem, et Petrum Schoeffer de Gernsheim, Clericum dioceſis eiusdem, eſt conſummatum anno Incarnationis Dominice M.* CCCCLXII. *in vigilia Aſſumptionis glorioſe Virginis Marie.* Vide hic, quaeſo, SCHWARZIVM *Diſſ. II. p.* 14. atque DAV. CLEMENT *l. c. Tomo IV. p.* 84. et *p.* 86. qui locus poſterior coniecturae meae non parum roboris addit, Fauſtum ſcilicet eiusmodi exemplaria, quorum in calce nulla de arte inuenta mentio fit, Pariſios transportaſſe, vbi rem nondum ſatis innotuiſſe, merito poterat ſuſpicari. Propiora haec vero ſunt, quam ea, quae de Fauſto, typorum ob ſimilitudinem inter ſe, in Codice Bibliorum deprehenſam, magiae Pariſiis accuſato, ſcripſit IOH. DE LA CAILLE in *Hiſt. de l' Imprimerie p.* 12. vt alios plures taceam. Originem dediſſe videtur fabulae Fauſtus ille praeſtigiator, qui ſaeculo demum XVI. vixit, et cum Fauſto, Moguntino, nihil habuit commune, quod vberius oſtendit FR. GVIL. BIERLING. *de Pyrrhoniſmo hiſtorico, Cap. III. p.* 158. *ſq.* Cf. hic omnino DE BOZE obſeruationes *in loca quaedam Annal. typogr. Maittairianorum, P. VII. p.* 318. *ſq. der Geſchichte der Königl. Acad. der ſchönen Wiſſenſch. zu Paris, edit. Gottſched.* Quae anno eodem 1662. prodiiſſe in f. dicuntur, ſolo Fauſti nomine per manum alienam ſubſcripto, *Biblia Germanica*, ea primum memorauit Ioh. Alb. Bengelius, horum exemplar in Bibliotheca Conſiſtorii Würtembergici exſtare adfirmans. At relatio iſthaec non ſine graui cauſſa in dubitationem adduxit CLEMENTIVM *Tomo III. p.* 319. *ſq.* Nec ſatisfecit mihi, quod paullo poſt HENR. GVIL. CLEMMIVS in *Amoenit.*

Academicar. Faſc. II. Stutgardiae a. 1754. *in* 8. publicato, hoc de argumento diſſeruit *p.* 151. *ſq.* vbi adparet oculis *Recenſio peruetuſtae editionis Germanicae Moguntiae a.* 1462. *impreſſae*, caet. Annus 1465. protulit *Librum VI. Decretalium in f.* medio fere menſe Decembri conſummatum, Fauſtique ac Schoefferi nominibus inſignitum, neque hunc ſolum, ſed *Ciceronis* etiam *Officia et Paradoxa* in *fol. min.* atque in 4. *maioris formae.* Diem menſemque, quo finis impoſitus Operi, fruſtra hic quaeſiueris. Videtur tamen id ante Decretalium librum VI. factum eſſe. Idem enim Tullii Volumen mox repetitum eſt *anno* 1466. quartaque die menſis Februarii prelo penitus exiit. Non opus eſt, vt plura de eo dicam, quum omnia ſcitu digna ſollicite congeſſerit CLEMENT. *l. c. Tomo VII. p.* 131. *ſq.* qui et *p.* 135. *et* 136. luculenter oſtendit, vtrumque exemplar non vnum eſſe, vt opinati ſunt Maittairius, Schwarzius, et alii, ſed omnino diuerſum. Idem teſtatur GOETZIVS in *den Nachr. von der Königl. Bibl. zu Dresden, Vol. III. p.* 506. Quod exemplaria quaedam annum 1440. adſcriptum habeant, id manui ignotae tribuendum, quae annum 1465. (non 1460. quod non nemo ſuſpicatus eſt) tam artificioſe mutauit in annum 1440. vt fucus vix deprehendi queat. Interim detexit eum iam ENGELIVS in *Bibl. ſelectiſſ. p.* 43. Cf. Celeb. GOTTSCHEDII *Neueſtes aus der anmuth. Gelehrſ. anno* 1754. *num. X. p.* 782. An ſingularia quaedam depromſerit IOH. DAV. KYPKE in *der Nachricht von einem zu Königsberg in einer privat Bibliothec befindlichen Exemplar der erſten Ausgabe Officiorum Ciceronis anni* 1465. quod ſcriptum, *Regiomonti a.* 1736. *in* 4. natum indicat *Catal. Biblioth. Bunauianae, Tomo I. Vol. I. p.* 675. mihi prorſus ignotum eſt, nondum enim id inſpicere contigit. Nec vllam eius in Diariis factam eſſe men-

mentionem recordor. Attuli nunc libros principes ex Fauſti officina editos, qui annum adhuc 1466. attingunt. Poſt euanuit illius nomen in ſubſcriptione, quae terminare ſolet Volumina; inde non inanis coniectura naſcitur, ipſum tunc temporis viuere deſiiſſe. Singularem olim de Ioh. Fauſto et Ioh. Guttenbergio, primis Germaniae typographis, Diſſertationem PETR. LAMBECIVS eſt meditatus; at exitu conatus caruit, de quo conſulendus *Prodromus Hiſtor. litter. p.* 275. *edit. Fabric.* MELCH. ADAMI in *Vit. Philoſoph.* quae de vtroque dicit, et pauca ſunt, et vulgaria.

Exſtincto Fauſto, officinae eius, minimum vsque ad exitum anni 1495. ſolus praefuit Petrus Schoefferus. Inter varios Codices, qui debentur ipſius induſtriae, eminent *Iuſtiniani Inſtitutiones Iuris cum Gloſſa in f. maiore*, quae primum *anno* 1468. die quarta et viceſima menſis Maii prodierunt. Vid. denuo laudatus SCHWARZIVS *l. c. p.* 23. *ſq.* Nec praetermittendus *Valerius Maximus*, *anno* 1471. *in f.* euulgatus, quae itidem princeps dici debet Scriptoris huius editio. Idem Schoefferus *anno* 1472. prelo repetiit *Biblia Latina*, quae exacte referunt editionem anni 1462, ita, vt conſpiciantur vtrobique typi iidem, ac folium folio, pagina paginae, columna columnae, verſus verſui, vox voci, littera litterae, ſi perpauca ſcribendi compendia excipiantur, reſpondeat, teſte SCHWARZIO *l. c. p.* 31. Intra annos 1480. et 1484. inuenio typographum hunc iter ſuſcepiſſe in Palaeſtinam; inde ratio cognoſcitur, cur interea temporis tam pauci libri eius in officina typis ſint impreſſi. Cf. SCHWARZ. *l. c. p.* 42. Petro etiam Schoeffero mortuo, (quod contigit forte anno 1496. vel 1497. anno enim 1495. aliquot diebus poſt feſtum Michaelis abſoluit adhuc *die Ordnung der Röm. Königl. Mai.*

Cammergericht in f. teſtante WEISLINGERO *Armamentarii Catholici, Argentor. a.* 1749. *ead. forma* exhibiti, *p.* 639.) artem typographicam in officina auita, relicta ſibi a patre, proſequutus eſt Ioh. Schoefferus, ſeque ipſe anno 1515. ſub finem *Tritbemiani Breuiarii de origine Regum et Gentis Francorum* nepotem Ioh Fauſti adpellauit. In lucem produxit ad annum vsque 1533. libros multos numero, atque eleganter excuſos. Nullus vero, anno 1503. antiquior, vsque ad hanc diem repertus eſt.

§. XI.

Confectis hiſce, quantum quidem licuit in argumento, complurium olim erroribus non parum obſcurato, age! circumſpiciamus nunc notas, vt vulgo dicuntur, characteriſticas eorum librorum, qui primis ab arte inuenta temporibus editi fuere. Variae ſunt eaedem ac multiplices, ideoque merentur diſtincte proponi.

I.) Titulus vel deeſt Operi, nec ſingulari paginae, quem admodum hodie fieri adſolet, impreſſus eſt, vel ſtatim ſupra ipſam tractationem, aut prooemium occurrit.

II.) Temporis, lociue indicium, item typographi nomen, cum eius inſignibus, fruſtra quaeritur. Vix vnus alterque exſtabit liber, quiannum ſaltim in fine oſtendat. Primum eſſe Opus Pſalterium, anni, loci, et artificis nota ſignatum, quod Fauſtus a. 1457. exhibuit, *ſ ſpho ſuperiori* obſeruaui. Cur autem typographi talia initio praetermiſerint, tres potiſſimum cauſſas adfert SCHWARZIVS *l. c. Diſſ. II. p.* 44. Primum enim, quod iam antea memini me dicere, libros excuſos tunc pro manuſcriptis haberi adhuc voluerunt. Deinde intempeſtiuum ipſis fuiſſe videtur ſtatim innoteſcere,

teſcere, ne ad artificium patefaciendum ab aliis ſollicitarentur. Denique in eo libenter acquieuerunt, quod ſuae ſibi conſcii inuentionis eſſent, et alios quosdam huius rei nominare poſſent teſtes.

III.) Litterae illae maiores, quae initium faciunt, modo minio, modo colore coeruleo vel viridi, pictae ſunt saepius auroque diſtinctae. Praeter hoc in margine paginae prioris, non nunquam et alibi, encarpa varii coloris reperiri ſolent. Si plane deſiderentur litterae initiales, ſpatium ad eas capiendas relictum eſt vacuum, vt poſtea insererentur. Ratio inſtituti ſine controuerſia haec, ne libri excuſi manuque exarati inter ſe viderentur diſſimiles.

IV.) Vocum diuiſiones, quae alias finem conſtituunt lineae, primis typographiae annis admodum infrequentes ſunt.

V.) Carent libri plerumque commatibus, colis, ſemicolis, imo et punctis, verum his raro. Cola tamen et commata prius introducta fuere, quam ſemicola.

VI.) Scribendi compendia, vulgus ea vocat abbreuiaturas, vbique adparent, et ſaepenumero lectu difficillima ſunt.

VII.) Litterae quo propius accedunt ad incunabula artis, eo maiori laborant impuritate, deformitate, inaequalitate.

VIII.) Paginae neque ſupra numeros, neque infra litteras quasdam, ſiue cuſtodes habent.

IX.) Charta ſolida eſt et craſſa ſatis, noſtramque, qua typographi vti conſueuerunt, longe ſuperat.

X.) Primi libri maxima ex parte in folii forma, rarius in quadripartita, prodiere.

Quemadmodum vero nulla ſine exceptione eſt regula; ita et hic ſigna prolata fallere quandoque poſſe, lubens concedo. Plura hac de re ſuppeditat SEBAST. IAC. IVNGENDRES in Diſquiſitione, *Norimb. a.* 1740. *in* 4. edita, et ſic inſcripta: *de notis characteriſticis librorum, a typographiae incunabulo ad a M. D. impreſſorum, ex antiquiſſimis Codicibus inueſtigatis.*

§. XII.

Capta ab Adolpho, Archiepiſcopo, anno 1462. Moguntia, quae vrbs adhuc Imperii Romano-Germanici libera fuerat, multi typographis in re gerenda adiutores ac ſocii exceſſerunt non tantum, ſed in alias etiam Germaniae Europaeque totius partes diſperſi artem typographicam illico diſſeminarunt, antea velut in ergaſtulo apud Moguntinos habitam. Quae poſtrema verba Iohannis Schoefferi teſtimonio in fine TRITHEMII *Compendii de orig. regum et geſtis Francor. anno* 1515. *in f.* corroborare iuuabit. Ibi quippe haec leguntur: *Retinuerunt autem hi duo iam praenominati Ioannes Fuſt et Petrus Schoefferus artem in ſecreto*, (omnibus miniſtris ac familiaribus eorum, ne illam quoquo modo manifeſtarent, iure iurando adſtrictis.) *Quae tandem de anno* 1462. *per eosdem familiares in diuerſas terrarum prouincias diuulgata haud paruum ſumſit incrementum.* Accedit, Argentoratenſes interea, poſt Guttenbergii abitum, conſtanter continuaſſe ſimul typographiam litterarum ſculptarum. Anton. Heilmannus, ex primis Guttenbergii amicis reſiduus, cooptaſſe in ſodalitatem videtur Ioh. Mentelium, et Henr. Eggeſteinium. Ab illo *Biblia Latina* maioris formae anno 1466. ab hoc alius *Bibliorum Latinorum* Codex anno 1468. eadem forma, typis ex ligno ſculptis lucem adſpexit, vterque tamen ſine

die et

die et conſule. Primus autem liber Eggeſteiniani preli, et quidem litteris iisdem excuſus, cui typographi nomen, et locus, annusque adiectus, fuit *Gratiani Decretum*, anno 1471. duobus maximae formae Voluminibus abſolutum: primum e contrario *Vinc. Bellouacenſis Speculum Hiſtoriale*, quatuor maximae chartae Tomos explens, prodiit anno 1473. litteris fuſis Mentelii, hominis diuitis, ex officina. Vid. SCHOEPFLINI *Vindiciae typogr. Cap. IV, p.* 42. *ſq.* et *Cap. X. p.* 95. Hoc nunc loco de progreſſu artis in Germania, praecipuisque typographis quibusdam, qui eandem non propagarunt modo, ſed praeſtantiorem etiam reddiderunt, paullo agendum eſt fuſius. Quo de argumento neceſſaria conquirenti ſubſidia peropportune in oculos incurrit elegans SCHELHORNII, Viri laudatiſſimi, Obſeruatio in *Diatribe praeliminari*, QVIRINI *de optim. Scriptor. edit.* Libro praefixa, *p.* 35. Ibi enim haud infeliciter opinatur, duas operariorum tironumque migrationes e typographeo Moguntino proueniſſe, vnde veluti coloniae quaedam typographorum in alias regiones et vrbes deductae ſint: vnam anno 1455. eorum, qui a partibus ſteterint Guttenbergii, acerbe ferentium ipſi adparatum typographicum ereptum Fauſti iniuria eſſe; alteram vero Moguntia per inſidias occupata, miſereque vaſtata. *Ab illis, ait, modus libros typis ex ligno vel aere ſculptis excudendi in alias vrbes propagatus, ab his typi fuſiles vſurpati. Hinc conſtat ratio, quare editiones quorundam tam inuenuſtae, rudes atque inconcinnae exiſtant, quia nimirum non nulli, cum Moguntia, antehac nihil tale opinantes, aliorſum dilaberentur, artis nondum ſatis periti, vel etiam pecunia, optimo illo rerum feliciter gerendarum neruo, deſtituti erant.* Quae ſi vera ſunt, certe non abhorrent a fide, ii hallucinantur, qui omnes libros, typis ſculptis excuſos,

nec

nec anni, loci, vel typographi habentes notam, ad prima artis initia, eiusque auctores referunt, Guttenbergium ſcilicet ac Fauſtum. Inter vrbes autem Germaniae, quibuscum typographia communicata eſt, principem obtinet locum *Colonia Agrippina*, vbi Vlric. Zellius, ſeu, vt ipſe ſe vocauit, Zelius, Hanouienſis patria, quantumque coniecturis adſequi licet, Guttenbergii olim diſcipulus, iam *anno* 1467. *in* 4. excudit AVGVSTINI *de ſingularitate Clericorum* librum; quod illuſtris MEERMANNI fide ſcribit SCHELHORNIVS *l. c. p.* 71. Idem *p.* 43. *ſq.* de Vlrico Zellio, primo typographo Colonienſi, varia obſeruauit. Collegas habuit Arnoldum ther Hoernen, Petrum de Olpe, et Ioh. Koelhofium de Lubeck, qui omnes ſtrenue in libris, preli beneficio diuulgandis, occupati fuere. Sine dubio autem errauit ſiue LESSERVS, ſiue typotheta, in *Typographia iubilante Cap. II. p.* 52. dum Koelhofii induſtriae tribuuntur Epiſtolae Aeneae Sylvii, iam anno 1458. typis exſcriptae. Probandum fuerat merito, tunc temporis officinam typographicam Coloniae exſtitiſſe. Recte igitur errorem eiusque, vnde manauit, fontem indicauit BÜNEMANNVS in *Notit. Scriptor. art. typogr. illuſtrantium p.* 34. *Auguſtam Vindelicorum* artem transtulit Ioh. Baemlerus, *anno*que 1466. *Vol. II. in f.* conſummauit *Biblia Latina*, prout memorat ACHILLES GASSARVS in *Annalibus Augſtburg.* apud MEMCKENIVM *Tomo I. Scriptor. rer. Germ. p.* 1660. Litterae craſſae ſunt admodum, nec inter ſe aequales; ideoque credi facile poteſt, eas ſculptas ex ligno fuiſſe. Cf. CLEMENT in *Biblioth. de livres, dificiles à trouver, Tomo IV. p.* 87. *ſq.* Eodem tempore floruit Guntherus Zeiner, Reutlingenſis, qui *anno* 1469. IOH. DE IANVA *Catholicon in f. mai. a.* 1472. ISIDORI HISPALENSIS *Etymologias*, eiusdem item librum *de reſponſione mundi et aſtro-*

et aſtrorum ordinatione typis Romanis fuſilibus, iisque perpulchris, et elegantiſſimos Nic. Ienſonii characteres aemulantibus, excudit. Itaque colligit SCHELHORNIVS *l. c. p.* 30. ex Fauſti eum ſchola proceſſiſſe. *Mirum eſt, Guntherum iam charactere fere Italico et perquam nitido vſum eſſe, quum ſuperiori anno* (1471.) *ſpeculum vitae humanae typis tam pinguibus et magnis, qui tamen et ipſi ſplendorem quendam prae ſe ferrent, impreſſerit.* Verba ſunt SCHWARZII in *Indice IV. libror. ſaec. XV. impreſſor. p.* 105. *Vol. II. Actor. Francon. erud. et curioſ.* Recentiori aetate ibidem innotuit officina ad *inſigne pinus*, a ciuitatis teſſera, quae pinum refert, ſic adpellata, cum epigraphe: *bonos erit huic quoque pomo.* Conſilio Dav. Hoeſchelii ab Marco Velſero circa annum 1594. erecta, et a viris aliis egregiis magno ſumtu eſt ſuſtentata. Deſiiſſe autem poſt obitum conditoris anno 1614. videtur. Altum de ea in hiſtoria typographica ſilentium eſt. Adſcribi ergo merentur, quae IAC. BRVCKERVS in *Vita Hoeſchelii p.* 455. *Miſcellan. philoſoph. et litterar.* diſſeruit. Verba haec ſunt: *In ea elegantiſſimis typis Graecis et Latinis, operam ſuam commodantibus egregiis typographis, Ioh. Praetorio, Davide Franckio, et Mich. Mangero, praeſtantiſſimi libri non Hoeſchelii tantum, ſed et aliorum doctorum in charta pulchra, firma et candida, mundiſſimo habitu prodierunt, Hoeſchelio in id potiſſimum contendente, vt exirent emaculatiſſimi; vnde Auguſtani magnam hac de re laudem reportarunt.* Hiſtoriam typographiae Auguſtanae ad annum vsque 1530. deductam, promiſit aliquando IOH. GE. LOTTERVS. Vid. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1732. *p.* 80. Sed fruſtra nunc exſpectatur libellus, homine hoc docto iam pridem Petroburgi exſtincto. Interim vicem eius explere ſtuduit ciuis celeberrimus, laudatus BRVCKERVS, et in *Parte XXIII. artic.* 3. *Muſei Helue-*

tici

tici propoſuit Hiſtoriam typographiae Auguſtanae. Nunc idem parat, vt perſpicio ex *Parte I. der Schriften von der Duisburgiſchen Gelehrt. Geſellſchaft p.* 164. Annales typographiae Auguſtanae, ab artis initiis, vsque ad annum 1500. deductos; quod quidem ſcriptum auide exſpectamus. *Norimberga* ſuum habuit Anton. Koburgerum, qui hanc artem anno circiter 1470. ibidem introduxit, breuique tantos fecit progreſſus, vt quatuor et viginti prelis vti poſſet. Singulis diebus vel centum in ipſius officina homines laborarunt, qui ſtatis horis abire ac redire conſueuerant, ita vero, vt nulli ianua pateret, niſi poſtquam ad vnum omnes conueniſſent; vnde horis pomeridianis aceruatim ad oſtium heri ſtantes ſua exſpectarunt negotia. Per praecipuas Germaniae vrbes, imo et in Gallia, tabernas inſtituit librarias, Lugdunique ſingularem condidit officinam, excudendis potiſſimum Operibus iuridicis dicatam. Vehementer ſe commendarunt, quaecunque edidit, librorum amatoribus; adhibuit enim Correctores adcuratos, quos inter maxime praedicantur Frid. Piſtorius et Ioh. Ammerbachius. Vid. DOPPELMAYR *hiſtor. Nachr. von den Nürnberg. Mathemat. vnd Künſtlern*, *P. II. lib.* 1. ex quo haec repetuntur in *Actis Franconiae erudit. et curioſis Vol. II. Collect.* 22. *p.* 734. Add. etiam IOH. CONR. ZELTNERI *Centur. erudit. Corrector. p.* 15. et ERHARDI REVSCHII *ſummariſche Nachricht von den erſten, inſonderheit Nürnbergiſchen, Buchdruckern*; quod ſcriptum praemiſſum eſt IOH. HENR. GODOFR. ERNESTI *wohl eingerichteten Buchdruckerey*, *Norimb. a.* 1721. iterumque, non nihil auctius, *a.* 1733. *in* 4. *oblongo.* In Parte priore Reuſchius exponit breuiter Coſteri, Guttenbergii, Fauſti, Manutii, Frobenii, Oporini, Roberti Stephani, et Chriſtoph. Plantini vitas; horumque imagines, aere non inele-

ganter

ganter expreſſae, inſertae ſunt. Pars altera vero de Noricis typographis ſigillatim agit. Intelligitur exinde, nullum adhuc innotuiſſe librum, ibidem typis impreſſum, qui anno ſit 1470. antiquior: primosque, praeter Koburgerum, typographos fuiſſe Ioh. Senſenſchmid, Henr. Keferum, Frid. Creusſnerum, et Andr. Friſnerum. Ipſam hanc pertractationem inſpicere non licuit. Potiora tamen ex eadem legi in *den nützlichen Arbeiten der Gelehrten im Reich*, *p.* 237. *ſq.* Rariſſima dicitur editio prior, altera caſtrata, in *Catalogo Biblioth. Anonymianae*, *Norimb. a.* 1738. *in* 8. publicato, *p.* 85. *num.* 80. Maittairius et poſt eum alii, laudant *Biblia Latina* Koburgeri, *annum* 1471. quae praeferant. Si certum hoc eſt, quamquam res non nihil ſuſpecta videtur CLEMENTIO in *Bibl. de livr. dificiles à trouver*, *Tomo IV. p.* 92. omnino ad Codices longe rariſſimos pertinet illud exemplar. Notius eſt illud, quod eadem ex officina *anno* 1475. *in f.* prodiit. Exſtat etiam in mea ſupellectile libraria *Aurea Bulla*, per Koburgerum *anno* 1477. *in* 4. *mai.* diuulgata, inſigne profecto Opuſculum, paucisque viſum. Ob varias, quibus a reliquis editionibus, in multis haud exigui momenti rebus, diſcrepat, lectiones admodum eſt commendabile. Fuſius illud deſcriptum a IOH. IAC. MOSERO *Miſcell. iurid. hiſtor. P. II. p.* 684. *ſq.* qua in obſeruatione Vir illuſtris etiam rariſſimum id ipſum dicit, primumque inter editiones Aureae Bullae Latinas. Complectitur autem folia tria et viginti. Cuiuslibet Capituli littera maior colore rubro eſt picta, quo et colore minores paſſim diſtinctae fulgent. Eodem fere anno 1470. ad *Vlmanos* perueniſſe typographia videtur. Anno minimum 1472. iam libros ibidem excudit Iohannes Zeinerus, Guntheri, de quo ſupra, vel frater, vel agnatus. Guttenbergii diſcipulum ideo fuiſſe

fuiſſe colligit SCHELHORN. *l. c. p.* 30. quod Vlmae vſus adhuc ſit characteribus ſculptis ſolutilibus, idque ipſam eorum inaequalitatem, vbiuis obuiam, oſtendere docet. Certe ad annum vsque 1476. libri eius typis talibus impreſſi fuere. Adiungendi huic Leonard. Holle, et Conr. Dinckmuth. Plura de aliis congeſſit LVDOV. BARTHOL. HERTTENSTEIN, cuius *Nachricht von den Vlmiſchen Künſtlern vnd berühmten Buchdruckern* reperitur in *den nützlich. Arbeit. der Gelehrt. im Reich*, *p.* 597. *ſq.* Idem argumentum poſtea pertractatum ab ANTON. BECKIO in *den Vlmiſchen Iubelreden*, *Vlmae a.* 1740. *in* 8. et Oratione quidem tertia, *p.* 85. *ſq.* Circa annum 1475. typographiam accepere *Lubecenſes*, primumque Opus, de quo certe conſtat, a Luca Brandis de Schasſ, vel de Schaſſen, *in f.* impreſſum, *Rudimentum nouitiorum* inſcribitur. Copioſe diſſerit de eodem I. H. VON SEELEN *Selector. litterar. p.* 558. *ſq.* ex *edit. ſecunda.* Cf. eiusdem *Nachricht von der Lübeckiſchen Buchdruckerey*, *Lubecae* 1740. *in* 8. *p.* 4. *ſq.* Supplementorum non nihil ad hocce Opuſculum in KOHLII *Hamburg. Bericht. von gel. Sach. a.* 1744. *p.* 578. exhibetur. Ludouicum Diezium, Spirenſem, primum *Roſtochii* typographiam exercuiſſe, (factum hoc ab anno 1513.) tradit FABRICIVS *Bibliotb. Latinae Vol. III. p.* 899. idemque credidit GEORG. FRID. STIEBERVS in *der Mecklenburg. Hiſtor. der Gelehrſamkeit*, *Cap. II. p.* 66. Sed, quod recte obſeruauit ERN. IOACH. A WESTPHALEN in *Praefat. Tomo I. rer. Cimbric. et Megapolenſium* praefixa, *p.* 24. primum forte typographeum inſtructum, diu ante Diezium, a Fratribus presbyteris et Clericis congregationis Domus viridis horti ad St. Michaelem, quorum curae debetur, quem FABRICIVS *p.* 397. editum *ibidem a.* 1476. *in f.* adfert, LACTANTIVS. Cf. *Etwas von gelehrten Roſtock. Sachen*

eben anno 1740. *in* 8. *p.* 529. *et p.* 567. *ſq.* vbi exſtat *Nachricht von den erſten Roſtockiſchen Buchdruckereyen.* Sic et circa annum 1480. diuina ars innotuit *Lipſiae,* quum iam, quod mireris, ab annis aliquot Merſeburgi recepta fuerit. Vetuſtiſſimus Lipſiae excuſorum dicitur IOH. WIDMANNI *de numerorum doctrina* libellus, *anno* 1480. per Conrad. Kachelofenium editus Germanice. Eiusdem ſunt aetatis Marcus Brand, et Mauritius Brandiss, qui varia Opera, quaſi primitias artis, produxerant. Paullo poſt Melch. Lotterus, et Martinus. Landsberg, Baccalaureus Herbipolenſis, acceſſere. Landsbergii, qui plerumque, more ſaeculi, Martinum Herbipolenſem ſe vocauit, officina, quam et Halae ad Salam aliquamdiu floruiſſe conſtat, elimata et ad vnguem caſtigata antiquorum Scriptorum Volumina dedit. Praecipue in Ariſtotele deſcribendo fuit occupatus. Tum Wolfg. Molitor, alias Stöcklin, Monacenſis, vel Stoeckel de Monaco, quibus frequentiſſime vſus eſt nominibus, artem Lypſiae excolere coepit, nullo Germanorum typographorum inferior, ſiue magnitudinem emendatiſſimorum Operum, ſiue nitorem et praeſtantiam ſpectes. Saeculo, quod ſequebatur, XVI. vltra dimidium exacto, Erneſti Voegelini adcurata induſtria effectum eſt, vt eius editiones Aldinis et Iuntinis a multis aequipararentur. Sicut vero typis Latinis pulcherrimis cum omnibus aeui ſui typographis contendere de principatu poterat: ita in Graecis potiſſimum, quid valeret ars typographica, videtur eſſe expertus. LEICHIVS cum primis prouocat ad *Noui Foederis* libros in membranis anno 1595. excuſos, eosque tam pulchra, tam ſplendida, tam emendata artis ſpecimina ſiſtere docet, vt nihil eo genere abſolutius vnquam ſe vidiſſe, meminerit. Addo ATHANASII *de S. Trinitate Dialogos*

gos quinque Gr. et Lat. *a.* 1573. *in* 8. cuius editionis nitor vnumquemque oblectabit, Quoniam Voegelinus clam excuderat Catechiſmum Crypto-Caluinianum Vitembergenſem, patriam relinquere debuit, quo facto ſe contulit ad Ioh. Caſimirum, Comitem Palatinum, ipſique aliquamdiu fuit a ſecretis. Poſt nouam officinam typographicam Heidelbergae inſtruxit, patre mortuo ad filium, Gotthardum, propagatam. Vid. ZELTNERI *Leben Hanns Luffts p.* 104. *in notis*. Quid IOACH. CAMERARIVS de patre ſentiat eiusque conatibus, legi meretur *Epiſtol. familiar. lib. II. epiſt.* 6. *p.* 116. *ſq.* Caeterum commendandus hic eruditus, quem adhibui, IOH. HENR. LEICHII *de origine et incrementis typographiae Lipſienſis* Commentarius, *Lipſ. a.* 1740. *in* 4. Quatuor luſtris ante IOH. IMMAN. MÜLLERVS breue ſcriptum Germanicum *von der Leipz. Buchdruckerey nach ihrer erſten Beſchaffenheit in* 4. emiſerat, cuius recenſio copioſa occurrit in *Theſauro Bibliothecali, Vol. I. p.* 321. *ſq.* Sic et *Eslingae* circa annum 1475. *Spirae* anno 1477. *Memmingae* 1483. *Erfurti* 1489. *Tubingae a.* 1488. vel potius 1498. per Ioh. Ottmarum, vt plures Germaniae vrbes taceam, liberaliter fuit recepta typographia. *Luneburgi* hoc factum *anno* 1493. quo Ioh. Luce THOMAE a KEMPIS *de imitat. Chriſti librum in* 8. e prelo ſuo emiſit, MAITTAIRIO teſtante *Annal. typogr. Tomo IV. p.* 556. Cf. LESSERI *Typogr. iubilans*, *Cap. II. p*, 47. *ſq.* qui tamen Scriptor caute legendus, et ſpeciatim de Tubinga ZELLERI *Merckwürd. der Vniuerſitaet vnd Stadt Tübingen p.* 715. *ſq.*

§. XIII.

Inſequenti ſaeculo XVI. varii adhuc innotuere Germanorum typographi, quorum commendari nomen in Hiſtoria litteraria ſolet. *Dreſdae* primum

mum artis amplificandae ſtudioſus fuit Wolfgang. Stöckelius, Monacenſis, de quo ſupra, in vrbem hanc ſplendidam anno 1524. Lipſia vocatus. Vid. CHRIST. SCHOETTGENII *Hiſtorie der Dresdniſchen Buchdrucker*, *Dreſdae a.* 1740. *in* 4. nec non CHRIST. AVG. FREYBERGII Sched. *ibid. eod. anno, eademque forma editum*, inſcriptumque *von den allerersten vnd älteſten Buchdruckern zu Dreſden.* Inter primos illos typographos, qui *Francofurti ad Moenum* ſedem rerum ac fortunarum ſuarum conſtituerunt, Chriſtian. Egenolphus laudatur. Officinae, quam habuit, initium in anno 1533. ponit IOH. BERN. MVLLERVS *p.* 181. *der Beſchreib. des gegenwärt. Zuſtandes der Stadt Franckfurt am Mayn.* Hadamarienſem Comitatum patriam fuiſſe hominis docti, cuius etiam ex ingenio ſcriptorum non nihil profectum eſt, LESSERVS *l. c. p.* 306. §. 148. teſtatur. IOECHERVS in *Lexico Erudit. Tomo II. p.* 286. eiusdem fecit mentionem, natumque dixit anno 1519. Chriſtianum, et mortuum anno 1598, quae parum ſunt adcurata. Quum enim *Argent a.* 1530. *in* 8. ediderit optimas Latinae linguae formulas ex Terentii Comoediis, ſequeretur inde, puerum tunc Egenolphum vndecim annorum fuiſſe. Certiora docet clariſſimus HAGERVS in *der ſo nöthigen als nützlich. Buchdruckerkunſt vnd Schriftgieſſerey, P. II. p.* 144. vbi typographi illius ortus ad annum 1503. obitus vero ad annum 1555. refertur. Dein ibidem inclaruerunt Zach. Palthenius et Sigism. Feierabentus, pictor ſimul atque ſculptor haud vulgaris. Vidi LIVIVM *anno* 1568. *in f.* ab eo diuulgatum, qui ſplendidus eſt, multisque figuris, eleganter ligno inciſis, exornatus. Eadem ſe ratione typi commendant, quibus vſus eſt, quum *a.* 1577. IAC. MANDELLI *Conſilia* produceret in lucem. Praecipuam vero eruditorum ſibi laudem peperit

 offici-

officina *Wecheliana.* Auctor eius fuit Andr. Wechelius, Chriſtiani, typographi Pariſienſis, filius, bellorum ciuilium procellis in Germaniam, vnde patri origo fuerat, eiectus, poſtquam circa annum 1569. libri eius officinae Pariſiis publice combuſti fuerant, bonis omnibus Fiſco ſimul addictis, teſte MELCH. ADAMO in *Vit. Germ. Ictor. p.* 431. vbi de Laur. Zincgrefio ipſi ſermo eſt. Exercere artem ſuam coepit Francofurti anno circiter 1573. Ope ſuffultus eſt Ioh. Aubrii et Claudii Marnii, generorum, qui poſt mortem Soceri a. 1581. primum haeredum Wechelianorum, tum ſuo nomine typographiam continuarunt Hanouiae ſimul. Succeſſerunt Dan. ac Dauid, filii Aubrii, cum genero eiusdem Clemente Schleichio, qui anno 1639. e vita diſceſſit. Adeo Voluminum et multitudine, et praeſtantia, caput haec officina extulit, vt de illa, quod ad ſolos attinet hiſtoricos, quum tamen in Iurisprudentia etiam, Medicina, Philologia, vix minora praeſtiterit, ſcribere non dubitet ANDREAS SCHOTTVS in *Praef. Tomi III. rerum Hiſpanicarum,* Wechelianos ſuo ſaeculo ſic typis ſuis hiſtoriarum ſeriem adornaſſe, pecuniaque locupletaſſe, vt dicere liceat, regiam poſſe Bibliothecam, ſummi etiam pretii, ab vnis illis commode inſtrui. Vid. MALLINKROT Diſſ. *de ortu et progr. art. typogr. p.* 87. et in *Collect. Wolfiana P. I. p.* 725. Maxime apud hos typographos prodiere cum Graeci Hiſtorici, correctore Frid. Sylburgio, de quo infra, tum Latini, Scriptores potiſſimum rerum Hiſpanicarum, Italicarum, Britannicarum, aliarumque gentium. Perſpici haec poſſunt clarius ex *Catalogo ſcriptorum, quae in typographia Wecheliana excuſa fuerunt, Hanouiae a.* 1590. 8. Exſtat alius *Catalogus librorum Wechelianorum, qui in officina libraria Dan. et Dauid. Aubriorum ac Clem. Schleichii venales reperiuntur, Fran-*

Francof. a. 1618. *in* 4. editus, ex quo adparet, quid hi praeſtiterint. Inſigne Wechelianum fuit caduceus alatus, cum duobus cornibus Amaltheae, quem caduceum tenent manus ex nubibus porrectae, binique ſerpentes ſtridentes amplexu circumplicant. Superimpoſitus Pegaſus, alacriter currens. Cf. BAYLE in *Diction. hiſt. et crit. v.* Wechel, MAITTAIRIVS *Annal. typogr. Tomo III. p.* 455. *ſq.* et GROSCHVFFII Praef. *nouae libror. rar. Collect.* Halenſi praemiſſa, *p. 6. nota c*) vbi ſic ſcribit: *quae poſt Andr. Wecheli obitum ex officina huius prodierunt, nec curo, nec commendo, et grandioribus ſaepe, ac multis typographorum erroribus ſcatent.* Plura de celebrioribus officinis Francofurtanis ſuppeditabit CHRISTIAN. MÜNDENIVS *im hiſtoriſch. Bericht von den Franckfurter Buchdruckern*, quae Commentatio eſt obuia in eiusdem *Danckpredigt bey dem dritten Iubelfeſt der Buchdruckerkunſt, Frf. a.* 1741. *in* 8. *p.* 172. *ſq.* Didici hoc ex *Biblioth. Bünav. Catalogo*, ipſum enim librum, poſt obitum Mündenii ab IOH. ERASMO GE. VON KLETTENBERG diuulgatum, hic et alibi fruſtra requiſiui. *Heidelbergam* inſigniter nobilitauit typographeum Commelinianum, auctore Hieron. Commelino, de quo non ab re mihi eſſe videtur, adſcribi teſtimonium THVANI ſub finem *libri CXIX. Hiſtoriarum, p.* 478. *edit. Francof.* annum 1621. praeferentis. Sic autem Hiſtoricus grauiſſimus: *Hieron. Commelinus, alias Santandreanus dictus*, (habuit enim, LESSERO teſte *p.* 303. procuratorem rerum ſuarum, cui Andreae nomen erat; inde officina eius S. Andreana idemtidem vocata a S. Andrea, huius procuratoris inſigni,) *natione Gallus, qui translato e patria Geneuam primum, dein Heidelbergam domicilio, rem litterariam multum iuuit, editis tum veterum Graecorum plurimis, nunquam antea editis monumentis, tum Athanaſio in primis et B. Ioannis*

nis Chryſoſtomi magna Operum parte, in quibus et propria induſtria multum contulit, et immatura morte hoc anno exeunte (1597.) *nobis ereptus, filiis eandem curam quaſi haereditario iure demandauit.* Recte immaturam eius mortem Thuanus dicit; anno enim 1560. demum natus fuerat. Obiiſſe vero hominem optimum litteriſque mirifice inſtructum, peſtilentiſſima lue, quae tunc omnes Germaniae prouincias adfecerat, annoque ante praeceſſiſſe ipſum, eodem contagioſo morbo, Frid. Sylburgium, ab Electore Palatino Heidelbergam euocatum, vt in officina Commeliniana omnium Patrum eccleſiaſticorum editionem curaret, ac ſummo ſtudio emendaret, ZELTNERVS *Centur. Corrector. in typograph. erudit. p.* 528. *ſq.* commemorat. Libri, quos Commelinus emiſit, adcuratiſſimi ſunt, nec Stephanianis cedunt, ideoque magni aeſtimari ſolent ab eruditis. Rarius tamen hodie inueniuntur. Quantopere mortem eius deplorarit IOSEPH. SCALIGER, docet *Epiſtola* 405. *libro IV. p.* 690. *ſq.* Quidam filiorum, Abrah. Commelinus, Lugd. Batauorum ſaeculo XVII. typographiae operam dedit, vidique ego TACITI *Vitam Agricolae*, cum Boxhornii Commentar. *anno* 1642. *in* 12. item VIRGILIVM, cura SCHREVELII, *a.* 1645. *in* 4. eleganter in eius officina excuſum. *Bardi*, quod Pomeraniae citerioris oppidum eſt, auſpiciis ſumtuque Bogislai XIII. Principis egregia officina typographica anno 1582. condita fuit, ex qua varii libri, iam rariſſimi, nitide prodierunt. Primus ei praefectus Andreas Seytnerus dicitur, cui ſucceſſit Iohannes Wittius, ſeu Latino nomine Albinus. Exſpirauit conatus laudabilis anno 1605. Plura de hoc argumento congeſſit IOH. CAR. CONR. OELRICHS, Vir clariſſimus, mihique amiciſſimus, in *der hiſtoriſchen Nachricht von der vortreflichen ehemahligen fürſtlichen Buchdruckerey*

zu

zu Bard in Pommern, *Sedini a.* 1756. *in* 8. Hac etiam occaſione alia typographia illuſtris in mentem venit, quam Frider. Guilielmus, Saxoniae Dux, et aliquamdiu Electoratus Saxonici Adminiſtrator, in arce Hartenfelſenſi *Torgauiae* anno circiter 1594. conſtituit. De Principe hoc ita in *Miſcellan. Lipſienſibus Pezoldianis*, *Tomo V. p.* 2. IOH. DAV. SCHREBERVS, quem olim praeceptorem nactus fideliſſimum ſum, ita diſſerit: *Loquuntur aſſiduum ipſius ſtudium, et vigiles de cultu diuino, ſuorumque meliori educatione, curas tot egregia etiam monumenta, quae in officina ſua typographica, quam in arce Torgauienſi inſtruxerat, curauit excudi, ipſe artis eius, qua libri typis ſtanneis in exemplaria transfunduntur innumera, haud imperitus, atque ita amans, vt, quod Geſnerus in Threnologia Academiae Wittebergenſis ſcribit, quoties per occupationes licebat, typographeum ſuum inuiſeret, operisque adſideret attentus.* Prouocat deinde ad TENTZELIVM in *den monatblich. Vnterredungen anni* 1698. *p.* 606. libros quosdam recenſentem, hac in officina qui lucem adſpexere. Tales ſunt: LVTHERI *Conciones domi publiceque habitae*, per Ioh. Wanckelium Latine redditae *anno* 1597. *in fol.* (de quibus in *den Vnſchuld. Nachr. a.* 1712. *p.* 75. teſtatur, quicunque ea ſcripſit, ipſum Principem admouiſſe manus Operi excudendo, typosque et chartam admodum eſſe nitidam;) IOH. CLAII *Explicationes anniuerſariorum Euangeliorum in* 4. Tomis tribus; GVEVARAE. *Horologium Principum*, ex lingua Hiſpanica in Latinam, laudato Wanckelio interprete, conuerſum; ipſius FRID. GVILIELMI *Exercitationes Horarum ſubſeciuarum* 1598. *in f.* et, quas Tentzelius praetermiſit, eiusdem Principis *Precationes piae*, Latine ac Germanice ſcriptae, iamque *anno* 1595. *in* 4. euulgatae. Singuli hi libri ſequenti ſunt formula diſtincti: *Torgae ex officina illu-*

 ſtri;

ſtri; vel: *Torgae in Typographeio Principali.* Adeo autem ſe ſubduxerunt oculis, vt noſtra aetate ne in locupletiſſimis quidem Bibliothecis occurrant. Eadem, quae Schreberus expoſuerat, repetiit HENR. AVG. SCHVMACHERVS in Progr. *Lipſiae a.* 1755. *in* 4. excuſo *de Friderici Guilielmi, Ducis et Pro-Electoris Saxoniae, in rem ſacram, ciuilem et litterariam meritis p.* 9. Quae vero et apud hunc virum doctum, et apud Tentzelium, itemque DAN. FRID. IANVM in Comment. *de fatis Dedicationum librorum p.* 43. leguntur, Fridericum ſcilicet Guilielmum typos argenteos fundendos curaſſe, ea quidem ideo fabulam redolere arbitror, quod argentum longe mollius eſt, quam vt preli ſuſtinere vim poſſit. Id e contrario lubens conceſſerim, non nihil ſaltim argenti forte admixtum fuiſſe. Probarunt opiniorem meam artis periti, iam que PAVL. PATER in Diſſ. *de Germaniae miraculo, typis litterarum, earumque differentiis, p.* 722. *Parte I. Collect. Wolfianae* adſerere non dubitauit, fallere ac falli, qui Gallos, Anglos, et praecipue Batauos, typos quosdam argenteos habere credant: euidentia facti, et artificum teſtimonio ſatis euictum eſſe, reſpuere argentum fuſionem iſthanc in modulis orichalceis. Cf. LESSERI *typogr. iubilans p.* 185. Interim vellem omnino ad manus eſſet MICH. HENR. REINHARDI Progr. *de Typographia Torgauienſi illuſtri, anno* 1740. *in* 4. *Torgauiae* publicatum, quo de inſigni hac officina, et aliis rebus ad eam pertinentibus, agere liceret adcuratius. Sed, quae ſunt eiusmodi ſcriptorum minutorum fata, haud adeo innotuiſſe commentatio haec extra patriam videtur. Id ſolum didici ab HAGERO P. III. *p.* 499. *der ſo nöthig als nützlichen Buchdruckerkunſt,* Auctorem cauſſam eorum tueri, qui typos argenteos officinae Torgauienſi attribuerunt. Idem Vir clariſſimus *l. c. p.* 365. obſeruat, Principem, finita admi-

adminiſtratione, anno 1601. typographiam ſuam Vinariam tranſtuliſſe, mox autem, eo mortuo, hanc ipſam a Vidua fuiſſe Altenburgum abductam. Cf. SCHROENII *Entwurf der Hiſtorie von der hochfürſtl. Sachſen Weimariſch. Hofbuchdruckerey*, *p.* 61 - 69. Reperitur hoc ſcriptum in *dem Weimariſch. Beytrag zur Begebung des dritten hundertiährigen Iubelfeſtes der Buchdruckerkunſt*, *Vinar.* 1740. *in* 8. *Vitembergae*, vbi ars typographica ſaeculi XVI. initio tractata fuit, (anno certe 1505. iam Herm. Trebelium PETR. RAVENNATIS, *libr. ſermonum* in *Feſtis* excudiſſe, beatus Socer, VAL. ERN. LOESCHERVS, in *Stromat.* p. 261. docet,) anno circiter 1524. inclaruit Iohannes Lufft, primumque LVTHERI *verſionem Bibliorum Germanicam* coniunctе *anno* 1534. *inf.* Volum. II. abſoluit, quae tam rara eſt editio, vt fuerint, qui eandem exſiſtere negarent. Vid. CLEMENT. *Bibl. de livr. dific. à trouver*, *Tomo III. p.* 363. *ſq.* et IOH. MELCH. KRAFFT *danckbare Erneuerung der vor* 200. *Iahren* 1534. *zum erſten völlig zuſammengedruckten verdeutſchten Bibel Lutheri*, *Altonauiae* 1734. *in* 4. De fatis autem huius typographi, poſterorum digniſſimi memoria, data opera egit GVSTAV. GE. ZELTNERVS in *der kurtzgefaſten Hiſtorie der gedruckten Bibel-Verſion*, *vnd anderer Schriften Mart. Lutheri*, *in der Beſchreib. des Lebens vnd Fatorum Hanns Luffts*, *berühmten Buchdruckers vnd Händlers zu Wittenberg*, *Norimb. et Altorf.* 1727. *in* 4. Sigillatim de typis eius, charta, correctoribusque Auctori *p.* 69. *ſq.* ſermo eſt. Idem hiſtoriae *p.* 66. meminit, quam ANDR. RIVINVS apud WOLFIVM *Parte I. p.* 895. aliique plures attulere, ſcilicet Lufftii nomen, ob excuſa Lutheri Biblia, quotannis a Pontifice Romano inſcriptum papyro, coniectumque in ignem cum imprecationibus vſitatis fuiſſe, quas riſerit typographus Vitembergae, eo

 ipſo

ipſo die plerumque inter amicos iucunde bibens, et ſic loqui adſuetus: *hodie ego vehementer Romae in flamma deſudabo, largiore igitur potu vtar, ad eam exſtinguendam, neceſſe eſt.* Supplementa hanc ad Vitam dedit BEYSCHLAGIVS in *Sylloge varior. Opuſcul. Tomo I. faſc.* 2. *art.* 5. *p.* 369. Conf. etiam de Lufftio, et illius Collegis, *Relation von dem Wittenb. Buchdrucker-Iubilaeo a.* 1740. *Vitemb. e. a. in* 4. cui libello *p.* 91. acceſſit *hiſtoriſche Nachricht von allen Wittenbergiſchen Buchdruckern, welche ſeit Erfindung der Druckerkunſt allhier, ſonderlich zur Zeit der Reformation Lutheri, Druckereyen gehabt haben.* Quantum intellexi ex KOHLII *Hamburg. Berichten a* 1741. *p.* 150. auctor, EPHR. GOTTLOB EICHSFELDVS, primum librum, a Ioh. Grünenberg, anno 1509. typis impreſſum dicit, et ſic quidem inſcriptum: *Die Zaigung des hochlobwürdigen Heiligthums.* Qua in re ab opinione Loeſcheriana recedit. De ortu typographiae *Berolinenſis* collegit quaedam IOACH. ERN. BERGERVS in *Inſtructorio Biblico, oder Vnterricht von den Deutſchen Bibeln, Berol. a.* 1730. *in* 8. ex edit. tertia. Indicat nimirum Praefatio Opuſculi, primum vrbis huius typographum Ioh. Weiſſium videri, qui poſtquam Vitemberga Berolinum commigrarat, ibidem anno circiter 1540. libros e prelo emiſerit. MAITTAIRIVS quidem *Annal. typogr. Tomo IV. p.* 458. meminit libri *in* 4. *Bibelſche ende andere Hiſtorien en Meditatien* inſcripti, *ibidem*que iam *a.* 1484. editi; ſed ipſe in nota quadam ea de re dubitat. Vberiorem Hiſtoriam artis typographicae in Marchia Brandenburgenſi meditatus eſt, vt ex loco adducto perſpicitur, ſed non edidit, Bergerus. Interim id praeſtare ſtuduit GE. GODOFR. KÜSTERVS, a quo habemus *Hiſtoriam artis typographicae in Marchia, Berol. a.* 1746. *in* 4. exhibitam.

§. XIV.

Digitized by Google

§. XIV.

Diſpiciamus nunc, quando ars typographica introducta ſit in Italiam. Equidem id contigiſſe anno 1458. vel a. 1465. contendit GIOV. BATTISTA NATOLINI in *Diſcorſo intorno l' arte della Stampa, Vtini a.* 1606. *in f.* quo de Opuſculo AVG. BEYERVS in *Memoriis hiſt. crit. libror. rarior. p.* 49. dicit, quod rarum ſit, omnibusque illis, qui hoc in argumento verſati ſunt, adhuc incognitum. Sed, quod ad priorem pertinet annum, iam nemo ignorat, illum neutiquam habere hic locum poſſe. Id e contrario certum eſt atque expeditum, LACTANTII *libros inſtitutionum diuinarum*, et alios eiusdem, in *Monaſterio Sublacenſi*, haud procul a Roma, prodiiſſe *anno* 1465. *in f.* ſatis nitidis profecto typis, eximiisque chartis. Poſſedit olim exemplar huius editionis, non niſi pauciſſimis in Bibliothecis obuiae, SCHWARZIVS, quod ipſe profitetur *Diſſ. I. de orig. typogr.* p. 30. Cf. MAITTAIRIVS *Annal. typo Tomo IV*, quem bibliopola falſo primum, iterum excuſum, adpellauit, *p.* 8. *et* 9. itemque SINCERI *Nachr. von alten rar. Büchern*, *Tomo I. p.* 101. *ſq.* Errant vtique cum MONTFAVCONIO, *Diarii Italici p.* 256. qui annum 1461. Lactantio huic adſcribunt. Iisdem, quibus dictus Auctor, typis impreſſus eſt, eademque forma, *anno* 1467. menſe Iunio Auguſtinus *de Ciuitate Dei*, ſine loci ac typographi indicio. Facilis igitur coniectura, iſtum quoque librum officinae Sublacenſi deberi. Cf. CLEMENT *Tomo II. p.* 260. At enim, a quonam eſt prelo ſubiectus? SCHELHORNIVS V. C. in *Diatriba* praemiſſa QVIRINI Opuſculo *de optim. Scriptor. edit. Romanis*, *Obſeruat. VI. p.* 49. nominat primos illos typographos Romanos, Conrad. Schweinheim et Arnold. Pannarz, inſignes Germanorum duumuiros, quorum ille cogno-

gnomen ſuum haud dubie, more iſtius aeui, a natali ſolo adſciuit. Schweinheim enim, obſeruante SCHWARZIO *l. c. Diſſ. III. p.* 7. territorii Moguntini villa eſt, quam hodie vocant *Schwanheim*: nec repugnat veritati, Conradum hunc primorum diſcipulum fuiſſe magiſtorum, qui Moguntiae artem typographicam tractarunt. Is et Pannarzium habuiſſe ibidem commilitonem videtur. Vtrumque ſaltim Germanum dicit *Chronicon Summorum Pontificum Imperatorumque Romae anno* 1476. *inſ.* editum, vbi haec ad annum 1464. exſtant: *Sedente Paullo II, Papa, Conrad. Schweynheim, ac Arnold. Pannartz, Vdalricus Gallus, parte ex alia*, Teuthones, *librarii inſignes, Romam venientes primi imprimendorum librorum artem in Italiam induxere, trecentas chartas per diem imprimentes.* Cf. aliud IOH. ANDREAE, Epiſcopi Alarienſis in Corſica, teſtimonium apud SCHWARZIVM *Diſſ. cit p. 6. princ.* Opinatur autem laudatus SCHELHORNIVS, Schweinheimium ac Pannarzium, antequam ipſam adierint Romam, ſubſtitiſſe aliquantiſper in Manaſterio Sublacenſi, quod ea tempeſtate Monachi Germani incoluerint. Poſt *Romae* feliciter nacti ſunt Maecenates par nobile fratrum, Petrum et Franciſcum de Maximis, quorum in aedibus prela ſua collocare ipſis licuit, ſtatimque, praeter DONATVM, ſeu rudimenta Grammatica, *) eodem *anno* 1467, quo Auguſtinus prodierat, excuderunt CICERONIS *ad familiares Epiſtolas in folio*, quae eſt prima omnium et rariſſima editio.

*) Singularia ſunt, quae CLEMENT *Tomo VII. p.* 137. in medium profert. *Mr. le Clerc*, ait, *citeroit la plus rare de toutes les Editions de Ciceron, ſi elle exiſtoit, dans ſa Bibliotheque Vniuerſelle, T. VII. p.* 156. *ou il dit, qu'on peut faire voir des Offices de Ciceron imprimez à Rome en* 1458. *apres les quels eſt le nom de* Conrad. *J'avouë, que je ſerois curieux de les voir. Jls ſerviroient à reculer de neuf ans la date des Editions de* Conrad Schweynheym.

editio. Vid. CLEMENTIVS *l. c. p.* 124. Subſequuta ſunt *anno* 1468. Volumina plura, nimirum *Speculum humanae vitae* RODERICI, Epiſcopi Zamorenſis; AVGVSTINI *de Ciuitate Dei* libri; LACTANTII *Inſtitutiones* iterum; HIERONYMI *Epiſtolae* hisque acceſſerunt *anno* 1469. menſe Ianuario CICERONIS *libri de Officiis*, *Paradoxa*, *Laelius et Cato maior in* 4. *mai.* nec non LVC. APVLEIVS, cum ALCINOI *Epitome diſciplinarum Platonis*, de qua prima itidem editione CLEMENT *Tomo I. p.* 437. ſic ſcribit: *Nous devons cette Edition originale aux ſoins du Cardinal Beſſarion*, *elle eſt non ſeulement eſtimée à cauſe de ſa rareté; mais auſſi parcequ' elle n'a pas encore paſſé par les mains des Inquiſiteurs*, *et qu'elle n' eſt ni mutilée*, *ni interpolée.* Cf. etiam FVNCCIVS *de vegeta Lat. linguae ſenectute*, *p.* 862. Eodem anno prodiere, horum typographorum ſtudio, GELLIVS, CAIVS IVL. CAESAR, et MARC. ANNAEVS LVCANVS, Scriptores nusquam antea typis impreſſi. Vid. CLEMENT *Tomo VI. p.* 16. ac *Tomo IX. p.* 115. *ſq.* De iſtis vero, et aliis veterum pariter atque recentiorum libris, qui ex prelo tam nobili exierunt, euoluenda generatim eſt erudita, ſaepiusque iam adducta, ANGELI MARIAE Cardinalis QVIRINI Commentatio *de optimorum Scriptorum editionibus*, *quae ex prima typographia Romana Germanorum artificum ab anno* 1467. *ad a.* 1472. *prodierunt*, cum adnotationibus SCHELHORNII *Lindaugiae a.* 1761. *in* 4. recuſa. Inſtar Adpendicis enim *Pauli II. P. M. Vitae*, *Romae anno* 1740. *in* 4.° ſubiuncta primum fuerat. Add. IOH. ALBERTI FABRICII *Biblioth. Latina*, *Vol. III. p.* 894. *ſq.* vel SCHELHORN. ad QVIRINVM *p.* 231. Nitidiſſimas eſſe Schweinheimii itemque Pannarzii editiones, ſiue chartam, ſiue typos, eosque fuſiles, conſideraueris, vel ex ſolo BESSARIONIS Opere *aduerſus calumniatorem Platonis*, *anno* 1469. diuulgato,

gato, luculenter patet, vti quidem adfirmatur a SCHELHORNIO in *Diatriba praeliminari p.* 50. Cui teſtimonio ſubiungere iuuabit aliud viri non minus horum ſtudiorum periti, MAITTAIRII, in *Vitis typographor. aliquot Pariſ. Tomo I. p.* 8. quo loco doctiſſimus Anglus, poſtquam chartam eximiam Sim. Colinaei laudauerat, ſic pergit: *Hoc eſt, cur tanta cum voluptate demiremur Codices illos antiquiſſimos Spirae et Vindelini,* Conr. Schweynheim et Arnoldi Pannartz *ac Nic. Jenſon nunquam ſatis laudati; qui annis ſupra binas centurias quinquaginta adhuc ſuperſtites vincunt, quicquid noſtro hoc aeuo iactamus in typographia pulcherrimum: neutiquam corrupti, aut quauis ſenectutis nota rugâue deformati, ſed primaeuo ſuo impreſſionis cultu, intacto characterum nitore, intaminata charta, et integra marginum amplitudine ſpectabiles.* Ad calcem plurimarum editionum Schweinheimianarum, quas cunctas eſſe nunc longe rariſſimas, vel me non monente intelligi poteſt, ſequentes leguntur verſus:

Aſpicis illuſtres, Lector quicunque, libellos,
Si cupis artificum nomina noſſe, lege.
Aſpera videbis cognomina Teutona forſan:
Mitiget ars Muſis inſcia verba virum.
Conradus Schweinheim, Arnoldus Pannartzque Magiſtri
Romae impreſſerunt talia multa ſimul.
Petrus cum fratre Franciſco Maximus, ambo
Huic operi optatam contribuere domum.

Caeterum docet SCHELHORNIVS *l. c. p.* 50. ſingulare iſtis eſſe typographis, quod ſemper ſ longum in vocum fine vſurparint, litteraeque i ſupernum punctum haud impreſſerint: luculentum vero illum typorum characterem, quo primum ſint vſi, quum Moguntini Semigothicum adhibuerint, a lo-

co,

co, vbi ſedem fixerant, *Romani* accepiſſe nomen, quem ad eorum exemplum quantum ſciat, primum in Germaniam introduxerit Güntherus Zeiner, typographus Auguſtanus, in ISIDORI *Originibus* anno 1472. excuſis. Cf. ſupra dicta §. *XII.* Vix iſta ſcripſeram, quum forte in manus incideret GE. MART. RAIDELII Comment. *de Claudii Ptolemaei Geoprapbia, Norimb. a.* 1737. *in* 4. *vbi Cap. VI. ſ.* 4. *p.* 44. oſtendit Auctor, Schweinheimium, qui vna cum ſocio conſumtis pene opibus ab onere paupertatis parum abfuerit, inueniſſe artem figuras tabulis aeneis exprimendi, eaque ſola tribus proximis ante obitum annis, quem contigiſſe anno 1476. ſuſpicatur, victum ſibi neceſſarium acquiſiuiſſe. Non ita multo poſt Conradi Schweinheim et Arnoldi Pannarz conatus, Romam acceſſit, exercendae artis typographicae cauſſa, homo itidem Germanus, Vdalricus Gallus, ſiue alias, vt ipſe nomen ſuum ſubſcribere ſolitus eſt, Vdalricus Han, Alamannus ex Ingelſtat, ciuis Viennenſis, qui ſub finem anni 1468. conſummauit CICERONIS *de Oratore libros III. in folio*, primum, quod quidem explorare licuit, operarum ſuarum ſpecimen. Conſiliis eum adiuuit Ioh. Anton. Campanus, libroſque ipſi ſuppeditauit excudendos, v. g. PLVTARCHI *Vitas illuſtrium Virorum*, duobus formae maximae Voluminibus, at nec anno, nec loco, nec typographo indicato, Latine in lucem productas. Factum hoc eſſe *anno* 1471. ex vita Philelphi, a Lanceloto deſcripta, probat SCHELHORNIVS *l. c. p.* 59. Obſeruat. VII, quae tota *de Vlrico Gallo, ſecundo typographo Romano*, agit. Obibat tunc in officina eius correctoris munus Campanus, (more olim honeſtiſſimis etiam hominibus, nullaque laborantibus inopia, familiari,) vt praeter NAVDAEVM in *Addit. à l'Hiſt. de Louis XI. p.* 297. et BAELIVS in *Dict. v.* Campanus, et ZELTNERVS

NERVS in *Centur. corrector. erud. p.* 104. oſtenderunt. Sed huic Plutarchi editioni virum doctiſſimum interfuiſſe, mendisque typographicis tollendis dediſſe operam, vel recognouiſſe ſaltim chartas, iam ab alio correctas, ideo perſuadere ſibi nequit Schelhornius, quod eadem tota ſcateat vitiis, pudendisque in ſuper ſoloeciſmis inquinata ſit, quos ob oculos ponit *l. c. p.* 58. Res clara eſt, ſi meminerimus, Campanum eo tempore, quo ſub prelo Plutarchus erat, Ratisbonae verſatum eſſe in comitatu Franc. Piccolominei, Cardinalis Senenſis, a Paullo II. Pontifice ad Comitia legati. Sed per breue tantum interuallum apud Germanos, ipſi maxime inuiſos, commoratus eſt, ideoque mox induſtriam ſuam conſecraſſe videtur *Hiſtoriae Liuianae*, cuius Decas prior *anno* 1471. tertia et quarta *anno ſequenti* lucem adſpexit. Plures Hanii editiones non attingam: id ſolum obſeruo adhuc, eum ſocietatem anno circiter 1473. iniiſſe cum Simone de Luca. Vterque omnino nomen ſuum adſcripſit Virgilio, hoc ipſo anno diuulgato. Vid. QVIRINI *l. c. p.* 161. Idem factum in editione Lactantii a. 1474.

§. XV.

Medio ſaeculo XVI. et quod excedit, alia inclaruit Romae officina typographica, quam Pius IV. prius fundauit, vt in vita illius PANVINIVS teſtatur, Sixtus autem V. magis inſtruxit Vaticano in Palatio. Pleniorem eius cognitionem haurire licet ex ANGELI ROCCHAE *Adpendice Biblioth. Vaticanae p.* 413. vbi haec: *Sixtus V. ad praeclara omnia et ſane pia contendens, typographiam Apoſtolicam Vaticanam magnificentiſſime inſtituit, viris doctis vndique conquiſitis ad Concilia Generalia imprimenda, Sanctorumque Patrum monumenta reſtituenda, eccleſiaſticosque*

cosque libros promulgandos, nec non ad catholicam diſciplinam toto terrarum orbe propagandam. Quantum enim iacturae paſſa ſit vniuerſa Theologorum catholicorum ſchola, quantoue diſcrimini expoſita ſit, optime ipſe nouit. Hinc nobiliſſimam typographiam rem quidem Pontifice, quin ſe ipſo dignam, in Vaticano inſtituit, Dominico Baſa, *Veneto typographo, homine quidem nauo et induſtrio ac ſagaci, ad typographiam erigendam atque regendam electo, qui pro huiusmodi re praeſtanda circiter quadraginta aureorum millia inſumſit, nulli parcens incommodo, nullique impenſae. Haec praeterea typographia Apoſtolica Vaticana et elegantia ac varietate, ingentique characterum copia, latinis ſcilicet litteris, graecis, hebraicis, arabicis et ſeruianis, nec non chartarum pulchritudine ac bonitate, aliisque rebus imprimendi arti neceſſariis, caeteras typographias longe antecellit, viris eruditiſſimis ad exemplaria (quod caput eſt) recognoſcenda et illuſtranda ſelectis. Id quod typographiam ipſam reddit nobiliorem, in qua Scripturae Sacrae, Concilia, Sanctorum Patrum ſcripta, aliorumque Doctorum libri, tum ſcholaſtici, tum ſcripturales, omnesque denique Codices ad Theologiam, catholicamque diſciplinam, hiſtoriasque eccleſiaſticas pertinentes, accurate in dies imprimuntur.* Mentionem quoque iniecit huius inſtituti THVANVS *Hiſtor. libro centeſimo*, ad annum 1590. *Tomo IV. p.* 906. *edit. Francof.* annum 1621. praeferentis, idque ſimul obſeruauit, Pontificem ea conditione Dominico Baſae numerari iuſſiſſe tam ingentem pecuniae ſummam, vt eam non prius, quam poſt decennium, Camerae Apoſtolicae reſtituere teneretur. Collapſam deinde hanc typographiam Clemens XI, qui ab initio noſtri ſaeculi, vsque ad annum 1721, Sedi Romanae praefuit, quouis modo ad ſplendorem reducere priſtinum eniſus eſt, accitis viris celebratiſſimis. Inde factum eſt breui, vt officina il-

la in praeſtantiſſimarum numero poneretur. Cf. *Acta Erud. Lat. a.* 1719. *p.* 425. vbi diſcimus, ſummum hunc Pontificem ſolemnibus litteris, die 28. m. Aug. anno 1717. exaratis, Ioh. Mariam Saluioni typographiae in Archigymnaſio Sapientiae erectae cum ſtipendio quodam, atque typographi Vaticani titulo, praefeciſſe, adeoque typis Vaticanis, quorum ingens ſub Sixti V. aetatem fuerit celebritas, nouum, poſt tantum interuallum, decus addidiſſe. Egregium quoque ſpecimen typographi Vaticani eſſe ANASTASII *Vitas Pontificum*, ab eo ipſo editas, in quibus nihil omiſerit elegantiae, ita quidem, vt fatendum omnino ſit, vix terſius quidquam antea Romano ex prelo proueniſſe. Subiicit, a quo haec ſcripta ſunt, vir doctus: *Quamquam illud tamen inficiari non poſſumus, adhuc nobis obſeruata fuiſſe ſphalmata quaedam, leuiora quidem, ſed quae euitari forte pariter poterunt, ſi Correctorum deinceps, vt nuper Typographorum diligentiam prouocare dignetur Clemens XI.* De ſplendida editione *Orationum Conſiſtorialium*, quae hunc Pontificem habuere auctorem, vid. CLEMENT *Tomo VII. p.* 184. *num.* 6. Sine dubio plura huius argumenti complectuntur ampli Commentarii *de Vita et rebus geſtis Clement. XI. P. M.* qui prodiere *Vrbini a.* 1727. *in f. mai.* atque recenſentur in *Supplem. ad Noua Act. Erud. Latina, Tomo I. p.* 97. *ſq.*

§. XVI.

Anno 1465. Lactantii Inſtitut. diuinas in Monaſterio Sublacenſi prelo exiiſſe, ſupra dictum. Eodem tempore artis primitias *Mediolanum* dediſſe, adfirmat IOS. ANTON SAXIVS in *Hiſtoria litterario-typographica Mediolanenſi*, praefixa PHILIPPI ARGELATI *Tomo I. Biblioth. Scriptor. Mediolanenſ. anno* 1745. *in f.* excuſae, primosque Mediolanenſes typogra-

pographos natione Germanos *Scriptores Hiſtoriae Auguſtae* antea nondum editos, *anno* 1465. *in f.* produxiſſe. Deſiderari quidem apud Mediolanenſes editionis iſtius exemplar, non diffitetur, tale tamen, ait, ab amico quondam dono accepiſſe, illoque non ſine fructu vſum eſſe, in hiſce Scriptoribus illuſtrandis, Claud. Salmaſium; id quod ex prima eius ad Spartianum adnotatione pateat. Ita et iam pridem PETR. SCRIVERIVS in *Laurecrans voor Laur. Coſter p.* 369. *Partis I. Collect. Wolfianae*, FABRICIVS in *Biblioth. Latina*, pluresque alii ſibimet habuere perſuaſum. Mihi tamen res adhuc dubia videtur. Partim enim ſubit mirari, nullum in tot Mediolanenſium Bibliothecis reperiri exemplar, vt illud adcuratius inſpicere potuiſſet Saxius: partim ipſe Scriuerius haeſitat, quod ex his eius verbis, Latine redditis, luculenter adparet. *Annum quidem*, inquit, *diſerte non exprimit Salmaſius, ſatis tamen ſubindicat. Iſaac Cauſaubonus ad emendandam Hiſtoriam Auguſtam antiqua vſus fuerat editione Veneta anni 1490. Hanc editionem primam adpellans a Salmaſio caſtigatur, ſcribente, ſe a Franc. Jureto commodatam habere editionem Mediolanenſem, viginti quinque annis Veneta antiquiorem. Ita prodiret annus 1465. niſi falſus fuit Salmaſius, et ex libro manuſcripto admonitio illa deſumta eſt: de quo omnino velim reddi certior.* Velim et ego; ſed irritus fuit omnis labor. Interim, dum varios librorum antiquorum Indices, huius editionis cauſſa, perluſtro, non ſine voluptate mea oculis occurrit quidam GOETZII locus, haud parum apud me ponderis habens. Memorat is in *den Merkwürd. der Koenigl. Bibl. zu Dresden, Vol. III. p.* 411. Hiſtoriae Auguſtae Scriptores *anno* 1475. *in f. Mediolani*, (ſtudio Bonini Mombritii, v. *Giornale de Letterati d'Italia, Tomo X. p.* 446.) operaque et impenſis Philippi de

Lauagnia, lucem adſpexiſſe, atque hanc ipſam eſſe editionem, quam Salmaſius primae decorauerit elogio. Tum ſic diſſerit Goetzius: *Doch hat ſich Salmaſius etwas verzehlet, da er geglaubet, dieſelbe ſey 25. Iahr vor der Venetianiſchen von 1490. gedruckt worden. Er hätte nur 15. Iahre ſetzen ſollen. Dadurch ſind Fabricius in Bibl. Latina, vnd Saxius in Hiſtor. litter. typogr. Mediolanenſi in den Irthum gebracht worden, daß ſie die erſte Edition auf das Iahr* 1465. *geſetzet, zu welcher Zeit noch kein Buch zu Meyland gedruckt worden, auch dieſe Edition nirgends kan aufgewieſen werden. Die Beweisthümer Saxii ſtreiten wieder ſein Vorgeben, vnd ich halte vor gewiß, daß der Lactantius, ſo 1465. zu Subbiaco, ohnweit Rom, gedruckt worden, das erſte Buch ſey, ſo in Italien aus der Preſſe gekommen.* Cf. MAITTAIRE *Annal. typogr. Tomo IV. p.* 349. In re igitur non ſatis liquida, quod et ipſi ſuboluit Saxio, rectius is initia typographiae Mediolanenſis in anno 1469. collocat, quo TERENTII *Comoediae* prelo ſubiectae, annoque inſequenti per Anton. Zarotum *in f.* primum, characteribus nitidiſſimis, abſolutae fuerunt. Succeſſere mox alii libri, quorum varios doctiſſimus Italus recenſet. Tandem Catalogum omnium, ſaeculo XV. Mediolani editorum, ſecundum annorum ſeriem, adiecit, notis lectu digniſſimis illuſtratum, quumque non videre ipſi contigerit libros eiusmodi quoscunque, horum, quos ante oculos habuit, inſcriptiones aſteriſco diſtinxit. Obſeruauit etiam, Codices Graecos integros omnium primos typis exſcripſiſſe Mediolanenſes, eosque artem iſthanc didiciſſe a Demetrio Cretenſi, quem BOERNERVS in libro ſingulari *de doctis hominibus Graecis p.* 281. *D*emetrium Chalcondylem, ortu Athenienſem, vocat. Pergit Saxius, eum Grammaticam Graecam euulgaſſe Mediolani, (*anno*

1476.

1476. *in* 4. fuitque CONSTANTINI LASCARIS labor, et primus liber integer, ab inuenta typographia Graece excuſus. Vid. BOERNERVS *l. c. p.* 176.) poſtea Florentiam euocatum fuiſſe, vt ibi manum parandae Homeri editioni admoueret, hocque negotio perfecto in Hiſpaniam conceſſiſſe, ac Bibliis polyglottis Complutenſibus edendis operam ſuam conſecraſſe. Vtrum haec omnia cum veritate congruant, an minus, aliis explorandum relinquo. Boernerus certe in Vita huius Graeci ab Saxii relatione longe diuerſa protulit, neque tamen contradixit eidem, quamquam ex pagina 188. perſpicitur, euoluiſſe ipſum Saxii Hiſtoriam typographicam. Cf. ex quibus profeci *Acta Erud. Lat. a.* 1748. *p.* 248. *ſq.* De *Societate Palatina*, quae anno circiter huius ſaeculi viceſimo, ad ornandam rem typographicam, coaluit Mediolani, et complura exhibuit Opera inſignis venuſtatis, Lectorem beneuolum remittere licebit ad *Cap. X. ſſphum 9*, vbi nobiliſſimae iſtius officinae iam iniecta eſt mentio.

§. XVII.

Venetias praecipue, ob typographiam non modo propagatam, ſed mirifice excultam quoque, laudem ſibi peperiſſe immortalem, luculenter docebunt, quae ſequuntur. Primus, quantum ſciamus, artem hanc ibidem tractauit Ioh. Spirenſis, Germanus, *Annales*que TACITI *a.* 1468. *in f.* abſoluit, mancos vero libris quinque prioribus, tum nondum inuentis. Teſte hoc ſcribo FABRICIO *Bibl. Lat. Tomo I. p.* 471. *edit. quintae*, quo loco ad CHEVILLERIVM *de orig. typogr. Pariſ. p.* 39. prouocat. In Tomo tamen II. *p.* 752. annum editionis 1468. vel 1469. nominat, nullam anni notam adſcriptam eſſe, ex Maittairio ſignificans. Quocunque ſe res modo habeat, id in dubitationem vocari nequit,

CICERONIS *ad Familiares Epiſtolas anno 1469. in f.* apud Ioh. Spirenſem prodiiſſe, quo de opere in *Bibliotheca Smithiana*, egregio illo Catalogo librorum, a Ioſepho Smitho, Anglo, collectorum, *Venetiis a. 1755. in 4.* haec obſeruantur *p. 116. Librum hunc primum omnium Venetiis cuſum, eoque Ioannem de Spira, Vindelini Fratrem, typographicae artis initium poſuiſſe, certo adfirmari poſſe reor, cum ante annum 1469. nullus neque ab ipſo Ioanne, neque ab alio typographo, liber ſit editus.* Eandem fouet ſententiam QVIRINI *de optimorum ſcriptor. edit. Rom. p. 97. edit. Schelhorn.* Memorat exemplar hoc, in chartis pulchris, charactere Romano magnifice impreſſum, CLEMEMT. *Bibl. de livres, dificiles à trouver, Tomo VII. p. 125. ſq.* ſimulque oſtendit, eodem anno repetitam fuiſſe laudatam editionem a Iohanne Spirenſi, atque hoc ideo, quod non niſi trecena exemplaria excuderit. PLINII etiam *Hiſtoriam naturalem* ipſo adhuc *anno* 1469. *in f.* primum diuulgauit Iohannis induſtria. Legi vtique merentur SALLENGRII *Mémoires ſur la premiere Edition de l'Hiſtoire naturelle de Pline*, quae locum ſuum inuenit Obſeruatio in Viri litteratiſſimi *Mémoires de Litterature, Tomi I. P. 2. p. 275. ſq.* Initio ſtatim ſic deſcribitur Opus rariſſimum, centum enim exemplaria tantum exſtare voluit typographus: *Le Caractère en eſt fort net et beau, et un peu plus gros, que celui de ces Mémoires. Chaque Livre commence par une Lettre capitale dorée et enjolivée. Les titres des Chapitres ſont écrits avec de l'ancre rouge ſelon la coutume de ce tems là, auſſi bien que la premiere Lettre de chaque Chapitre. Le papier eſt très beau, et la marge fort grande. Les pages ne ſont pas numerottées, et il n'y a point de reclames. On a laiſſé du blanc en divers endroits, ou il devoit y avoir du Grec et en beau-*

coup

coup d'autres les mots Grecs ſont en caractéres Romains. Negat Auctor poſtea contra Fabricium, Plinium Veronae iam anno 1468. exiiſſe in lucem. Cf. QVIRINI *l. c. p.* 178. *Anno*, qui Plinii editionem ſequebatur, 1470, acceſſit AVGVSTINVS *de Ciuitate Dei in f.* Opus venuſtum, quod CLEMENT *Tomo II. p.* 262. his verbis depinxit: *il n'a ni reclames, ni ſignatures; les pages n'en ſont point chifrées: la premiere Lettre de chaque Livre y eſt deſſinée avec aſſez d'artifice, ſelon la coûtume de ce tems lá. Les premieres Lettres des Chapîtres ſont tantôt rouges, et tantôt bleues. Les titres des Chapîtres ſont toûjours écrits en rouge.* Demortuus autem eſt Iohannes, in hac editione ſtrenue occupatus; ideoque frater eius, Vindelinus de Spira, coeptam perfecit, quod indicatum ab ipſo in Operis fine verſibus quibusdam, quos en! integros:

Qui docuit Venetos exſcribi poſſe Ioannes
Menſe fere trino centena volumina Plini
Et tottidem Magni Ciceronis Spira libellos:
Coeperat Aureli: ſubita ſed morte peremtus
Non potuit Ceptum Venetis finire volumen.
Vindelinus adeſt eiusdem frater: et arte
Non minor: hadriacaque morabitur vrbe.

Anno 1470. noui apud Venetos inclaruere typographi, Nicol. Ienſon, Gallus, et Iohannes de Colonia, Germanus patria. Iohannes ille Colonienſis, non minus inſignis typorum elegantia, et adcurato excudendi ſtudio, principem adornauit editionem CICERONIS *de finibus bonorum et malorum*, qui liber *anno 1471. in fol. min.* prodiit. CLEMENT *Tomo VII. p.* 131. adſpexit exemplar in

Bibliotheca ampliſſimi DVVII, quam Hanouerae poſſidet non vulgari felicitate collectam. Teſtem audire oculatum operae pretium fuerit. *Les lettres Capitales dorées*, inquit, *les Caractéres Romains ſur du très-beau papier, avec de grandes marges, forment ici un coup d'oeil très-agreable.* Altero poſt anno adſociatus legitur Ioh. de Colonia Vindelino Spirenſi, vbi communi opera et impendio publicauere Plautum, annoque deinceps 1474. ſocietatem iniit cum Iohanne Manthem de Gherrezem, obſeruante id ex Maittairio SCHWARZIO in *Act. Francon. erud. Vol. I. p.* 556. Tranſeo alia huius typographi ſpecimina, et ad Ienſonium animum intendo, cuius typos nitidiſſimos formaeque pulcherrimae nemo non laudat. Primum *anno* adhuc 1470. IVSTINVM *in f.* excudit, cuius ad calcem legitur:

Hiſtorias veteres peregrinaque geſta reuoluo
Iuſtinus. Lege me: ſum Trogus ipſe breuis.
Me Gallus Veneta Ianſon Nicolaus in vrbe
Formauit, Mauro Principe Chriſtophoro.

Vid. FVNCCII Commentar. *de vegeta Lat. linguae ſeneƈt. p.* 701. Penſo hocce confecto protulit annus 1471. *in f.* QVINTILIANI *Inſtit. Oratorias*, eamque editionem SCHELHORNIVS *Amoen. litt. Tomo II. p.* 334. in ornatiſſimarum numero, vna cum duobus aliis libris, reponit. Ita vero doctiſſimus Auctor: *Nihil vnquam vidi pulchrius et ſplendidius, ſiue chartae nitorem, ſiue typorum elegantiam, ſiue alia ornamenta conſideres. Certe adeo illae* (editiones) *grata oculis praebent ſpectacula, vt adſpectu vix ſatiari queas. Salua veritate affirmare auſim, palmam eas dubiam facere ſplendidiſſimis aeui noſtri editionibus.* Scripſerat haec Schelhornius ante hos prope quadraginta annos. Cf. Gabriel NAVDAEVS apud

WOL-

WOLFIVM *Monum. typogr. P. I. p.* 526. Neque temperare mihi poſſum, quin SCHWARZII de conatibus Ienſonii typographicis iudicium adnectam. *Ab anno*, inquit, 1470. *ad annum* 1482. *perquam multos ſcriptores Latinos elegantibus litteris puraque charta euulgauit, et, quod mirum videbitur, vndecim libri adhuc annotati reperiuntur, quos vel intra duos annos, 1470. ſcilicet et 1471, typis exſcripſit. Id adhuc obſeruandum, Nicolaum hunc Ienſonium eos potiſſimum libros, qui ad humaniora ſtudia pertinent, Romanis, iisque perquam venuſtis characteribus; theologorum autem et iuriſconſultorum ſcripta* Gothicis typis *impreſſiſſe; et in Quintiliano etiam pro verbis ſententiisque Graecis lacunas vacuas reliquiſſe; vel quia nec Graeca habuit Codex vetuſtus, vnde haec editio expreſſa eſt; vel quia adhuc typi Graeci defuerunt.* Vid. *Pars III. Indicis Schwarziani libror. quorundam ſaec. XV. impreſſorum*, in *Actis Franconiae erud. Vol. I. p.* 797. Idem annus 1471. tam foecundus fuit in officina Ienſonii, vt et IVLII CAESARIS *Commentarios bellicos* acciperet orbis litteratus. Meminit honorifice iſtius editionis CLEMENT *Tomo VI. p.* 18. Scribit enim vir longiore vita, ad abſoluendum librorum rariorum Catalogum, digniſſimus: *Cette Edition eſt plus belle et plus magnifique que celle de Schweynheim et Pannartz de 1472. Elle eſt pour le moins tout auſſi rare: et l'on peut aſſurer ſans crainte, que c'eſt un bijou de Bibliotheque.* Multas etiam laudes GELLII *Noctibus Atticis, anno* 1472. *in f.* a Ienſonio emiſſis, tribuit GOETZIVS in *den Merckwürd. der Königl. Bibl. zu Dresd. Vol. III. num.* 427. *p.* 434. vbi adfirmat, priores ſingulorum librorum paginas, cum litteris initialibus, pictas eſſe ac figuris decoratas: typos chartamque, more Ienſonii, admo-

dum nitere, ne Graecis quidem exceptis. Patet inde, hoc ipſo anno typos Graecos illatos iſti officinae fuiſſe, quos in Quintiliani editione deſiderari, Schwarzii dictum eſt fide paullo ſupra. Inter omnes autem Ienſonii editiones *Decor Puellarum* eruditis haud parum fecit negotii, plurimamque dicendi materiam ſuppeditauit. Librum hunc chartae, atramenti, typorumque nitore, et adcurato linearum ordine pulcherrimum, qui eſt Italice exaratus, *anno* 1461. *in* 8. excuſum contendit, primumque adeo apud Italos laudat, auctoritate Maittairii fretus, IOH. VOGTIVS in *Catal. libr. rar.* v. Puellarum, *p. m.* 561. Idem permulti ante ipſum conſtanter tradidere. At ſubeſſe errorem fraudemue, ac vitium latere in numeris, hodie nemo credere dubitat, propterea, quod idoneis conſtat teſtimoniis, typographum hunc decennio poſt Venetiis demum innotuiſſe arte ſua. Itaque ſcribi debebat *anno* 1471. Forſitan et manus falſarii, calamo veteres typos aemulante, annum huncce adſcripſit. Data opera in verum dicti libri natalem inquiſiuit IOH. CHRISTOPH. ISELINVS. Exſtat quippe in *Mercure Suiſſe m. Nouemb. anni 1734. p. 41. ſq. Recherche ſur l'année de l'impreſſion d'un livre Italien, intitulé* Decor puellarum, *que l'on pretend communement avoir paru dès l'an 1461.* Cf. DE BOZE in *der Geſchichte der Koenigl. Acad. der ſchoenen Wiſſenſchaft. zu Paris, P. VII. p. 321. ſq. edit. Germ.* (qui et *p. 327. ſq.* de fatis Ienſonii notatu digna profert,) itemque SCHELHORN. in *not. ad* QVIRINI *de optim. ſcript. edit. Rom.* Commentationem, *p.* 98.

§. XVIII.

Alius apud Venetos effloruit typographus, Erh. Katdolt, Auguſtanus, qui inter plura alia Opera mathematicis etiam rem litterariam ditauit. Habe-

Habemus ab eo primam omnium EVCLIDIS, Mathematici, editionem, quam *Lipſ. anno* 1750. *in* 4. Comment. ſingulari deſcripſit ABR. GOTTH. KAESTNERVS. Excogitaſſe ſe fatetur Ratdoltus in Epiſtola ad vrbis Venetae Ducem, Ioh. Mocenicum, Euclidi ſuo *anno* 1482. *in f.* praefixa, quo pacto ſchemata geometrica exprimenda ſint. Vid. tamen, quae Kaeſtnerus *l. c. p.* 7. hac de re monuit. Paulo poſtea Ratdoltum, caeteroſque typographos Venetos, longe ſuperauit Aldus Pius Manutius, patria Romanus, anno circiter 1446. vel ſequenti natus. Pii nomine inſignitus fuit abs Principe Alberto Pio de Carpi, eius quondam diſciplinae commiſſo. Litteris enim Aldus egregie ornatus erat. Ticinum primum adueniens inſtruendae officinae typographicae conſilium cepit. Tum vero Venetias commodiorem ad id peragendum eſſe locum ratus, eo ſe contulit, atque ab anno 1488. vsque ad annum 1516. libros excudit praeſtantiſſimos. Inter hos primus dicitur fuiſſe MVSAEI *carmen de Herone et Leandro* Gr. ac Latine *in* 4. at ſine die et conſule. Nomen typographi, tempus locusque editionis anno demum 1494. adparet. Adornata officina quum perſpiceret Aldus, non eſſe vnius hominis, tot Codices, e puluere protractos, recognoſcere, ſatisque emendatos exhibere, mox viros quosdam doctiſſimos in ardui huius laboris ſocietatem adſciuit, qui ſtatis diebus in aedibus eius conuenientes de libris Graecis, Latinis et Etruſcis conferendis, corrigendis illuſtrandisque inter ſe conſultabant. Vocabatur inſtitutum hoc *Academia Aldina*, cuius fuere ſocii, ne plures tangam, Petr. Alcyonius, et Marcus Muſurus, de quo BOERNERVS in libro ſing. *de doctis hominibus Graecis p.* 223. ſequentem diſſerit in modum: *Scriptores Graecos plerosque*

omnes,

omnes, quos Aldus, indeque ſocer eius, Andr. Aſulanus, ab anno ſaeculi XVI. tertio ac decimo ad ſeptimum ac decimum vsque annum, typis ſuis ediderunt, Muſurus, collatis compluribus codicibus MSS, recenſuit, atque a librariorum mendis repurgauit. Hanc in primis operam praeſtitit Platonis *Operibus*, Athenaeo, Heſychii *Dictionario*, Pauſaniae; *tum vero, quod ad caeteros etiam, eo tempore editos auctores, ope conſilioque ſuo adfuit Aldo.* Quibus addidit Boernerus in ſubiuncta nota quadam: *Correctoris autem munus Muſurum obiiſſe, quemadmodum Baelius, Chevillerii maxime nixus auctoritate, Maittairius et Zeltnerus in Corrector. erud. theatro p. 383. exiſtimant, mea quidem ſententia, dici nequit; cum id tantum operam dederit, vt Graeci illi ſcriptores, quos ipſe, comparatis inter ſe exemplaribus manuſcriptis, recenſuit, accurate excuderentur. Hoc vero cum illud ſit, quod plerique viri docti, qui vel veteres ſcriptores, vel ſuos edunt libros, facere ſolent, hi quidem omnes eodem iure in correctorum numerum adſcribendi forent.* Idem igitur praeſtitit Maſurus, quod Ioh. Anton. Campanus in officina Vdalrici Hanii. Eraſmum etiam Roterodamum Academiae Aldinae interfuiſſe aliquamdiu nouimus. Quumque Aldus characteres Graecos, ante ipſum iam notos, (falſo enim primus a nonnullis laudatur, qui Graecos libros excuderit, vel tales ſaltim inuenerit typos, qua de re vid. ENGELIVS in *Biblioth. ſelectiſſima, P. I. p.* 87. et abs me dicta *ſ. XVI.* huius Capitis, nec non ſub finem §phi XVII.) ad eam prouexiſſet venuſtatem, quam adſequuti poſt eius aetatem pauci ſunt; in Latinis vero charactere vteretur rotundo, tunc aliis quoque familiari, ſed lectu faciliore, neque tot ſcribendi compendiis impedito; praeterea

terea noua diſtinguendi ſigna, veluti commata et ſemicola, nondum ſatis vſitata, introduxiſſet; tandem anno 1500. excogitaſſet etiam nouum typorum Latinorum, eorumque minutorum, genus, quo calamum ſcribarum, elegantiſſime pingentium, haud infeliciter eſt imitatus, quodque typorum *iacentium Italicorum*, ſiue *curſiuorum* nomine inſigniri ſolet: priuilegium ea propter cum ab Alexandro VI. P. M. tum a Senatu Veneto, decem in annos, obtinuit, a Iulio II. ſucceſſore Alexandri anno 1513. paulloque poſt a Leone X. quindecim in annos prorogatum. An et typos Ebraicos ipſi tribuere debeamus, diſceptatur. Tales in officina ſua habuiſſe Aldum, negari nequit, adiecit quippe *anno* 1512. LASCARIS *Grammaticae Graecae* alphabetum Ebraicum, et alia quaedam, quo legere Ebraice tyro diſcat, nullus tamen liber eius exſtat, hoc penitus charactere notabilis. Meditatus eſt interim, ſed non adſpirante conatui fortuna, Vetus Nouumque Teſtamentum, Graece, Latine ac Ebraice diuulgandum. Sic enim ipſe ſcribit ad Corradum Celtam, et Vincent. Longinum: *Vetus -- Teſtamentum -- hebraice nondum impreſſi, ſed parturio.* Vid. GOLDASTI *Epiſtolae philologicae, epiſt. XXII. p.* 78. Eos vero libros, quos Graece Latineque magno numero edidit, pulcherrimos eſſe, ac ſingulari induſtria caſtigatos, vel ſolus adſpectus oſtendit. De IVSTINO AC NEPOTE, *anno* 1522. *in* 8. typis impreſſo, FRID. OTTON. MENCKENII in *Miſcellan. Lipſ. Nouis Vol. VI. P. 3. p.* 567. ſequens occurrit elogium: *Habet pulchrum hoc officinae Aldinae ſpecimen magnam ab elegantia externa commendationem; nec facile nitidiore habitu indutos vsquam alibi duos hos Scriptores antiquos inuenias.* Notari merentur etiam, quae Manutius in Praefatione, PLATONIS *Operibus a.* 1513. praefixa, condide fatetur.

Ita

Ita me amant, inquit, ſcilicet eruditi, *de tantis laboribus, vt nunc coram, nunc accuratis litteris, laudando obtundant. Sed non ego credulus illis. Nullum enim adhuc dedi librum, in quo mihi ſatisfecerim. Nam tanta erga bonas litteras beneuolentia eſt mea, vt emendatiſſimos emittam in manus ſtudioſorum. Quam ob rem, quotiescunque vel mea, vel eorum incuria, qui mecum corrigendis libris incumbunt, aliquo in libro, quamuis paruus error, committitur, etſi opere in magno fas eſt obrepere ſomnum, (non enim vnius dici labor hic noſter, ſed multorum annorum, atque interim nec mora, nec requies,) ſic tamen doleo, vt, ſi poſſem, mutarem ſingula errata nummo aureo.* Ac tantum omnino ſtudii in excudendis libris adhibuit, vt vix binas plagulas abſoluere per hebdomadae ſpatium poſſet. Cf. tamen CHEVILLIER *de l'orig. de l'Imprimerie p.* 126. Facile igitur intelligendum, cur editiones Aldinae adeo aeſtimentur, vt manuſcriptis Codicibus fere aequiparari ſoleant. Quantopere autem euitarit Manutius temporis iacturam ex nimiis aliorum ſalutationibus coorientem, haec declarant, officinae veſtibulo ab eo inſcripta: *Quisquis es, rogat te Aldus etiam atque etiam, vt, ſi quid eſt, quod a ſe velis, perpaucis agas, deinde actutum abeas; niſi, tamquam Hercules defeſſo Atlante, veneris, ſuppoſiturus humeros: ſemper enim erit, quod et tu agas, et quotquot huc attulerint pedes.* Cf. ADAMI Vit. *Germ. Philoſ. p.* 91. *edit. Heidelb. in* 8. *mai.* Inſigne, quo eruditus ille typographus, ſuisque etiam ſcriptis clarus, vſus eſt, erat Delphinus, ancora implicitus, quo ipſo indicare ſymbolo voluit, quum Delphinus omnium animalium dicatur perniciſſimum, et anchora nauim remoretur, ſe vrgere quidem opus, at ſimul de eo eſſe ſollicitum, ne feſtinatione praecipiti boni ſcriptores, typotherarum culpa, corrumpantur. Mortuus

eſt

eſt Aldus anno 1515. aetate ſeptuagenarius, et modo quidem violento, a tribus quippe ſicariis in capite vulneratus. Magna aliquando calamitate accepta, de typographia deponenda cogitauerat, ſed ab Andr. Naugerio confirmatus eſt et a conſilio bonis litteris exitiali retractus, vt ex VVLPII *Vita Naugerii* memorant Collectores *Actorum Erudit. Latinor. a. 1720. p. 390.* Plura de ipſo, eiusque in rem typographicam meritis, ſuppeditat CHRIST. THEOPH. VNGERI *de Aldi Pii Manutii, Romani, vita et meritis in rem litteratam* Diſſertatio, quam nondum editam, Obſeruationibus ſuis illuſtrauit, *anno*que 1753. *Vitemb. in* 4. exire iuſſit SAM. LVTHERVS GERETVS. Nonnulla tamen contra hanc monuit lucubrationem QVIRINI, Cardinalis, in *Epiſtola ad* SCHELHÖRNIVM *anno* 1754 *Brixiae* publicata, de qua vid. *die Goetting. Anz. anni* 1754. *p.* 490. Poſtea Vita Manutii, Italico ſermone, adcuratius prodiit *Venet. a.* 1759. *in* 4. auctore DOMINICO MARIA MANNIO. Vtroque ex fonte hauſi, quantum fieri hoc loco potuit. Succeſſit in hac typographia Andreas Mulanus, ſocer, a patria, pro conſuetudine temporum illorum, *Aſulanus* vocatus. Multis annis ante officinam Venetiis habuerat, quam Aldus ibi ſedem figens filiam Andreae in matrimonium duceret. Fuiſſe tamen hunc generi aliquamdiu ſocium, varii libri teſtantur, v. g. Iuuenalis et Perſius, *anno* 1501. *in* 8. excuſus, cui ſubſcriptum eſt: *Venetiis in aedibus Aldi et Andreae Soceri, menſe Auguſto MDI.* Plures, annos 1513. et 1514. praeferentes, VNGERVS *l. c. p.* 109. *ſq.* congeſſit, Ab anno 1502. vsque ad annum 1512. nomen eius in editionibus Aldinis vix ſemel iterumque reperitur. Forſitan interea temporis vterque, ſeparatim ſuis ſumtibus libros euulgauit: forſitan etiam, vt fieri haud raro ſolet, inter ſoce-

rum

rum generumque diſcordiarum nonnihil exortum. Andreas Aſulanus in ſocietatem adſumſit eruditos, quos habebat, filios, Franciſcum et Fridericum, priorem vero ſubſcriptionis formulam, cum inſigni Aldino, retinuerunt, ideo, ſuſpicor, vt Aldi nomine tanto magis, commendarent emtoribus, publicam in lucem quae producebant. Tum poſt Andreae Aſulani obitum ita res Manutianae perturbatae dicuntur fractaeque, vt laudati filii, Franciscus et Fridericus, qui cum patre typographiae Aldinae in ſe curam ſuſceperant, prela vacua relinquerent quadriennii per interuallum, ab anno nimirum 1529. ad annum vsque 1533. Videntur et acceſſiſſe controuerſiae domeſticae, mortuis Aldo eiusque ſocero, de haereditate forte aut ſupellectile typographica, hanc ipſam ſibi vindicare volentibus Aſculanis, quorum officina ſupererat anno 1568. Coniunctim vero haeredes Aldi et Andreae Aſulani anno adhuc 1536. typis impreſſere libros. Conſilio interim opera et induſtria Ioh. Bapt. Egnatii typographiam paternam, pulcherrimis inſtructam characteribus, inſtaurauit Paulus Manutius. Vid. Celeb. BRVCKERI *Miſcellan. philoſoph. et litterar. p.* 329. IOH. GOTTLIEB KRAVSIVS in *Apparatu ad Pauli Manutii Vitam* §. *X. p.* 7. et GERET *ad* VNGERI *Vitam Manutii p.* 191. Fuit tunc Paulus annorum viginti adoleſcens, patre adhuc doctior poſtea, quod ipſius Epiſtolae, Antiquitatum libri, et alia, ſatis teſtantur. Initium ſtudii typographici factum a Scriptoribus Latinis, e quibus primae omnium prela exercuerunt CICERONIS *ad Familiares Epiſtolae*, hasque excepit VALERIVS MAXIMVS, ſingulari cura ab Manutio emendatus. Ille liber prodiit *anno* 1533. hic vero a. 1534. *in* 8. Inter Graecos primus in lucem productus eſt THEMISTIVS. Per annos complures ipſi ſocietas fuit cum

Anto-

Antonio, fratre, ideoque variis Operibus haec acceſſerunt: *Venetiis apud Aldi filios.* Sed a Bononienſibus inuitatus, vt eorum in vrbe officinam ſuam inſtitueret, anno 1555. in fratrem hanc tranſtulit ſpartam, quam adhuc Venetiis ornauerat, vbi is anno 1558. vel ſequenti e vita diſceſſit. Paulus, relicta Bononia, rediit mox ad Venetos, ſtrenueque perrexit, et publico cum adplauſu, in laboribus cum litterariis, tum typographicis. Anno 1561. a Pio IV. P. M. eo conſilio Romam, quingentorum Scutatorum ſtipendio euocabatur, vt ſacros praecipue libros Patrum eccleſiaſticorum ederet, quantum liceret, emendatiſſime. Abiit lubens, at vix peracto anno Pontifici per litteras indicauit, fulciri debere ſubſidio nouo fortunas ſuas, quod ipſum tamen voluntati eius arbitrioque totum permiſit. Votis an euentus reſponderit, nec ne? ego quidem nusquam legi. Hoc patet ex Epiſtolis Manutii, eum parum iucunde vixiſſe apud Romanos, eamque ob cauſſam petiiſſe a Pio V. Pontifice miſſionem honeſtam, annoque 1570. Venetias denuo conceſſiſſe, ne viatico quidem accepto. Vid. *libri X. epiſt. 7.* et quae ſtatim ſubſequitur, vbi haec: - - *didici iam, et magna mercede ſum expertus, quam inania ſint illa, quae communi deceptus errore praeclara duxeram. Magnae vrbes magnas occupationes, ne dicam miſerias, habent.* Cf. et *libri IX. epiſt. 5. librique X. epiſt. 12,* in qua ſic animi ſui ſenſa expreſſit: *Non ſtipendium, aut vlla me lucri cupiditas Romam perduxit: quamquam haec priuatae ſortis homo non contemſi: ſed ſpe ſum allectus prope certa, vitae cum dignitate traducendae, fruendi non nunquam ſtudiis meis, amicorum conſuetudine, voluptatibus etiam homine ingenuo et liberaliter educato non indignis. Quam contra ceciderit, vos optime noſtis. Nunc ſi vel ſtipendio vocarer multo ma-*

iore, ſic inſanirem, vt meam quietem, diuino mihi munere poſt annos decem reſtitutam, mea ſtudia, ipſam denique valetudinem vllo pretio venderem? Eodem denique in libro *epiſt. 14.* conqueritur, decem annorum laboribus vix tria ſcutatorum millia, id eſt, quantum ad filiam collocandam requiratur, colligi ab ſe Romae potuiſſe. Poſt biennii tamen ſpatium, quum Romam profectus eſſet, vt filiam ibi relictam ad nuptias reduceret in patriam, iuſſu Gregorii XIII. P. M. ſedem hic denuo ſtatuere, redeundique conſilium abiicere cogebatur. Vid. *lib. XI. epiſt. 15.* Mortuus eſt ibidem anno 1574. menſe Aprili, quod his THVANVS *Hiſtor. lib. LIX. p. m. 87.* teſtatur verbis: *Paulus ante aliquot annos Venetiis Romam euocatus, vt ſacrorum librorum editioni praeeſſet, attenuato aſſiduis ſtudiis corpore, cum diu prae macie in lecto decubuiſſet, vbi eum paucis ante mortem diebus ſedulo cum Romae eſſem, cum M. Antonio Mureto vetere amico ſaepius inuiſi, tandem optime meritam de re litteraria animam Deo reddidit VIII. Idib. April. ad Mineruae ſepultus.* Vitam eius eleganter expoſuit KRAVSIVS in laudata ſupra Diſſertatione; dolendum vero, non acceſſiſſe alteram, in qua diligentius Auctor perſequi voluit, qua ratione ſpectandam ſe praebuerit Romae conſtituta Manutii virtus. Reliquit Paulus filium, Aldum ſecundum, anno 1547. natum, haeredem typographiae paternae, quam Venetiis dexterrime continuauit. Praeter alia, magni aeſtimanda, excudit is *annoque 1583. in f.* Voluminibus X. feliciter abſoluit CICERONIS *Opera*, Manutiorum illuſtrata Commentariis, eosque Tomos decem commode quatuor in Volumina redigi poſſe, FABRICIVS adſerit *Bibl. Lat. Vol. II. p. 159.* Laudat hanc editionem vehementerque commendat CLEMENT *Tom. VII. p. 148.* verbis, quae ſequun-

ſequuntur: *C'eſt ici la plus notable de toutes les Editions de Ciceron, qui ſont ſorties de la preſſe des Aldes.* Vellem tamen, addidiſſet tanti elogii cauſſam, praecipue quum Fabricius *l. c.* Opus illud vitiis typographicis paſſim deturpatum offendi ſignificet. Sub Sixto V. Pontifice, poſt annum 1585, Romam venit, vt, quod iam antea Venetiis egerat, Bononiae Piſisque, profiteretur eloquentiam et humaniores litteras in Gymnaſio Romano. Nullo id plauſu factum eſſe, docetur in ERYTHRAEI *Pinacotheca I. art. 109. p. m. 185.* Ea enim hora, qua docere diſcipulos debebat, a corona derelictus, ante ſcholae oſtium cum vno aut altero obambulauit. Forte hoc et corporis tribuendum formae erat, quandoquidem fuiſſe dicitur pedibus praeter modum enormibus, capite magno, facie oblonga, ore illepido et invenuſto, barba horrida, cuiusmodi in ſtatuis Philoſophorum antiquis et imaginibus cernimus. Roma ſalutata facultatibus adeo modicis nouam cepit ſpartam, vt ipſi neceſſe fuerit, aliquot aureorum centena foenori ſumere, et, quod eſt grauiſſimum, vſura centeſima, ad ſoluendam vecturam Bibliothecae, quam Venetiis vsque aduehendam aſportandamque curauerat. Vid. ERYTHRAEVS *l. c.* Interim, Romae agens, haud neglexit typographiam Venetam, hominis cuiusdam periti ſine dubio curae permiſſam. Ego certe libros noui, poſt annum 1590. in eadem excuſos. Temporibus Clementis VIII. Aldus, ſecundus, typographiae Vaticanae praefectus, ſucceſſorque, credo, conſtitutus eſt Dominici Baſae, de quo ſupra *ſ. XV.* dictum. Cf. MALLINKROT *de ortu et progr. art. typogr. Cap. XIV.* in fine, *p. 748. apud* WOLFIVM, itemque BAILLET in *Jugemens des Savans Tomi I. Parte 2. p. m. 9. ſq.* Obiit Aldus ille Manutius Romae anno 1597. poſtremus familiae ſuae. Non conſtat

enim mihi, vllum deinceps e Manutiis artem typographicam exercuiſſe in Italia. Catalogos librorum, qui generatim Manutiorum ex officina prodierunt, accepimus a CONR. GESNERO in *Pandectis fol.* 107-109, quam collectionem repetiit MAITTAIRIVS *Annal. typogr. Tomo III. p. 240. ſeq.* ita vero, vt quos non adiecerat Geſnerus, anni adſcripti ſint libris ſingulis; a CHR. GOTTL. SCHWARZIO in BEYSHLAGII *Sylloge. var. Opuſc. Tomo I. p. 644;* a FABRICIO *Bibl. Graecae Vol. XIII. p. 605. ſq.* item a SCHELHORNIO *Amoen. litter. Tom. X. p.* 1171. *ſq.* ac ſeparatim auctiusque *Memmingae a.* 1738. *in 8*, quod ſcriptum recuſum eſt mox in *Theſauro Bibliothecali Vol. IV. num. 43. p. 337. ſq.* De aliis quibusdam, qui huc faciunt, legi poteſt BÜNEMANNI *Notitia Scriptor. art. typogr. illuſtrant. p. 6.*

§ XIX.

Eadem in Venetorum vrbe Daniel Bombergius, Antwerpienſis, patria, poſt leuem Aldi Manutii, ſenioris, conatum, libros Ebraicos magna copia excudere omnium primus ex Chriſtianis coepit. Iam enim *Soncini anno* 1488. in f. pariterque *Brixiae a.* 1494. *in* 8. per Iudaeum, Gerſonem ben Moſe, Biblia exiiſſe Ebraica, oſtendit CLEMENT. *Tomo IV. p. 26. ſq,* Illud Brixienſe exemplar, quo Lutherus olim vti conſueuit, iam ſeruatur Berolini in Bibliotheca Regia, teſtante id celeberrimo OELRICHIO *im Entwurf einer Geſchichte der Koenigl. Bibl. In Berlin p. 29. ſq.* Didicerat autem Bombergius litteras Ebraicas a Felici Pratenſi Italo, eiusque opera vtebatur, quum *Biblia Ebraica*, Commentariis Rabbinorum illuſtrata, *anno* 1518. (non anno 1511, vt multi ſomniant,) *in f.* Tomis IV. diuulgaret. Exſtant etiam exemplaria formae quadripartitae. Non ſatis autem adcuratam Iudaei dicebant iſthanc

editio-

editionem, qua de re vid. MENAGII *Anti-Baillet*, *P. I. p.* 200. *edit. Amſtaelod. in 12. mai*; inde nouam parabat, eamque meliorem, Iacob. Chajim, Rabbinus, quae *anno* 1526. *in f.* Tomis IV. apud Bombergium prodiit. Repetita fuit eadem *anno* 1549. totidem Tomis. Vid. CLEMENT. *l. c. p.* 31. ENGELIVS in *Spicilegio libr. rarior.* Bibliothecae ſelectiſſimae adiuncto, *p.* 4. obſeruat, Biblia Bombergiana prae caeteris rariſſima eſſe, haec vero nitidiſſima, non niſi maximo pretio, ſi vnquam occaſio detur, redimenda. Referente SCALIGERO in *Scaligeranis poſterioribus*, ſiue alteris, *p.* 34. *et* 35. edit. primae, Bombergius tricies centena millia (tres milliones) vncialium in adornandam typographiam impendit, ideoque ad paupertatem ſummam redactum ſcribit ISAAC VOSSIVS in *Epiſtola dedicatoria* libri *de Sybillis.* ORLANDVS in *Origine e progreſſi della Stampa p.* 219. tticies centena Scutatorum millia memorat quidem, ſed haec nullo facultatum diſpendio erogaſſe Bombergium adfirmat. Haec et aliorum eſt opinio, ſimul addentium, quod ille typographus in tres Operis Talmudici editiones maximam pecuniae ſummam inſumſerit, cuilibet editioni myriade aureorum nummorum conſecrata. Ita certe COLERVS ad STRVVIVM *Cap. de typogr. ſ. XVII.* BAILLETVS e contrario *l. c. p.* 11. centum ſaltim vncialium millia ſingulis editionibus tribuit, quod vero mihi propius videtur. Quae IOH. GVIL. BERGERVS in Programmatum Sylloge, *Stromateus Academicus* inſcripta, *p.* 527. de typographo iſto clariſſimo litteris mandarit, ea ex ſequentibus percipies. *Sed quoniam, ait, Daniel Bombergius, Antuerpienſis, fortunis ſuis Venetias traiectis, Orientis litteris prelum ſuum magnificentius exercet, huic, ſi aequo ades animo, inſignem da locum. Hic Biblia Hebraea plu-*

ries excudit, cum tanta nominis ſui celebritate, vt his eius laboribus nihil neque elegantius, nec accuratius, putetur. Hic commentarios plures, quos Hebraeorum magiſtri reliquerant, ex eadem officina emittit, quos Iudaei auidiſſime conquirunt. *Sed libros Talmudicos ter cudit, ſumtu tam graui, vt ſingulis horum editionibus conſumat centies mille Coronatos. Idem, dum ſacrum Veteris Inſtrumenti Codicem parat exprimere, aliquot Iudaeorum Centurias, mercede conductas, alit, ſi credimus Iſaaco Voſſio. Famae igitur preli ſui intentus, edit opera, quorum pretium non minuit dies, ſed auxit. Sed ea gloriae cupiditate exhaurit facultates ſuas, ac patrimonium, quod habuerat ampliſſimum, diſſipat, tribus Coronatorum Millionibus arti ſuae impenſis, vt aeris recentis ſummam Ioſephus Scaliger facit.* Neque inter praeſtantiores Venetorum typographos loco ſingulari indignus eſt Bernardus Iunta, qui ſaeculi praecipue XVI. initio artem ſuam dexterrime tractauit. Idem effecit Lucas Anton. Iunta, forte filius Bernardi, cuius ex officina CICERONIS *Opera, cum Commentariis Petri Victorii anno* 1537, *in f.* Volum IV. producta ſunt. Editionem hanc nitidiſſimam et caſtigatiſſimam ad fidem MSS. Codicum, Medicei potiſſimum, ſed nec minus rariſſimam dicit FABRICIVS *Bibl. Lat. Vol. I. p.* 142. *edit. quintae Hamburg.* Haeredes ipſius, inter quos Thomas Iunta mihi notus eſt, floruerunt adhuc ibidem anno 1583. Debetur, vt vel vnico vtar exemplo, curae eorundem GALENVS, Latine *anno* 1550. *in f.* tribus Tomis excuſus, de qua bella editione vid. GOETZII *Merckwürd. der Königl. Bibl. zu Dresden, Vol. II. p.* 84. Non autem Venetiis tantum, ſed *Florentiae* quoque, per totius ſaeculi ſpatium, et quod excedit, inclitum

fuit

fuit nomen Iuntinum. Philippus Iunta, frater, ni fallor, Bernardi, Veneti, iam *anno* 1497. *in* 4. typis impreſſit ZENOBII *Epitomen Graecam Paroemiarum Tarraei et Didymi*, docente GOETZIO *l. c. p.* 131. Peruenit deinde officina tam nobilis ad haeredes eius, quorum tres inueni, Bernardum ſcilicet, Iacobum atque Philippum. Huius nomen adhuc anno 1598. in libris occurrit. Catalogus librorum vero, qui in Iunctarum, Philippi haeredum, officina proſtant, *Florentiae anno* 1604. *in* 12. lucem adſpexit. Seruat exemplar Bibliotheca Bunauiana; eundemque Catalogum adfert LABBEVS in *Biblioth. Bibliothecarum p. 29. edit. tertiae Rothomag.* vbi et memorat Bernardi Iunctae, Ioh. Bapt. Ciotti, et ſociorum, Bibliothecae Catalogum librorum, *Venetiis a.* 1608. *in* 12. diuulgatum. De Iuntinis libris antiquioribus generatim quid ſtatuendum ſit, ex ore GROSCHVFFII audiamus *p.* 19. Praefationis, *Nonae libror. Collectioni anno* 1709. praemiſſae. Sic autem vir doctus: *Editionibus Aldinis vt plurimum tribuo et conlaudo*: *ſed maiori longe in pretio mihi ſunt* Iuntinae *veteres editiones, quae eleganti chartae forma, nitore litterarum et emendata recenſione reliquas pene omnes ſuperant, et merito ſuo antecedunt. Ioh. Ge. Graeuius, aequiſſimus librorum cenſor et aeſtimator, quoties in Iuntarum exempla forte incidebat, magno redemit pretio, et cimeliorum inſtar adſeruauit.* Interim recte Groſchuffius hic loquutus eſt tantum de veteribus Iuntinis editionibus: recentiores enim, quae admodum ſint mendis maculatae, manibus ſe volutaſſe ſcribit ZELTNERVS in *Centur. Correctorum erudit. p.* 285. idque ſpeciatim Catalogo, ſupra producto, qui *anno* 1604. *in* 12. excuſus eſt, comprobare ſtudet; hunc quippe grandibus et quam plurimis ſcatere erroribus teſtatur. In Florentina Iuntarum officina Correctoris aliquando munere

functum eſſe Franciſcum Iuntinum, Monachum Carmelitam, Mathematicum inſignem, Iuntisque propinqua cognatione adnexum, ſuaque induſtria effeciſſe, vt prelum Iuntarum eruditis omnibus gratum acceptumque redderetur, fide ZELTNERI *l. c.* adiicio. Hoc ſaeculo typographiam Venetam non mediocriter ornarunt Sebaſtianus Coletus, Ioh. Bapt. Albrizzius ac Bartholom. Iauarinus. Colletus et Albrizzius *anno* 1728. *ſq.* nouam *Conciliorum vniuerſalium* editionem ſuſceperunt, *Tomis XXIII. in fol. mai.* praeter duplicem, vti inſcribitur, Adparatum Tomis II. feliciter finitam. Collectores *Actor. Erudit. Lat. ann.* 1729. *p.* 51, his verbis merito praedicant horum typographorum inſtitutum: *Bibliopolarum etiam curae quid in hac noua Conciliorum editione debeatur, venit indicandum. Praeterſumtus autem liberaliter erogatos ad typorum et chartae nitorem et elegantiam id potiſſimum referendum eſſe putamus, in quibus non ſane parſerunt, quod decus aliquod huic operi conciliare potuiſſet. Eſt typorum character, Graecorum praeſertim, quem cum oculorum diſpendio tantopere imminuerat Harduinus,* (is enim antea Pariſiis Conciliorum editionem curauerat,) *hic luculentiſſimus reſtitutus, eidemque neutiquam ſecundus, quem olim Labbeo-Caſſartiana editio exhibuerat. Charta etiam in exemplo, quale nobis eſt redditum, nihilo forte nitore et formae magnitudine cedit ei, quae Regiis quondam editionibus fuit adhibita, Harduinianam ſane longe vincit. Non ergo minus inde decus Reipublicae Venetae, quae et ipſa priuilegium indulſit, auguramur, quam quod ex praeclaris huiusmodi operum editionibus Regio quondam Pariſiorum typographeo acceſſit.* Iauarinus, quem ſupra laudaui, praeter alia Byzantinae Hiſtoriae Scriptores *anno* 1729. *et ſeq.* denuo luci expoſuit, ita quidem, vt et chartae typorumque venuſtas ſtatim occurrat oculis, et induſtria, ne

Graeca

Graeca pariter ac Latina excuderentur, niſi perquam emendate, non poſſit facile in dubitationem vocari. Quum tamen Iauarinus moreretur prius, quam omnia eſſent abſoluta, ſucceſſor eius, Ioh. Bapt. Paſqualis, Operi finem conſtituit, cui mutationi tribuenda eſſe videntur, quaecunque vitioſa obſeruarunt eruditi.

§. XX.

Taruiſii mature ſuſceptam typographiam eſſe, VOSSIVS indicat *de Hiſtor. Latinis p.* 803. *edit. Leidenſ. anno* 1651. *in* 4. conſummatae. Differit hoc loco de Polyphili i. e. FRANC. COLVMNAE *Hypnerotomachia*, quae *anno* 1469. *in f. Taruiſii* eſt edita. Tituli huius Graeci argumentum eſt, omnia non niſi merum ſomnium videri, quorum flagrant amore homines. Permodum fabulae autem antiquitates enarrari Taruiſienſes, docet, qui non nulla lectu digna de libro iſto adfert, IOH. BONIFACIVS in *Iſtoria di Trivigi*, *Venetiis anno* 1744. *in* 4. recuſa, *p.* 474. Poſt imprimendi artem anno 1471. *Neapoli* primus monſtrauit Sixtus Rieſſingerus, vel Ruſingerus, Argentoratenſis, Ferdinando Regi, et Nobilitati Neapolitanae cariſſimus. Huic ſaepe ab ipſo Rege Epiſcopatus oblati ſunt et ampliſſimae dignitates, quibus vero patriam Argentinam praetulit. Didici haec ex SCHOEPFLINI *Vindic. typograph. p.* 119. qui vir illuſtris ex WIMPHELINGII *Epitome rer. German. Cap. LXV.* iſta deſumſit, vbi et memoratur, Ruſingerum rediiſſe in patriam, honoresque ſacerdotales accepiſſe, Ex quo patet, eum in litteris haud fuiſſe hoſpitem. PETRVS SCRIVERIVS apud WOLFIVM *Parte I. Monum. typogr. p.* 370. ſe habuiſſe teſtatus eſt, qui ex eius officina prodierit, Auctorem *de Viris illuſtribus*, et SEXTI RVFI *Breuiarium Hiſtoriae Romanae in* 4. cuius libri ad calcem legatur *Sixtus Rueſinger.*

ſinger. Neque tamen locum editionis annumue exprimi. Aliud eius Opus IAC. MENTELIVS adfert in *Paraeneſi pro typographia Argentoratenſibus vindicata*, *p.* 15. ſcilicet Andreae Rampini, vulgo ANDREAE DE ISEMIA, *Commentarios ſuper Conſtitutionibus Siciliae*, quibus typographus hic ſubiecit ſequentes verſus:

Hoc Martinus opus miro fecit ordine condi,
Sumtibus et chartis bibliopola ſuis
Sixtus hoc impreſſit: ſed bis tamen ante reuiſit
Egregius Doctor Petrus Oliuerius.
At tu quisquis emis, Lector ſtudioſe, libellum
Laetus emas: mendis nam caret iſtud opus.

Neapoli ſub Ferdinandi Regis inuictiſſimi aureo ſeculo, et Auguſta Pace MCCCCLXXII.

Martini nomine ſine dubio intelligitur Martinus, Rex Siciliae, anno 1409. mortuus. Quo tempore autem Rampinus de Iſernia floruerit, incertum redditur a ſcriptoribus vitarum. *Lexicon Erud. Ioecherianum*, v. *Rampinus*, obitum eius in anno 1553. collocat, quo fuerit occiſus tres annos et ſeptuaginta natus. At falſam hanc eſſe chronologiam, nullo negotio perſpicitur. Nec ſatis adcuratus hic PANCIROLVS videtur *de Claris LL. Interpr. lib. II. c.* 69. *p.* 162. *edit. Hoffman.* Meliora tandem edocuit me ERICVS MAVRITIVS in *Nomenclatore Scriptor. in Iura Feudalia*, *p.* 674. *Opuſculor. Frf. a.* 1692. in 4. editorum. Conſuluit illuſtris hic Imperialis Camerae quondam Adſeſſor *Vitam Iſerniae*, a NARDO LIPARVLO deſcriptam, atque in eadem relatum legit, Iſerniam vixiſſe poſt annum 1280. vsque ad annum 1353, eo nimirum a Comite Teutonico, Conrado de Cottis, cum ſociis aliquibus, ad portam Petruciam interfectum eſſe, quum ex arce Regia Neapolitana tarda noctis hora recipere ſe domum voluerit.

rit. Additur ſimul, Conſiliarium ipſum exſtitiſſe Caroli II. In eiusdem *Lectura ſuper Feudis*, *a.* 1477. euulgatis, ſub finem Ruſingerus auctorem vocat *Legum Euangeliſtam*. Sed haec velut in tranſitu. Redeo ad Neapolitanos, vbi circa idem tempus rem quoque typographicam tractauit Matthias Morauus, Olomucenſis patria, poſtquam Genua diſceſſerat. Dedit is *Neapoli anno* 1476. *in f.* cum *Biblia Latina*, ſubiectis interpretationibus Ebraicorum nominum, ſecundum ordinem alphabeti: tum PLINII *Epiſtolas*, ex recenſione Iuniani Maii, quam quidem editionem non pauci omnium adpellare primam ſolent. Ipſe hoc olim perſuaſerat ſibi FABRICIVS. Verum enim vero in *Vol. II. Biblioth. Lat. p.* 762. ſignificat., Neapolitana priorem, *anno* 1471. ſine loci ac typographi mentione *in f.* excuſam, a Maittairio laudari, quam adornarit Ludouicus Carbo, cuius et Praefationem aliqua ex parte repetiit. Notari maxime debent, ob ſummam Editoris Itali in Germanorum gentem aequitatem, verba ibidem obuia: - - *ad quam quidem rem commodiſſimum adiumentum praeſtiterunt nobiliſſima Germanorum ingenia, qui artificioſiſſimas imprimendorum librorum formas excogitarunt*, caet. Apud *Parmenſes* innotuit anno 1472. ars typographica, ibique Stephanus Corallus excudit *anno* 1473. *in f.* CATVLLVM, vt ex MAITTAIRO probauit FABRICIVS *l. c. p.* 69. Idem typographus PLINII *Hiſtor. naturalem a.* 1476. *in f.* cum breuibus Philippi Beroaldi notis euulgauit. *Florentiae* Bernardinus Nerlius, poſtquam Bernardin. ac Dominicus Cennini, pater et filius, iam anno 1471. officinam typographicam in hac vrbe inſtruxerant, teſte MAITTAIRIO *Tomo IV. p.* 320, nominis ſui memoriam immortalem reddidit prima HOMERI editione, *anno* 1488. *in f.* Graece exhibita. Nullum priora tempora protulere Opus Graecum maioris momenti. Deſcripſit

ſcripſit illud MAITTAIRIVS *Annal. typogr. Tomo I. p. 183.* et ſic quidem: *Operoſo hoc et praeſtantiſſimo Homeri, inter omnes poetas principis, volumine, duobus tomis comprehenſo, orbem eruditum anno 1488. donauit Florentia; quae, dum aliae vrbes in limine et initiis tantum, conatibus adhuc immaturis, ſubſiſterent, primo et vno, ſed ingenti grauique molimine, ad ipſum culmen voluit peruenire, vetuitque quicquam relinqui, quo ſuperari poſſet. Editione illa, ſi chartae ſolidae colorem et pompam, ſi nitidam characterum figuram, aequata marginum interualla, iuſtam linearum diſtantiam, totum denique impreſſionis ordinem et diſpoſitionem ſpectes, nil certe aut antea, aut poſtea elegantius comparuit.* Praecipuum vero decus egregia huic editioni opera conciliauit, quam ipſi Demetrius Chalcondyles impendit. Vid. BOERNERVS *de doctis hominib. Graecis p. 188. ſq.* itemque GOETZII *Merckwürd. der Königl. Bibl. zu Dresden, Vol. I. p. 53.* Cf. ſimul BOIVINVS in *den Geſchicht. der Königl. Acad. der ſchönen Wiſſenſchaften zu Paris, Parte III. p. m. 457. ſq.* Saeculo XVI, et anno quidem 1553, Laur. Torrentinus, typographus Florentinus, *Pandectarum libros*, per Lael. Taurellum recognitos, iamque rariſſimos, tribus *in f.* Tomis magnifice, ac pereleganter adcurateque typis impreſſit. Hodie *Patauii* communem eruditorum plauſum tulit officina Cominiana, quam egregie inſtruxit Ioſeph. Cominus. Produxit is, vt exemplo vtar, *anno 1737.* Catullum; *anno 1749.* Tibullum; *anno*que demum *1755.* Propertium. Satis hae ſunt nitidae editiones, omnes *in 4. mai.* Commentariis ampliſſimis IOH. ANTON. VVLPII exornatae, parumque inferiores Belgarum pulcherrimis, quas hoc ſaeculo accepimus. De Plauti Comoediis, iam *anno 1725. in 8.* a Comino excuſis, honorifice iudicant Collectores

Actor.

Actor. Erud. Lat. anno 1730. p. 427. En! ipſa verba: *Plautus in charta puriſſima comparet, et minuto quidem charactere, ſed pingui et tam eleganti, vt ad Elzeuirianum, quem hactenus imitari nemo potuit, quam proxime accedat. Etſi, cui debeatur editio, nullibi indicetur, dubium tamen non eſt, eam doctisſimis Fratribus Vulpiis, qui typographiae huius commoda iam dudum edendo optimos libros promouent, deberi.*

§. XXI.

Ad cognoſcenda fata typographiae in *Gallia* CHEVILLERIVS generatim adiri poteſt in libro §. V. adducto *de l'origine de l'Imprimerie de Paris.* Ex Guttenbergii Menteliique ſchola Argentoratenſi prodierat Michael Friburgerus, de Columbaria, ſiue Colmarienſis, qui vna cum Vlrico Geringio, et Martino Cranzio, ſodalibus itidem Germanis, typographiae artem anno 1469. adeoque imperante Ludouico XI. primum *Lutetiam* attulit. De Bibliis Latinis, quae hi ipſi iam anno 1464. excudiſſe a quibusdam dicuntur, vid. omnino CLEMENT *Tomo IV. p. 79. ſq.* Vocauit autem eos typographos in vrbem Ioannes de Lapide, vulgo *von Stein*, origine Germanus, Priorque Sorbonae, in qua triumuiri hi negotii ſui exordium ceperunt. Geringius totius operis typographici fuerat director, qui Bertholdum Remboltum, typographum in Dioeceſi Argentinenſi natum, anno circiter 1493. Lutetiam acciuit, ſibique adiunxit collegam. Vid. SCHOEPFLINI *Vindic. typograph. Cap. XII. p. 118.* Primus liber, ab his typographis excuſus *anno 1470*, fuit BARTHOLOMAEI PISANI *Summa caſuum conſcientiae*, cuius in fine hi exſtant verſus:

Hanc nitide preſſam Martinus *reddidit, atque*
Michael, Vlricus, *moribus vnanimes.*

Hos

Hos genuit Germania, nunc Lutetia paſcit:
Orbis miratur totus eorum opera. caet.

Docuit hoc IAC. MENTELIVS in *Paraeneſi pro typographia Argentoratenſibus vindicata*, *p. 256.* apud WOLFIVM *P. II.* Summae autem Piſanae CASPARINI BERGOMENSIS *Epiſtolas* anteponit FONCEMAGNE in *den Geſchichten der Königl. Academ. der ſchoenen Wiſſenſchaften zu Paris*, *Parte IV. p. 133.* Primum e contrario ſpecimen RODERICI *ſpeculum vitae humanae;* alterum ſummam Piſanam, NAVDAEVS apud WOLFIVM *P. I. p. 531.* dicit. Ante omnes hic legenda eſt *Pars I. cap. 2. et 3. Operis Cheuilleriani*, vbi et hiſtoria Geringii obuia. Mortuus eſt ille anno 1510. Lutetiae, poſtquam quadraginta per annos typographiam exercuerat. Paullo ante, *anno* nimirum *1507.* et *1508.* primum ibidem libros Graecos atque Ebraeos imprimere ſuis typis coepit, auctore Franc. Tiſſardo, de quo vid. MAITTAIRII *Annal. typogr. Tomo II. p. 95. ſq.* Aegidius Gourmontius. Praecipue vero de re typographica inſigniter promerita eſt Stephanorum familia, de qua ſpeciatim nunc agendum.

Primus omnium fuit Henr. Stephanus, cuius typographia in ſaeculi XVI. initium incidit. Qui ex eadem prodiere libri, ii Latini ſunt omnes, perpauci tamen claſſici, vt vulgo dicuntur. Deceſſit Henricus anno 1520. quo facto, Simon Colinaeus anno 1521. viduam vxorem duxit, eademque in domo et iisdem typis libros complures edidit. Ipſe tamen longe pulchriores deinde characteres comparauit, variis Operibus adhibitos, inter quae QVINTILIANI *Inſtitutiones oratoriae*, *anno 1541. in 4.* typis impreſſae, maxime laudantur a SALLENGRIO in *Memoir. de Litt. Tomi I. Parte I. p. 173.* quo loco adſeritur: *Elle* (edition) *ſuffiroit ſeule, pour prouver l'exactitude de ce célebre Imprimeur, tant elle eſt correcte.* Caeterum

terum in calce librorum quorundam, annum 1521. praeferentium, ipſe ſe Colinaeus ſucceſſorem Stephani vocat, e. g. in *Elucidario eccleſiaſtico Clichtoueano anno 1521. in f.* Fuſius de Colinaeo diſſerit MAITTAIRIVS in *Vitis Typographorum aliquot Pariſ. Tomo I. p. 3. ſq.* Filios Stephanus reliquerat tres, quorum natu maior Robertus fuit. Hic, vna cum fratre, Franciſco, typographiae aliquamdiu praefuit, poſt autem officinam inſtruxit ipſe, et cum aliorum, tum ſuos eleganter edidit labores litterarios, inter quos *Theſaurus linguae Latinae*, duobus praegrandibus Voluminibus *a. 1543.* tertium emiſſus, quam maxime eminet. Erat enim Robertus homo eruditiſſimus, quem Beza in Epitaphio recte dixit πάντων χαλκογράφων ςέφανον. Integrum illud exhibet MAITTAIRE in *Vitis Stephanorum, Tomo I. p. 106.* Cf. MENAGII *Anti-Baillet*, in Opere BAILLETI ſaepe adducto, *Tomi VII. P. I. p. 232. ſq.* edit. *Amſtaelod. in 12. mai.* Gener factus eſt Iodoci Badii, de quo infra, ducta Petronilla, vxore littera, et coniuge digna litterato, annoque 1539. Franciſcus I. Galliarum Rex ipſum in litteris potiſſimum Ebraicis ac Latinis praefecit typographiae Regiae, id quod varii libri teſtantur, in eadem exſcripti. quare etiam thyrſo quandoque vtitur cum lauri ramo ac ſerpente circumflexis, quod commune alias typographis Regiis eſt ſignum. Exſtare illud e. g. noui in fronte Scriptorum Hiſtoriae eccleſ. Euſebii, Socratis, caet. *anno 1544.* belliſſime Graeca lingua *in f.* euulgatorum, cuius Operis ad calcem ipſum inſigne Stephanorum adparet, oliua nimirum, in ramos porrecta, ſurculis quibusdam decidentibus, et addita figura hominis ſpeculantis, atque digito indice demonſtrantis, cum epigraphe: *noli altum ſapere.* Robertus poſtquam irritauerat Doctores Sorbonicos partim Bibliis Latinis, *anno* 1528. iterumque 1532. *in f.* editis, quae ipſum temeraria

meraria ratione corrupiſſe dicebant, partim aliis ex cauſſis, veluti haereſeos ſuſpicione, fauebat enim Caluini doctrinis: multas perpeti cogebatur calamitates, maxime poſt Franciſci I. obitum, qui anno 1547. contigerat. Tunc enim priſtina orbatus tutela nullam ſibi ſupereſſe videbat ſecuritatem, ideoque periculum, quod ipſi imminebat, anno 1552. Geneuam confugiens feliciter euaſit. Aliter de hocce diſceſſu ſcribit, et quidni vnius rei plures eſſe poſſint cauſſae? BAILLETVS in *Iugem. des Sav. T. I. P. 2. p. 21.* Age! audiamus ipſum: - - *et peut étre a cauſe de la Friponnerie de quelquesuns de ſes valets, les quels l'ayant volé conſiderablement, l'avoient mis hors d'état de pouvoir ſubſiſter à Paris dans l'éclat et le grand air, où il avoit paru jusqu'alors.* Vix autem Geneuam peruenerat Robertus, quum Iunio menſe publicaret *ad Cenſuras Theologorum Pariſienſium, quibus Biblia a Roberto Stephano, typographo regio, excuſa calumnioſe notarunt, Reſponſionem in 8.* ſtatim et Gallica lingua recuſam. Tum artem ſuam ſocio adfine, Conrado Badio, ſtrenue continuauit, anno tamen 1559. aetatis ſexto et quinquageſimo viuorum ereptus numero eſt, in Theſauro Graecae linguae colligendo, quem Henricus, filius, anno demum 1572. abſoluit, occupatiſſimus. Fuere, qui tradiderint, Roberti effigiem, poſt fugam eius, manu carnificis Lutetiae fuiſſe combuſtam. Id vero ab aliis in dubium vocatur, quos inter praecipuus eſt MAITTAIRIVS *l. c. Tom. I. p. 72.* Idem negat, et variis quidem argumentis atque luculentis, Robertum characteres, ſeu matrices potius, typographiae Regiae ſurripuiſſe, ac tranſtuliſſe Geneuam. Libri, qui auſpiciis eius lucem adſpexerunt, ſiue Graeci, ſiue Latini, melioris omnino ſunt notae, chartaeque ac typorum nitore oculos paſcunt, et quoniam emendati ſunt diligenter, magni venduntur, noſtra

cum

cum primis aetate, qua rarius inueniri ſolent. Refert ALMELOVEENIVS *de Vitis Stephanor. p. 41.* idque repetiit etiam MAITTAIRIVS *l. c. p. 19.* hunc Robertum ſingulas librorum plagulas hic illic per plateas locis certis adfixiſſe, propoſitoque, pro ſphalmatis ratione, praemio praetereuntium eruditorum diligentiam, in obſeruandis mendis typographicis, excitaſſe. Maximam olim, inter libros eius, praerogatiuam habuit Noui Teſtamenti Graeci editio, *Lutetiae anno 1546.* iterumque *a. 1549. in 12.* adornata, quam librarii plerumque *o! mirificam* dixere, (hoc nimirum Praefationis exordium eſt,) adſerentes vno ore, in eadem ne vnicum quidem exſtare vitium typographicum. Nihilo tamen minus non nunquam humani quid paſſos eſſe cum typothetam, tum Correctorem, variis oſtendit ſpeciminibus GODOFR. OLEARIVS *Comment. in Matthaeum obſeruat. XIV. §. 7. p. 130.* Cf. quoque MAITTAIRE *l. c. p. 117.* FEVERLINVS in *Actis Francon. erud. Vol. II. P. 13. p. 56.* Robertus ille Stephanus tres, vti pater, filios reliquit. Primus eorum Robertus II. fuit, qui quum Pontificiae religionis eſſet tenaciſſimus, ob diſpoſitionem paternam excluſus eſt haereditate: inde, in ſolatium, typographiae Regiae Pariſienſi praefectus domicilium ibi conſtituit, librosque poſt annum 1556. coepit imprimere. Occidit anno 1588. Poſt filius eius, Robertus III. aeque typographus doctiſſimus, negotium parentis tractauit vsque ad annum 1644, quo ex vita diſceſſit. Vid. MAITTAIRE *l. c. p.* 504. et 541. *ſq.* Alter Roberti filius erat Franciſcus II. qui Geneuae ab anno 1562. vsque ad annum 1582. libros excudendos curauit, eodem teſte, *p.* 517. Tertio denique Henrici pariter nomen inditum; neque vero ſatis conſtat, minorne is, an maior natu, inter fratres fuerit. Id certum, quod optime educatus, anno aetatis viceſimo iter in ter-

ras peregrinas, Italiam, Angliam Belgiumque, ſuſceperit; ac tum redux in patriam factus Lutetiae officinam inſtituit, ſeque aliquamdiu ab anno 1558. Vlrici Fuggeri, Patricii Auguſtani admodum pecunioſi, profeſſus eſt typographum, a quo annuum ſalarium ad quosdam libros excudendos accepit. Vid. BRVCKERI Progr. *de illuſtriſſimae gentis Fuggerianae meritis in litteras*, ſub finem. Locum id nunc occupat Latine redditum, nec vulgariter auctum, in Viri celeberrimi *Miſcellan. hiſtoric. philoſ. et litter. p. 391. ſq.* Fuggero propter motus Galliae inteſtinos Germaniam repetente, Henricus etiam ex patria deceſſit, et Geneuae per aliquod temporis ſpatium commoratus eſt, variasque Principum aulas frequentauit. Huius tamen vitae pertaeſus, denuo ſalutauit Lutetiam, totumque ſe dedit typographicis curis, quas interea paſſim alibi ſuſtinuerat. Scripta quaedam ipſius multorum animos exacerbarunt, liber praeſertim Gallicus, *Traité preparatif à l'Apologie pour Herodote* dictus, quem *Geneuae a. 1566. in 8.* edidit, ſaepius deinde recuſum. Acriter in hoc Pontificios perſtrinxerat, nullo alio conſilio, quam vt eorum partim ridiculas ac theatrales caerimonias, partim atrociſſima facinora detegeret atque inſectaretur. Hiſtoriam totius libri et argumentum copioſius expoſuit DE SALLENGRE in *Memoir. de Litterat. Tomo I. art. 4. p. 38. ſq.* Falſa ſunt autem, quae KOENIGIVS in *Biblioth. veteri et noua* ex TOLLIO *de infelicitate litteratorum* refert, ſcilicet Stephanum propter hocce ſcriptum fuga ſibi conſuluiſſe, eiusque deinceps effigiem a carnifice crematam fuiſſe; ac ſaepius inde per iocum dixiſſe Stephanum, quod nunquam vim frigoris magis, quam eo tempore, ſenſerit. Plurimi deceptum putant Tollium, et hiſtoriam de Roberto, patre, ſupra narratam, perperam improuideque tranſtuliſſe in filium, MAITTAI-

RIVS profecto *l. c. p.* 279. nulla hic veritatis veſtigia cognoſcit. Tandem Henricus, ſemper fere laris incerti, anno 1598. aetatis ſeptuageſimo Lugduni mortuus eſt in noſocomio, deſtitutus neceſſariis vitae ſubſidiis. Tot enim tantosque in Theſaurum Graecae linguae impenderat ſumtus, vt in aes alienum incideret, quod vbi diſſoluere nullo modo poterat, Lutetiam relinquere cogebatur. Ingenio fuit arroganti, rixoſo atque mordaci, prout ipſe gener eius, CASAVBONVS, teſtatur *Epiſt.* LXXXIX. Cf. MAITTAIRE *p.* 485. *ſq.* Patet ergo cauſſa, cur plures ei moleſtaeque natae ſint controuerſiae cum diuerſis eruditis, interque caeteros Ioh. Leunclauio. Stephani tamen hic egit cauſſam MAITTAIRE *p.* 489. Sine dubio vir fuit gentis ſuae, imo et omnium aliorum typographorum, doctiſſimus, quod ex ſcriptis eius quamplurimis facile perſpicitur. Singula diligenter recenſuit NICERONIVS *Vitarum Parte XX. p. 24. ſq. edit. Germ.* Eminent in his Graeca, *Theſaurus* potiſſimum *Graecae linguae*, iam a patre coeptus, nec leui Frid. Sylburgii ſymbola locupletatus, qui *anno* 1572. quatuor grandioris ſtaturae Voluminibus prelo eius exiit cum Adpendice ampliſſima. Iſto tamen ex Opere minus lucri collegit, quam gloriae, dolo adiutoris ſui, Scapulae, quoniam is Lexicon Graeco-Latinum, quod nomen ipſius praefert, ex Stephaniano Theſauro compilauerat, per id tempus, quo mendorum in eodem obuiorum emendatio induſtriae eius fuerat commiſſa. Sumtibus igitur immenſis, ob tardiorem exemplarium diſtractionem, non ſatis celeriter receptis haud leuem Stephanus fortunarum iacturam fecerat, Cf. MALLINKROT *de ortu et progr. art. typogr. Cap. XIV. p.* 736. apud WOLFIVM, ac DE LA CAILLE apud MAITTAIRIVM *l. c. p.* 500. itemque MORHOFIVS in *Polyhiſt. Tom. I. lib. 4. cap. 8. p. m.* 809.

Index librorum, qui ex Henr. Stephani officina prodierunt, acceſſit eiusdem *Epiſtolae de ſuae typographiae ſtatu nominatimque Theſauro linguae Graecae, anno* 1569. *in* 8. Idem exſtat in MAITTAIRII *Annal. typogr. Tomo III. p.* 462. *ſq.* qui vir doctus etiam *Hiſtoriae Stephanorum*, et alteri quidem Tomo, duplicem inſeruit Catalogum librorum, typis Stephanorum exſcriptorum. Prior eos continet ordine chronologico: poſterior contra eſt adcommodatus ad ſcientias et Facultates, vt vulgo dicunt. Maximi cum primis aeſtimantur libri a Roberto, patre, excuſi; qui enim Henrici II. ex officina producti ſunt, ii nec tantum nitoris elegantiaeque praeferunt, nec tam adcuratam in maculis typothetarum tollendis curam. Filium Henricus Stephanus II. habuit Paulum, qui rem patris typographicam Geneuae fuit perſequutus, annoque 1627. diem obiit ſupremum, relicto filio, Antonio, quem eiuratis Caluini doctrinis, Pariſiis anno 1623. typographi Regii honore ornatum eſſe, legi. De vtroque, et Paulo, et Antonio, vid. MAITTAIRE *p.* 527. et *p.* 550. Saepius hoc loco memorata eius *Hiſtoria Stephanorum Londini a.* 1709. *in* 8. *mai.* lucem adſpexit. Longe haec eſt adcuratior pleniorque Diſſert. epiſtolica THEODORI IANSSONII AB ALMELOVEEN *de vitis Stephanorum, celebrium typographorum,* Ioh. Ge. Graeuio inſcripta, et *Amſtael. a.* 1683. *in* 8. edita. Quam iniquo autem animo Maittairii conatum tulerit Belga, haec docent, quae ſcripſit olim ad Fabricium: *Deſideratam diu*, ait, *et propoſitam quietem mihi inuidit quidam Anglus, Mich. Maittaire, qui falcem ſuam in meam immiſit meſſem, edendo vitas, ſeu, vti vocat*, Hiſtoriam Stephanorum, *quam meam Diſſertationem habeo altero tanto fere locupletiorem. Eam tamen dare eſt animus, ne videar eius opera deterritus, quamquam multa habeat olim mihi obſeruata, qui nunquam neglexerim,*

dili-

diligenter corrigere, quae ſtemma illud egregium illuſtrare poſſint aut exornare. Addam adhuc, uti mihi ſaltim perſuadeo, multa, vt vt omnia ſtuduit occupare, ei nec dum obſeruata ac lecta. Sed obſtitit mors, quae Auctorem anno 1712. oppreſſit, ne perficere deſtinata poſſet. Vid. REIMARI *Vita Fabriciana p. 216.* Caetera non repetam, *Cap. VII. §. 40.* ſub finem abs me congeſta: forſitan enim et haec, quae iam protuli, quamquam loco maxime opportuno, plurimis, quaſi crambe bis cocta, nauſeam adferent. De vita ſigillatim Roberti I. et Henrici II. Stephanorum conſulendus NICERONIVS *Parte XX. p. 1. ſq. edit. Germ.*

§. XXII.

Plures adhuc Gallorum typographos, quorum vtique ſeruari memoria debet, annales ſuperiorum temporum litterarii indicant. Sic Pariſiis ineunte ſaeculo XVI. inclaruit IODOCVS BADIVS, Aſcenſius dictus a patria *Aſche*, propter Bruxellas. Primum Lugduni docuit litteras humaniores, poſt Pariſiis domicilium conſtituit atque excellentem condidit officinam typographicam, *preli Aſcenſiani* nomine inſignitam. ERASMVS in *Ciceroniano p. m. 168.* laudat viri doctrinam, imo alibi eum certa ratione ipſi Guil. Budaeo anteferre non dubitauit. Mortuus eſt anno 1535. Eius quippe haeredes ſub finem iam anni 1535. occurrunt in libris. Tres, praeter filium, Conradum, reliquerat filias, totidem celebrium typographorum vxores. Maior natu Mich. Vaſcoſanum, de quo plura apud MAITTAIR. in *Vitis aliquot typogr. Pariſ. Tomo I. p. 17. ſq.* altera Robert. Stephanum primum; tertia Ioh. de Roigny maritum eſt nacta Vid. BAILLETVS *l. c. p.* 14. et BAELIVS in *Diction. v. Badius.* Tpographia Regia Pariſienſis habuit ADRIANVM TVMEBVM, qui praefuit eidem ab

anno 1552. per quadriennium fere, vt publico prodeſſet: tum vero, exeunte anno 1555, in ordinem Profeſſorum Regiornm eſt cooptatus. Aulicus erat homo, teſte MICH. DE MONTAGNE in *Eſſais Tomo I. libro I. cap. 14.* vbi nihil eum oſtendiſſe refert, quod magiſtellum ſaperet, praeter togae ſuae geſtamen et aliquem externum habitum, quae aulico cultui forſan per omnia haud erant conformia. *Nec etiam,* addit, *ex ſalutatoria flexione, geſtu corporis, ocreis et ſimilibus eum pronuntiari debere, quum intus nemo vsquam terrarum excultioris animi fuerit.* Cf. de ipſo MAITTAIRIVS in *Vitis typographorum Pariſienſ. Tomo I. p. 47. ſq.* Succeſſit eidem anno 1556. in hac typographia GVILIELMVS MORELIVS, ſeu, vt plerumque nomen eius ſcribi ſolet, Morellus, iam paullo ante a Turnebo in ſocietatem admiſſus. Nomen ſuum NICANDRI *Theriacis anno 1557. in 4.* ita ſubſcripſit: *apud Guil. Morelium, in Graecis typographum Regium.* Patriam nactus eſt vicum Comitatus Mortain in Normania inferiore, quem Galli dicunt *Teilleul*, Graecisque praecipue Scriptoribus in lucem prolatis magnam adeptus laudem eſt. Obiit autem anno 1564. in ſumma paupertate, quam conflauerat ſibi amplificandae rei litterariae ſtudio. Fuſius de eo agunt MENAGIVS in *Anti-Baillet Tomo VII. P. I. p. 226. ſq.* Operis BAILLETI, *Iugemens des Savans* inſcripti, ſecundum nouiſſimam editionem *Amſtael. in 12. mai.* et MAITTAIRE in *Vitis typogr. Pariſ. Tomo I. p. 33. ſq.* Succeſſor eius vti in matrimonio, ſic et in officina typographica fuit, remque domeſticam antea maxime deminutam, reſtituit IOH. BENENATVS, de quo idem MAITTAIRIVS *p. 97. ſq.* Laudat etiam is complures MORELLOS, ab Morelio probe ſeparandos, ſcilicet Fridericum primum ac ſecundum, Claudios, Carolum et Aegidium, notos omnes in typographiae hiſtoria. De IOH. CAMVSATO,

MVSATO, Academiae Francicae librario, qui anno 1639. deceſſit, peritiores iudicarunt, certiſſimum eſſe boni libri indicium, ſi prodierit ex officina Camuſati. Vid. BAILLETVS *l. c. Tomo I. p. 2.* Vehementer porro commendatur ab eodem *p. 33.* MAMERTVS PATISSONIVS, ſocius quondam Roberti Stephani, huius nominis credo ſecundi, cuius acceperat officinam, ducta in matrimonium vidua. Quaedam et memorat de ipſo IAC. MENTELIVS in *Obſeruat. de praecipuis typographis, Parte II. p. 380.* in WOLFII *Monum. typographicis.* Non pigebit audiuiſſe eius verba, quae haec ſunt: *Epiſtolas Ciceronis ad familiares typis elegantiſſimis commiſit, vt et Petronium et libros de emendatione temporum Scaligeri: Varronem Scaligeri, Feſtum, Manilium in 8.* (*Lutetiae a. 1579.* Partibus II. In titulo legitur: *apud Mamertum Patiſſonium, typographum Regium, in officina Rob. Stephani,*) *Poemata Paſſeratii. Miſerabili fato periit, dum rediret ab Turonibus Pariſios, ſcilicet incidit in vallum et foueam aquarum, vbi ſuffocatus eſt inter Stampas et Pariſios.* Accidit hoc anno 1601. Cf. MAITTAIRII *Stephan. Hiſtoria, T. I. p. 520. ſq.* De aliis quibusdam typographis Pariſienſibus, v. g. Ioh. Ludouico Tiletano, homine ſimul erudito, qui Graecos potiſſimum libros admodum emendate exhibuit, Godofr. Torino, caet. euoluatur BAILLETVS *l. c. p. 36. 39. 40. ſq.* Eadem in vrbe ſaeculo XVI. officinam inſtruxerat CHRISTIAN. WECHELIVS, Andreae pater, ac tanto quidem adplauſu, vt inter praeſtantiſſimos haberetur typographos. Sane quam diligenter adcurateque partes peregerit ſuas, vel id eſſe documento poteſt, quod in grandioris formae, quae edidit, Operibus vix vnum alterumue mendum inueniri dicatur. BAELIVS, in *Diction. v. Wechel*, nominat ſpeciatim, ad id probandum, IOH. FRANC. BVRANAE *Commentarios in Ariſtotelis priora*

Reſolutoria, apud Wechelium *a. 1539. in f.* excuſos, atque MAITTAIRIVS *Annal. typogr. Tomo II. p. 405* hoc eum ornat elogio: *Lingua vernacula*, (i. e. Gallica) *Latina*, *Graeca et Hebraea multos publicauit libros*, *quorum ſi copiam*, *nitidos characteres*, *et adcuratam emendationem ſpectemus*, *non erit*, *quare praecipuis artis illius magiſtris non annumeretur.* Anno 1534. multae ipſi grauesque mouebantur controuerſiae ob librum DESIDERII ERASMI *de eſu carnium interdicto* diuenditum. Is enim Pariſiis erat prohibitus. In extremam poſtea paupertatem incidiſſe Wechelium, non nulli contendunt, ex iuſta poena diuina, quod librum quendam impium euulgaſſet. Quis fuerit iſte liber, non conuenit inter ſcriptores. Mirifice ſomniarunt, quibus commentitia ſchedarum *de tribus Impoſtoribus* in mentem venit editio. Franciſcus Garaſſus Opuſculum eſſe adſerit, quod *a.* 1531. *in 4.* ex officina Wecheliana productum eſt, ita inſcriptum: *Exactiſſima infantium in limbo clauſorum querela aduerſus diuinum iudicium apud aequum iudicem propoſita. Autore* ANT. CORNELLIO, *Iur. Vtr. Licentiato.* At enim legi hic merentur, quae BAELIVS diſſerit *l. c. nota* (B) Caeterum negare non auſim, ad incitas tandem redactum Wechelium fuiſſe. Saepius certe miſerum hoc fatum ſubire olim debuerunt typographi nobiliſſimi, quod paſſim ab me iam obſeruatum eſt. Vitam cum morte commutaſſe ſuſpicor eundem paullo poſt annum 1553. quo adhuc VEGETIVM *de re militari in f.* edidit. In *Lexico Erudit. Ioecheriano v. Wechel.* adfirmatur, quod typographus iſte ob libros varios, quos publicarit, ſacris Pontificiis aduerſos, Galliarum ſit regno eiectus, officina ipſius Fiſco adiudicata. Sed valde vereor, ne pater commiſceatur cum filio, Andrea, de quo ſupra egi *ſ. XIII.*

Lugdunenſis typographiae hiſtoriam ac typographos

phos meliores memorauit DOMINIC. DE COLONIA in *Hiſtoire litteraire de la ville de Lion, Parte II. p. 585. ſq.* Idem argumentum haud neglexit IAC. PERNETTY, Hiſtoriographus vrbis, in *Recherches pour ſervir à l'Hiſtoire de Lion, ou les Lionnois dignes de memoire.* Vol. II. *in 8.* ſunt, quae *anno* 1757. *Lugduni* prodiere. Ietelligi exinde poteſt, iam *anno* 1476. ibidem per Bartholom. Buyer excuſum fuiſſe librum, pauciſſimis cognitum: *La Legende dorée.* Nondum inſpicere contigit Commentarios hoſce Pernettianos; innotuerunt mihi ſaltim ex Nouis Lipſienſibus. Vid. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1758. *p. 385. ſq.* Eodem loco indicatur, lectu digna copioſe proferri ab Auctore de SEBASTIANO GRYPHIO, qui ſuis in rem typographicam meritis Lugdunum tantopere illuſtrauit. Patria fuit Reutlinga in Sueuia, ciuitas libera Imperii Germanici, vbi lucem adſpexit anno 1493. Magno numero eius ex officina exierunt Codices praeſtantiſſimi, veteres cum primis Scriptores, quorum editiones in pretio eſſe ſolent eruditis. Oculis moleſtus ta[illegible]am character Italicus, quamquam nitidus ſatis, quo pleroſque libros exhibuit. BAELIVS, *in Diction* v. Gryphius, *L'une de ſes plus belles Editions, ait, eſt une Bible Latine: il la donna en deux Volumes in folio l'an 1550. et ſe ſeruit du plus gros caractere qu'on eût vu jusqu' alors. Elle ne cede en beauté qu'à la ſeule Bible imprimée au Louvre l'année 1642. en neuf. Volumes in f. Les Editions qu'il a faites en grand nombre ſont eſtimées de tous ceux, qui ſavent en quoi conſiſte l'art et la perfection de l' Imprimerie.* Mentionem quoque Operis huius Gryphiani CLEMENT *Tomo IV. p.* 144. iniecit, ex tribus id conſtare Voluminibus adfirmans. *Cette Edition eſt recommandable par ſa magnificence. Elle eſt imprimée avec les plus beaux et les plus grands caractéres Romains, que l'on puiſſe*

voir. Le format en eſt grand et ſuperbe: c'eſt pour quoi le P. de Colonia dit, qu'on la regarde comme un Chef. d'oeuvre de l'art. Le P. le Long. en fait mention dans ſa Bibliotheca ſacra, Tomo I. p. 161. et dit, qu'elle ne cede le pas à aucune Edition de Bible, ſi l'on en excepte celle, qui eſt ſortie de l'Imprimerie Roiale de Paris en 1642. in f. Vol. VIII. qui peut étre nommée la Reine des Editions de la Vulgata. Haec ipſa viri doctiſſimi verba ſunt. Vſus eſt autem Gryphius correctoribus dexterrimis, inter quos fuit Adam. Knoufius, Medicus, patria Colonienſis; inde non niſi rariſſime menda typothetarum in eius editionibus obueniunt. Octo ſaltim errata notantur in STEPHANI DOLETI *Commentariis Lat. linguae*, quod opus tamen, a Gpyphio *anno* 1536. *ſq.* excuſum, Volumina II. *in f.* explet. Vid. BAELIVS *l. c.* vbi et obſeruat, typographum hunc non imperitum litterarum fuiſſe, ideoque praeclara erat eruditorum de eodem opinio. BAILLETVS quidem *l. c. p.* 45. auctor eſt, quod Scaliger, declarandae obſeruantiae cauſſa, ipſi dedicauerit librum de cauſſis linguae Latinae, reſpondit vero MENAGIVS in *Anti-Baillet Cap. XV. p.* 54. *edit. Amſt.* quod ſaltim Epiſtolam, huius libri cauſſa, ſcripſerit ad Gryphium, quae ſententia omnino vera eſt. Id e contrario negari nequit, Conradum Geſnerum hoc feciſſe, ipſique conſecraſſe librum XII. Pandectarum. E vita diſceſſit Gryphius anno 1556. menſe Sept. relicto filio, Antonio, qui laudabiliter ibidem perſequutus eſt parentis veſtigia. Sunt meis in manibus PLVTARCHI *Vitae*, ex interpretatione Cruſerii, quas *anno* 1566. *in* 12. Tomis III. excudit. De vtroque plura dabit LEVBSHERVS in Diatriba *de claris Gryphiis, Brigae* 1702. *in* 4. *p.* 15. *ſq.* Cf. MAITTAIRIVS *Annal. typogr. Tomo II. p.* 562. *ſq.* Nouimus quoque Lugduni STEPHANVM

DOLE-

DOLETVM, virum ſcriptis compluribus, iisque hodie rariſſimis, ſatis clarum. IOH. MATTH. GESNERVS in *der Hamburg. vermiſchten Bibliothec, Vol. II. p.* 883. *ſq.* contendit, nusquam ſe deprehendiſſe notam, vnde ſuſpicari liceat, ipſum fuiſſe typographum, vel ſuo ſumtu typographion inſtituiſſe. Dubitatio iſthaec occaſionem IOH. PETRO KOHLIO ſuppeditauit, vt eidem Volumini *p.* 297. *ſq.* inſereret Obſeruationem ampliorem *de Steph. Doleto*, in qua quidem oſtendere ſtuduit, hominem hunc, variis fortunae fluctibus iactatum, vitaeque ſuſtentandae neceſſitate compulſum potius, quam aliis cauſſis domeſticis adductum, at non niſi ſub extrema vitae ſuae tempora, primo Correctoris munere functum eſſe in officina Gryphiana, deinde ipſum talem exſtruxiſſe. Quo autem id anno factum ſit, nullis certis indiciis conſtare fatetur Kohlius. Adſignare huic inſtituto mauult annum 1538, quam annum 1528. cum Maittairio, primumque librum, typis Doletianis editum, ait eſſe *Carmina* ipſius, quae dicto *anno 1538. in 4.* (non in 8. vt per errorem ſcriptum,) publicam lucem adſpexerint. Plures tum addit ex Maittairio, ac praecipue prouocat ad *Obſeruationes*, quas ipſe ante oculos habuit, *in Terentii Comoedias, Andriam et Eunuchum*, STEPH. DOLETO, *Gallo Aurelio, auctore Lugd. a. 1543. in 8.* cum priuilegio ad decennium euulgatas. Quo de libro ſic ſcribit Kohlius: *Ex officina eius chalcographica has Obſeruationes exiiſſe, comprobat tum inſigne eius typographicum, ſub indice libri comparens, hoc eſt* manus dolabra ſtipitem nodoſum et informem ad amuſſim dolans, (*ad ipſius nomen alludens,*) *cum circumpoſita inſcriptione, ſiue ſymbolo,* ſcabra et impolita ad amusſim dolo atque perpolio; *quod inſigne eius et in fine libri huius, vt in multis aliis ab eo impreſſis, cum ſubſcripto nomine Doletus, adiectis verbis:* durior eſt ſpectatae

ctatae virtutis, quam incognitae, conditio *conſpicitur: tum verba illa in extrema paginae, quae indicem praefert, parte, aperte hoc indicantia:* apud eundem Doletum. Nolo transſcribere, quae Kohlius attulit, caetera. Vltimus eius, quantum ego quidem ſciam, libellus fuit *Le ſecond Enfer de* DOLET, *à Lyon, chez l'Auteur, 1544. in 8.* Compoſuit eum auctor, quum ſecundum eſſet in carcerem coniectus: poſt menſe Aug. anni 1546. combuſtus eſt Lutetiae vel propter religionem cum Proteſtantibus communem, vel propter nefarias in doctrina ſacra opiniones, quod facilius credo, quum, GESNERO *l. c. p.* 883. docente, homo vanus fuerit, ineptus, impotens animi, adfectator ethniciſmi, qui aliam immortalitatem ignoret negetque, praeter illam famae ac nominis. Fuſius de ipſo ac fatis, quae ſubire debuit, funeſtis differunt BAELIVS, *in Dict. v.* Dolet, MAITTAIRIVS *Annal. typogr. Tomo III. P. I. p. 9. ſq.* itemque SCHELHORNIVS *Amoen. hiſtor. eccleſ. et litter. Tomo I. p. 866. ſq.* Maittairius cum primis vitam eius et in litteras merita tanto expoſuit ſtudio, vt neminem hoc in argumento habeat ſuperiorem. Saepius tamen irrepſiſſe, quibus auctor ſibi contradicat, monet NICERONIVS, qui et copioſe verba de Doleto fecit, *Vitarum Parte XV. p. 397. edit. Germ.* Add. CLEMENT. *Tomo VII. p. 422. ſq.* quo loco varia Doleti ſcripta recenſet. *Pagina 434.* laudat etiam, ob typorum chartaeque elegantiam, Carminum librum, de quo ante dixi. *Il eſt imprimé*, inquit, *en beaux Caractères Italiques, et ſur du beau papier; mais l'obſcénité de diuerſes Epigrammes ne ſert, qu'à le ſouiller. Il y en a d'autres, par leſquelles il n'a pu manquer de ſe faire des ennemis*, caet. Eodem ſaeculo *Burdigalae*, et anno quidem 1572, SIMON MILLANGIVS inſtruxit officinam typographicam, quae inter Galliae deinceps praecipuas cenſeri meruit. Vtebatur

typis

typis admodum acutis, charta candore marmoribus ſimili, et atramento nigro, correctioni quoque librorum, quos vberrime protulit, iugiter intentus. Vixit vsque ad annum 1620. Vid. MAITTAIR. *l. c. p. 567. ſq.*

§. XXIII.

Sub idem tempus, quo apud Gallos, etiam in *Heluetia* innoteſcere ars tyographica coepit. Equidem IOH. HENR. SCHVLZIVS in *Bibliotb. nouiſſ. Obſeruat. ac recenſionum Halenſi Sect. II. obſeru. 9. p. 68.* incunabula eiusdem reuocare ad annum 1444. conatus eſt, ſibique perſuaſit propemodum, *Reformatorium vitae morumque et honeſtatis Clericorum* per Mich. Furterum hoc anno lucem apud Baſileenſes vidiſſe. Sed merito ab ipſius receſſit ſententia KRAVSIVS in *Nouis litterariis Latinis anni 1718. p. 201.* recteque docuit, verum eſſe huius editionis natalem annum 1494. idque vberius deinde probatum in *Bibliotb. Germanique Tomo XXIX. art. 6.* vbi exſtat *Lettre ſur un ancien livre, imprimé à Bâle avec la date de l'an 1444.* Conſulenda igitur Epiſtola haec lectu digniſſima. Interim FELIX A BALTHASAR in *Lettre à un Francois, contenant une Ebauche de la Suiſſe littéraire*, quod ſcriptum, in *Journal Heluetique anno 1760. menſe Iulio* primum editum, Germanice quoque recuſum eſt auctius non nihil *Baſileae anno 1761. in 8.* certiores nos reddidit de tempore, quo typographia deducta fuit in Heluetiam. Indicat enim *p. 11.* Interpretationis Germanicae, quae ad manus eſt, Heliam Helie de Louffen, Canonicum Eccleſiae Villae Beronenſis, in pago Ergouiae Lucernenſi, anno 1470. excudiſſe, et in vigilia Martini conſummaſſe *Mamotrectum*, i. e. Dictionarium vocabulorum, quae in Bibliis hymnisque ac Legendis Sanctorum occurrunt. Quum autem hic ipſe liber eodem

eodem tempore eademque ſubſcriptione, ſolo typographi nomine mutato, Moguntiae apud Petrum Schoefferum prodierit, res adcuratiori examine digna videtur. Cf. SCHWARZII *Diſſ. II. de orig. typogr. p. 28.* Anno 1472. hic ipſe Canonicus Helias Helie RODERICI *Speculum vitae humanae* typis impreſſit. Cf. SCHELHORN. in Diatr. ante QVIRINI *librum de optim. Scriptor. edit. Rom. p. 26. ſq.* et MART. GE. CHRISTGAV Progr. *de Mamotrecto*, in quo de auctore, inſcriptione, argumento et editionibus eius iucunde diſſeritur. Prodiit anno 1740. *in 4. Francof. ad Viadrum.* Tum autem *Baſileae* artem hanc primus exercuit Bernard. Richelius, iamque *anno 1474. in f.* ſua ex officina produxit *den Saſſen Spiegel, den der erwirdige in Got Vater unde herre Theodericus von Bockſtorff, Biſchoff zur Nuenburg Seliger gecorrigeret hat.* Succeſſit eiusdem induſtria anno 1476. in f. GRATIANI *Decretum*, cum adparatu ſeu gloſſis Barthol. Brixienſis. Vid. omnino CLEMENT *Tomo IV. p. 94. ſq.* vbi et *Biblia Latina* deſcribuntur, hodie rariſſima, quae *anno 1477. eadem forma* abſoluta abs Richelio, fuere. Ibidem floruit circa hocce tempus Mich. Wensler, ſiue Winsler, qui *anno* 1476. librum VI. *Decretalium* Bonifacii VIII. *in fol. mai*, teſte GOETZIO *Vol. I. p.* 340. *der Merckwürd. der Königl. Bibl. zu Dresden*, poſt *Iuſtinianeum Codicem anno* 1478. ſequentique AVGVSTINVM *de Ciuitate Dei* exhibuit. Huic σύγχρονος fuit Nicol. Keslerus: certe emiſit anno 1486. HIERONYMI *Epiſtolas.* Vid. SCRIVERIVS *Cap. XIII. de typographia Baſileenſi p. 351. ſq.* apud WOLFIVM *Tomo I.* Nec praetermitti debet Ioh. Amerbachius, vir doctus, qui olim Norimbergae in officina Koburgeriana corrigendi operam dederat. Celeb. HAMBERGERI *Nachr. von den vornehmſten Schriftſtellern, P. I. Diſſ. praelim II. p.* 140. Ipſe tum Baſileae ad libros excudendos acceſſit, variisque editis

editis ſpeciminibus anno 1506. AVGVSTINI *Opera in folio*, multo locupletiora, Tomis XI. primum produxit in lucem. Omnia, quae ad rem pertinere videbantur, ex nobiliſſimis Italiae, Galliae Germaniaeque Bibliothecis per Auguſtin. Dodonem, Friſium, Baſileae ad S. Leonardum Canonicum, ſufficienti pecunia inſtructum, conquiſiuit, ſcribente FVNCCIO *de vegeta Lat. ling. ſeneſt. p.* 1122. Iam is *a.* 1489. AVGVSTINVM *de Ciuitate Dei*, et libros XV. *de Trinitate; anno autem* 1493. eiusdem *librum Epiſtolarum* excuderat, quod poſtremum exemplar bellum vocat CLEMENT *Tomo II. p.* 264. Poſt Amerbachium typographiam continuauit IOH. FROBENIVS, Hammelburgenſis, Francus, de quo LVCAS GERNLERVS Orat. ſaeculari *de Acad. Baſil. ortu et progr. Baſil. a.* 1660. *in* 4. *p.* 33. ita diſſerit: *ab Amerbachio primum ex patria accitus, ſubinde officinam eius ab emerito nactus, rem litterariam praeclare iuuit arte, manu, curis, aere, fauore, fide. Huius enim fidei et induſtriae Patrum ſanctiſſimorum ſcripta, immortalitatis illata fano, magnifice ſimul et emaculatiſſime excuſa debemus. Huius exempla plerorumque exemplaribus praeferunt, quicunque oculos eruditos, et typographo dignos habent. Aldum feliciter aemulatus quantum ille litteris profanis, tantum iſte diuinis, contulit; vno infelicior Aldo, quod non tantum ſibi auri, quantum nominis, vir vtroque digniſſimus peperit.* Cf. ADAMVS in *Vitis German. Philoſ. p. m.* 63. *ſq.* vbi et memorat, typographum hunc perquam eruditum anno 1527. rebus fuiſſe humanis exemtum. Optarim, vſurpare hic licuiſſet *Notitiam de Ioh. Frobenio*, quam Italico ſermone exaratam Academicus quidam Florentinus diuulgauit in *Roccolta d'Opuſcoli Scientifici e filologici, Tomo XXVIII. p.* 83. vsque ad *p.* 127. Iuuabit tamen indicaſſe hunc fontem, ex quo ſine dubio hauriri non vulgaria poſſunt ab iis, quorum in manibus eſt inſigne

inſigne hoc Italorum Opus. Maximi ſemper fecerunt homines litterati officinam Frobenianam, et quas eadem peperit editiones librorum, Patrum Latinorum cum primis, quas ſumma fide, nec minori, pro ea aetate, venuſtate prodiiſſe adſerit GVIL. CAVE in *Prolegom. ad Hiſtor. litt. Script. eccleſ. Sect. V. ſ. 3.* Recitat ibidem ERASMI quoque verba *lib. II. epiſt. I. ad Leonem X.* ubi iudicat de officina Frobeniana, ea non eſſe aliam vel adcuratiorem, vel vnde plus bonorum exeat Codicum, praeſertim qui ad ſacras pertineant litteras. Quod teſtimonium eo maiorem, opinor, fidem meretur, quo certius eſt, Erasmum aliquamdiu Correctorem in aedibus Frobenianis egiſſe. Itaque de rei veritate omnino habere argumenta clariſſima potuit. Filios genuit Frobenius Hieronymum et Iohannem, qui, inita cum Nicol. Epiſcopio, parentis genero, vitricoque, Ioh. Heruagio, ſocietate, famam nobiliſſimae huius officinae mirifice auxerunt, primique omnium in tota Germania Patrum eccleſiaſticorum ſcripta Graeca excuderunt, facto a Baſilii Operibus initio. Elegantioribus quoque ICtis nomen Hieron. Frobenii eſſe iucundum debet, cuius quippe auſpiciis THEOPHILI *Paraphraſis Inſtitutionum Graeca anno* 1534. primum lucem *in f.* adſpexit. Correctorem nacti ſunt litterarum peritiſſimum, Sigiſm. Gelenium, quo iam pater vſus fuerat. Signum Frobenianum eſt Caduceus, quem duae manus tenent, ſupra inſidente columba, nomineque *Froben* in medio collocato. Cf. de familia Frobeniana MAITTAIRIVS *Annal. typogr. Tomo II. p.* 347. *ſq.* Claruerunt ibidem porro Petrus Perna; Adamus et Henr. Petri; ac praecipue IOHANNES OPORINVS, alias *Herbſt* dictus. Fuerat in patria, Baſilea, Graecae linguae Profeſſor, at quum, ex decreto Academiae, ſummos in Philoſophia honores ambire nollet, depoſuit hancce

docendi

docendi prouinciam, animumque totum ad ſtudia typographica conuertit, (quod tunc temporis non turpe putabatur, eruditoque homine indignum,) ſocioque adſumto adfine, Roberto Wintero, melioris notae auctores typis coepit exſcribere. Mox vero fortunarum naufragium fecit per Winterum, qui vxoris luxu redactus ad incitas officinam relinquere creditoribus debuit. Hanc ergo, neceſſitate vrgente, redemit Oporinus ſeptingentis florenis, aliunde mutuo acceptis, ſuperatisque difficultatibus aliis, ſcripta typis impreſſit varia, atque inter haec ſacra potiſſimum, et, quod argumentum diligentiae certiſſimum eſt, nullum opus, niſi a ſemet ipſo correctum, prelo ſubiecit. Operarios, quos tale negotium poſtulat, ſupra facultatum rationem fouit, ſaepe receptis etiam, qui dimiſſi ab aliis fuerant, adeoque factum, vt non raro amplius quinquaginta, praecipue litterarum non imperitos, ſuſtentarit. Hoc vero, et negligentia in rebus domeſticis, haud ipſi mediocre damnum attulit. Praeter quam enim, quod foeneratores pro centum florenorum ſorte viginti imo triginta, vſurae loco, aliquoties eidem extorſerunt, in adnotandis nominibus, acceptique et expenſi codicibus adcurate conficiendis, ſumma eius incuria fuit; maxima e contrario facilitas in fide pro aliis interponenda, ſuppeditandaque pecunia. Qua quidem in re dici non poteſt, quantopere ſit deceptus: habuit certe vltra octo millia florenorum in nominibus parum liquidis. Nihilo tamen minus partibus ſuis, indefeſſo conatu, laudabiliter perfunctus eſt vsque ad exitum prope vitae, Typographiam enim, quarta vxore peruincente, vendidit anno 1567. in ſequentique deceſſit ſexagenario maior. Poſtea emtores officinae, vt commendarent editiones ſuas, retinuere in titulo nomen Oporinianum. Non pauca ipſe

 con-

conſcripſit lucique expoſuit lucernam olentia: at longe plura aliorum Opera typis ſuis excudit, communi comprobata adſenſu. Quicunque, iſtius aeuo, monumenta quaedam ingenii euulgaturi erant, Oporini ex officina vt eadem prodirent, expetiuerunt: varii litteris etiam ac dedicationibus ipſum ornarunt, rati, vel ſic lucubrationibus ſuis non parum dignitatis eſſe et commendationis acceſſurum, ſi tam praeclari hominis nomine typisque publicum in conſpectum venirent. Vberius Oporini fata commemorat in *Vitis German. Philoſoph. p. m. 242. ſq.* ADAMVS, qui ſua deſumſit ex ANDR. IOCISCI Orat. *de ortu, vita et obitu Ioh. Oporini, Baſileenſis, typographorum Germaniae principis, recitata in Argentinenſi Academia a Ioh. Henr. Hainzelio, Argent. 1569. in 8.* Adiunctus eſt ſimul Catalogus librorum, ab Oporino excuſorum. Eadem Oratio locum occupat in *Vitis eruditiſſ. virorum*, quas a GRYPHIO collectas, eiusque poſt mortem editas nouimus *Vratislau. a. 1711. in 8.* Nouiſſime litteratiſſimus in Academia Göttingenſi Medicus, GEORG. MATTHIAE, ex documentis nondum editis varia congeſſit de Ioh. Oporino, quae plerumque illuſtrantur teſtimonio Iociſci. Exſtat eius Obſeruatio in *den Hannoueriſchen gelehrt. Anzeigen anni 1754. P. XII. p. 163. ſq.* Optauit iam pridem BVNEMANNVS in *Notit. Scriptor. art. typogr. illuſtrant. p. 9.* vt Baſileenſium typographorum hiſtoria data opera deſcriberetur a doctis Baſileenſibus. *Geneuae* ſaeculo XVI. cum litteris, quas egregie callebat, tum arte quoque typographica, nomen ſuum clariſſimum IOH. CRISPINVS reddidit. Is, Gallus natione, ob religionem exul Geneuam fortunae ſedem elegit, quod anno 1548. factum. Eodem paullo poſt conceſſerat Theodor. Beza, Criſpini familiaris. Ambo de nouo ſtatim vitae genere ſuſcipiendo ſolliciti, (fuerat

rat enim Criſpinus cauſſarum in foro Pariſienſi patronus, Beza ibidem opimis beneficiis eccleſiaſticis deſtinatus, niſi ſacra Pontificiorum deſeruiſſet,) ſocietatem ad exercendam artem typographicam iniere. Beza vero ad alia euocato ſoli Criſpino relictum eſt hocce negotium, quod optime tractauit inde ab anno 1550. Dedit nobis inter plura, quae recenſere non attinet, induſtria eius *Lexicon Graeco-Latinum* ROBERTI CONSTANTINI *anno 1562.* Conſtat hoc Opus ex Tomis II. *in f.* et editione ſecunda cum FRANC. PORTI, et aliorum, additionibus recuſum eſt *ibid. anno 1592.* Cf. MORHOFII *Polyh. Tomo I. lib. 4. cap. 8. ſ. 7. p. m. 810.* Ante oculos quoque ſunt mihi *Acta Martyrum, qui ſaeculo XVI. in Gallia, Germania, Anglia, Flandria, Italia, conſtans dederunt nomen Euangelio, idque ſanguine ſuo obſignarunt.* Ipſe Criſpinus librum hunc ex eius officina *anno 1556. in 8.* ſatis nitide productum, antea Gallica compoſuerat lingua, ſed vt aliis nationibus vtilis eſſe poſſet, eundem per Claudium Baduellum Latine reddendum curauit, quod in Praefatione monetur. Succeſſit ibid. *anno 1560. in 4.* editio altera, memorata abs BAELIO *in Diction. v. Creſpin*, et MENTELIO in *Collect. Wolfiana P. II. p. 384.* Mortuus eſt anno 1572. peſtifero morbo, relinquens officinam ſuam genero, EVSTATHIO VIGNON, cuius tamen editiones ob curam correctionis magis, quam typorum chartaeque nitorem celebrantur. Vid. de hoc atque Criſpino MAITTAIRIVS *Annal. typogr. Tomo III. p. 535. ſq.* Propter edita praecipue ſcripta Geſneriana *Tiguri* celebre fuit eodem ſaeculo nomen Chriſtophori Froſchoueri. Cf. BAILLET *l. c. Tomi I. Parte 2. p. 50. ſq. edit. nouiſſ.*

§. XXIV.

Anglia ſuperbit ſuo GVIL. CAXTONO, qui primum

mum artem typographicam anno circiter 1473. in hanc inſulam pertulit. In medio relinquam, adcuratiori certe digna examine ſunt, quae SCHOEPFLINVS in *Vindic. typogr. Cap. IX. p. 92.* et RICH. ATKYNSII Original *and growth of Printing*, *Londini 1664. in 4. p. 2.* et ANTON. WOOD *Hiſtoria Vniuerſ. Oxonienſis lib. I. p. 226.* memorauit. Hi nimirum Scriptores typographiae arcanum Guttenbergio, Harlemi eam tractanti, dolo eſſe furtoque ablatum contendunt, idque Rob. Tournourio attribuunt et Caxtono, popularibus ſuis, quos, poſt ſimulatam aliquamdiu cum Guttenbergio amicitiam, artem ipſi per ſodalem eius, Anton. de Corſellis, ſurripuiſſe, ſurreptam a. 1464. Angliae intuliſſe teſtantur. Id vero, qui vitam Caxtoni data opera deſcripſit, IOH. LEWIS, nouiſſime tradidit, typographum hunc in comitatu Margarethae, quae ſoror erat Eduardi IV. Anglorum Regis, Carolo bellicoſo, vltimo Burgundiae Duci, deſponſata, didiciſſe artem ſuam, quod forte Coloniae factum, vbi anno 1471. eſt commoratus, primumque excudit *the Recuyell of the Hiſtory of Troye*, ſeu RADVLPHI FABRI Syllogen hiſtoriarum de vrbe Troia, ex Gallico ſermone, Margarethae iuſſu, a ſe ipſo in Anglicum translatam. Tum Caxtonus ex itinere redux Londini officinam typographicam inſtituit, annoque 1474. protulit librum *the Game of the Cheſſ.* i. e. de ludo Scacchorum. Plura deinde alia ſcripta Gallica, Anglice reddita, prelo ſuo ſubiecit, v. g. Comitis RYVERS Opuſculum, in quo Homeri, Solonis, Pythagorae, Socratis Platonis, Senecae, et plurium veterum dicta memorabilia exponuntur. Edidit hoc *anno 1477. in f.* Caxtonus, ita inſcriptum: *the Dictes or Sayengis of the Philoſophers*, caet. fuſiusque recenſetur in *Britiſch Librarian*, *anni 1737. m. Febr. art. 1.* E vita diſceſſit ſenex octogenarius anno 1492. quum Hieronymi vi-

tas

tas Patrum, quas ex Gallica lingua in Anglicam conuerterat, excudendas ſuſcepiſſet. Abſolutum igitur Volumen eſt in aedibus ipſius a Wynken de Worde, qui forte Colonia cum eo in Angliam venerat. Is aeque ac Rich. Pynſon rudem adhuc magiſtri ſui artem ad maiorem prouehere pulchritudinem ſtuduit. Pynſonius certe anno 1493. officinam ſibi parauit in loco Londinenſi, *Temple-Bar* vulgo dicitur, poſteaque Henrico VII. imperante conſtitutus eſt typographus Regius. Floruit is adhuc anno 1521, quo diuulgaſſe ipſum *Conſuetudines Londinenſes* noui. Wynken de Worde autem ſuperfuit anno 1524. ac primus apud Anglos typis eſt Arabicis, Ebraicis Chaldaicisque vſus. Docet hoc liber, eodem anno impreſſus, cuius en! titulum: ROBERT. WAKEFELDVS *de laudibus et vtilitate trium linguarum, Arabicae, Chaldaicae et Ebraicae, atque idiomatibus Ebraicis, quae in vtroque Teſtamento inueniuntur.* Cf. praeter LEWISII *Life of Mayſter Wyllyam Caxton*, quem librum, *Londini anno 1737. in 8. mai.* luci expoſitum *Capite VII. §. 40.* ſub finem laudaui, CONYERS MIDDLETON *Diſſertation concerning the origin of Printing in England, Cantabr. a. 1735. in 4. mai.* et in *Operibus* eius *Miſcellaneis, Londini anno 1752. ead. forma, Parte III. num. 13.* repetita, atque IOH. LELANDVS *de ſcriptor. Britannicis, p. 423. ex edit. Ant. Hall.* Hoc ſaeculo Iacob. Tonſon. prae caeteris eminuit in ſtudio typographico. Exhibuit is *Londini a. 1712. in f.* IVLII CAESARIS *Commentarios* cum Adnotationibus SAM. CLARKE, de qua editione, nunc rariſſima, recte ſcribit CLEMENT in *Bibl. de livres dificiles à trouver, Tomo VI. p. 35: Voici la plus magnifique de toutes les Editions de Ceſar, où l'Imprimeur, le Graveur et le Critique ont travaillé à l'envipour la perfectionner. L'Imprimerie s'y montre dans tout ſon luſtre par la beauté du papier, par le choix*

 du for-

du format, *et des marges*, *par la netteté des Caractères*, *et par l'exactitude du tirage*. Eodem anno 1712. eademque forma Tonſonus abſoluit LVCRETII *de natura rerum* libros ſex, ſimili pulchritudine commendabiles. Primum elegantia et nitor cum chartae, tum characterum, quibus nihil fere poteſt accedere, editioni huic magnam conciliant auctoritatem; deinde ipſa contexta oratio Lucretii multum adcurate exhibetur, quoniam Editor exemplum CREECHII ſequutus eſt. Poſt haec immagines acceſſerunt, quae ſingulis libris debent praefigi, a quibus editio haec non minus ornamenti ac decoris accipit. Ita iudicarunt Collectores *Actor. Erud. Lat. Supplem. Tomo VI. Sect. 5. p. 193.* Satis cito etiam typographos accepit *Oxonienſis* Academia; ſed anno iam 1468, quod plures adſerunt, HIERONYMI *Expoſitionem in ſymbolum Apoſtolorum* ibidem excuſam fuiſſe, a veritate quam maxime alienum eſt. Errauit enim typographus, vt ſaepius hac aetate factum, legendumque anno 1478. Primus, qui artem hanc Oxoniae tractauit, dicitur Thomas Hunte. Coloniae is eodem tempore cum Caxtono vixit, ſolusque initio, deinde adſumto in ſocietatem Theodorico Rood, Colonienſi, libros typis impresſit, et pulchris quidem nitidisque. Vid. LEWISIVS *l. c.* et quae exinde referuntur in *den Beyträgen zu den Leipz. gel. Zeit. Vol. VI. p. 218.* Ibidem ſaeculo XVII. inclareſcere coepit *Theatrum Scheldonianum*, quod ſuis ſumtibus munifice exſtruendum curauit ab anno 1665. vsque ad a. 1670. Gilbert. Scheldon, Archiepiſcopus Cantuarienſis, et Vniuerſitatis Cancellarius. Hocce aedificium, ante muralibus apothecis, ſedilibus, variaque ſupellectile et adparatu inſtructum, Academiae donauit Scheldonus, eo quidem conſilio, vt comitiis atque exercitiis Academicis ſolemnioribus commodior in poſterum lo

cus

cus haberetur, vti charta donationis, die 25. m. Maii anno 1669. ſcripta, teſtatur apud ANTON. A WOOD *Hiſt. et Antiquitat. Acad. Oxon. P. II. p. 26.* Curauit inſuper, quae dictae chartae verba ſunt, *vt res typographica, e cuius incrementis bonae litterae vberrimos profectus merito ſperauerint, idoneis conclauibus, forulis et officinis deinceps inſtrueretur.* Prodierunt ex hoc Theatro ad hunc vsque diem ſcriptores ſelectiſſimi, certumque de libri praeſtantia iudicium ferre licet ex eiusmodi editionibus. Signum in titulo ſemper obuium eſt ipſa Theatri figura, aeri inciſa. Nunc vero idem adpellari *Clarendonianum*, obſeruat IORDANVS in *Hiſtoire d'un Voyage litter. p. 179.* Sic ſcilicet ille hoc loco diſſerit: *Le Theatre de Scheldon a changé de nom: il porte le nom de* Clarendon. *L'Imprimerie eſt très belle. Mylord Clarendon donna à l'Univerſité le profit, que l'on retireroit de ſon Hiſtoire des Révolutions d'Angleterre: on en tira 3000. Livres, qui ſervirent à bâtir l'Imprimerie.* Apud *Scotos* primus, quantum conſtat, liber eſt *Breuiarium Aberdonienſis eccleſiae*, anno 1509. impreſſum. In *Hibernia*, et quidem Dublini, anno demum 1551. innotuit typographia, quo ex officna Humphredi Boweli *liber precum* exiit in lucem. Plura de hoc argumento congeſta ſunt ab IOSEPHO AMESIO in *typographical Antiquities*, i. e. Antiquitatibus typographicis ſeu Hiſtoria typographiae Angliae, et antiquorum gentis huius typographorum. Accedit Catalogus librorum ab iisdem excuſorum inde ab anno 1471. vsque ad annum 1600. Adpendix continet relationem de ſtatu typographiae in Scotia atque Hibernia. Euulgauit Auctor, qui tunc Societati antiquariae ab epiſtolis fuit, annoque 1759. diem obiit ſupremum, librum hunc eruditum *Londini a. 1749. in 4.* cum figuris aeneis. Partim enim variorum typographorum inſignia praecipua in fronte conſpiciuntur: partim alia, cum iconi-

 bus

bus et ſpecimine typorum, ipſi pertractationi ſunt inſerta, vel ſingularibus tabulis inciſa. Didici haec ex *Actis Erud. Lat. anni* 1754. *p.* 524. *ſq.* PALMERVS etiam in *General Hiſtory of Printing*, *Londini a. 1733. in 4.* fata typographicae artis apud Anglos ad annum vsque 1550. ſigillatim *libro III.* deſcribit, et *p. 137. ſq.* verba facit de Caxtono. Cf. MIDDLETONI Opuſculum, ſupra productum.

§. XXV.

Budae, quae vrbs Hungariae caput eſt, per Andr. Heſſum iam ſaec. XIV. innotuiſſe typographiam, *anno*que 1473. *Hiſtoriam Hungarorum*, Latine ſcriptam, ab eodem in *forma maiori* excuſam eſſe, adſerit LESSERVS *Typogr. iubil. ſ. LV. p.* 84. Sed non prouocat hoc loco ad idoneum teſtem. Talis vero LAMBECIVS eſt in *Diario ſacri itin. Cellenſ. p. 267. edit. prior.*

Apud *Belgas* primus, quantum ego quidem cognoui, libris excudendis operam dedit Ioh. de Weſtphalia. Vixit is aliquamdiu *Louanii*, *anno*que 1474. edidit. *Opus ruralium commodorum* PETRI de CRESCENTIIS in f. ſequenti autem ARISTOTELIS *de moribus ad Eudemium per Leon. Aretinum de Graeco in Latinum translatum* librum, docente id. NAVDAEO apud WOLFIVM. *Monum. typograph. Parte I. p.* 530. Eiusdem typographi opera IVVENALIS et PERSII editionem *anno* 1475. ſucceſſiſſe, FABRICIVS *Bibl. Lat. Vol. II. p.* 551. obſeruauit. Cf. MAITTAIRE *Annalium typogr. Tomo I. p.* 373. ac *Tomo IV. p.* 338. Vſus autem eſt Ioh. de Weſtphalia typis Gothicis. *Antwerpiae*, vbi paullo poſt typographia ſuos habuit cultores, nobiliſſima exſtitit ſaec. XVI. officina Plantiniana. De auctore illius BERN. A MALLINKROT *de ortu et progr. art. typogr. Cap. XIV. p. 740. in Collect. Wolfiana*, *P. I.* ſequentia, notatu digna, diſſerit: *Antwerpiam* CHISTOPH. PLANTINVS, *Turonenſis*, *prae reliquis hoc artificio mire illuſtrauit*, *qui*, *vti forte praedictorum aliquibus* (v. g. Manutiis, Stephanis, Oporino, *de eruditionis palma concedit*, *ita celebritate*

nemini

nemini inferior eſt, ac primus exſtitit, qui Architypographi (in calce Regiorum Bibliorum Prototypographum ſe ſcribit, titulo inſignitus fuit, quo honore a Philippo II. Hiſpan. Rege donatus eſt, cuius etiam auſpiciis nitidiſſimis typis ſuis excudit immortale illud opus Regiorum Bibliorum, *Aria Montano, doctiſſimo Theologo, et linguarum plurimarum cognitione nemini ſui temporis ſecundo, legatione Regia editionem curante.* Hiſtoriam huius Operis pretioſi, hodieque rariſſimi, exhibet MALLINKROTIVS ſub Diſſertationis finem *p. 780. ſq.* Add. CLEMENT *Tomo IV. p. 176.* vbi etiam adcurata eius deſcripto, interſertis variis memorabilibus. Initium rei factum a. 1569. finisque incidit in annum 1572. GOETZIVS in *den Merckwürdigk. der Königl. Bibl. zu Dresden, Vol. II. p. 317.* adſerit, ſexaginta operarios per integrum quadriennium ad perficiendam editionem inſignem adhibitos a Plantino fuiſſe, propterea que ipſum omne tantum non exhauſiſſe patrimonium. Hoc autem non ſine rationibus in dubium vocauit CLEMENTIVS *p. 182.* Interim optarim inſpexiſſet vir doctiſſimus locum THVANI *Hiſtor. lib. XCVI.* ad annum 1589, quo mortuus eſt Plantinus, *p. m.* 727. Ita vero ille: *Ex noſtris commemorandus venit Chriſtoph. Plantinus, Turonenſis, qui ſecundum Manutios, Stephanos, Frobenios, et Oporinum, maxime rem litterariam iuuit libris innumeris, et inter alia Bibliis ad Complutenſe exemplar, ſed longe maiore operarum elegantia, auſpiciis Philippi, Hiſpaniarum Regis, editis; quae editio illi quam glorioſa, tam detrimentoſa fuit, praepoſtera miniſtrorum Philippi diligentia, qui pecuniam in id a Rege collatam dum aſperius exigunt, Plantinum abunde pecunia ab amicis mutuo ſumta iam grauatum pene merſerunt: vixit annos LXXV.* Eo maiorem, opinor, relatio iſthaec fidem meretur, quo

certius eſt, ipſum Thuanum anno 1577., quum in Belgio verſaretur, ad Plantinum diuertiſſe, cuius in aedibus, licet rebus acciſis, tunc adhuc XVII. prelis operae feruebant. Cf. THVANVS *de vita ſua, libro I. p. m. 1305.* Magna ſemper Plantino fuit cum viris eruditiſſimis amicitia, maxime cum LIPSIO, qui in *notis ad lib. I. Politic. cap.* 4. ſub finem his verbis deplorat mortem eius: *Ecce nuncius, Plantinum illum meum, quo neminem ego, nemo me fidelius amauit, illum, pulcherrimae artis columen, et ſtili mei lucem, abiiſſe. Heu, heu! ego viuo et ſcribo?* Eius modi hominibus partim vſus eſt in mendis typothetarum tollendis. Pertinent huc Iohannes Gheesdalius, Franc. Harduinus, Victor Geſelinus, Cornel. Kilianus, ac Theodor. Pulmannus, qui Codices non paucos, in officina Plantiniani luci exponendos, eo ſtudio emendauit, aliisque ornamentis, quae proficiſci a Correctore perito poſſunt, inſtruxit, vt vel aliquot horas vni ſaltim plagulae impenderit ſaepe cum taedio ipſius Plantini. Vid. ZELTNERVS *de Corrector. erud. p.* 445. Nec taceri hoc debet loco Franc. Raphelengius, gener Plantini, qui praecipuam in officina ſoceri plures per annos, corrigendorum librorum ſuſtinuit molem. Non tamen his viris, imo ne ſibimet ipſi quidem, lynceus licet eſſet, ſatis confiſus eſt Plantinus, ſed antequam per prelum multiplicarentur exemplaria, quosuis ad indicandos, qui ſupereſſent forſitan, errores propoſito praemio inuitauit, exemplo Roberti Stephani I. Refert hoc MALLINKROT *l. c. p.* 754. apud WOLFIVM. Omnes igitur editiones Plantinianae dicendae ſunt emendatiſſimae, inque Latinis litteris reliquis praeferendae, ſicut Stephanianae in Graecis. Inde vtraeque magni ſolent a peritioribus aeſtimari. Cf. MAITTAIRIVS *Annal. typogr. Tomo III. P. 2. p. 545. ſq.* et BAILLETVS in *Iugem, des Savans, Tomo I. P. 2. p. 67. edit. Amſtael.*

Amſtael. in 12. mai. quo et loco perſuaſum ſibimet habet, typis Plantinum argenteis, quod iam Robert. Stephanus fecerit, vſum eſſe. Sed repete, ſi placet, ſupra *ʃ. XIII.* dicta, vbi de typographia Torgauienſi illuſtri actum. Tres autem habuit Plantinus officinas typographicas, vnam *Antwerpiae*, alteram *Pariſis*, tertiam *Lugduni Batauorum*, quas omnes continuarunt generi eius. Pariſienſem ſcilicet accepit Aegid. Beyſius, anno 1595. viuorum numero ereptus; Leidenſem Raphelengius; Antwerpienſem IOHANNES MORETVS. Hic non contemnendae doctrinae homo ex ſingulari amicitia, quam cum Iuſto Lipſio coluit, notiſſimus eſt, cuius etiam Opera plurima nitidiſſimo charactere excudit. Succeſſere anno 1610. filii, BALTHASAR, quibusdam etiam ſcriptis clarus, qui anno 1641. diſceſſit e vita, itemque IOHANNES, anno 1618. demortuus; relicto filio, Balthaſare, haerede patrui, caelibis, de quo MALLINKROTIVS *l. c. p.* 742. teſtatur, quod numeroſa quotidie prela quadraginta et octo ad minimum operarum miniſterio exercuerit. Idem de hoc typographeo adſerit PAVL. PATER in *Diſſ. de Germaniae miraculo, typis litterarum, Cap. IV. ʃ. 9. p. 805.* apud WOLFIVM *Parte II.* Balthaſaris Moreti ſtudio debemus optimam ſplendidiſſimamque *Operum Lipſianorum* editionem, adornatam *Antwerp. a. 1637. Tomis IV. in f. mai.* praeter Taciti, Velleiique et Senecae Opera, quae Tomos II. explent, notis eiusdem illuſtratos. Signum officinae Plantinianae eſt manus ex nubibus porrecta, quae circinum dirigit cum inſcriptione: *labore et conſtantia.* Index librorum, qui ex officina Plantiniana prodierunt, *ibidem a.* 1596. *a.* 1615. 1642. *et* 1656. *in 8.* euulgatus eſt, at hodie rarius occurrit. Poſtrema editio conſtat ex paginis 38. In *Leidenſi* Academia, laudatus FRANC. RAPHELENGIVS rem typogra-

pographicam, poſt obitum Soceri, tractauit ſtrenue. Cantabrigiae Graecas litteras aliquantisper fuerat profeſſus, tum vero, inſtituta in Flandriam, patriam ſuam, reuiſendae matris cauſſa, profectione, Antwerpiae in reditu ſubſtitit, vt librorum ſibi coemeret copiam. Ibi corrigendi negotio ipſi placente, operam ſuam addixit, adeoque ſe probauit Plantino, vt filiam vxorem daret anno 1565. Multum ſane ornamenti attulit Bibliis Regiis Plantinianis, in quorum editione difficile dictu eſt, quantos labores ſuſtinuerit Raphelengius. Adcuratiſſime nimirum omnia recognouit, digniſſimus propterea BENED. ARIAE MONTANI elogio in Praefat. altera Tomo I. praefixa, quo loco candide fatetur, maximam partem eorum, quae hic diligenter correcta, exornata, perpolita et elaborata ſint, Raphelengii ſummae induſtriae, incredibili diligentiae, continuae ſedulitati, perſpicaci ingenio, et praeſtanti iudicio acceptam eſſe referendam. Socero deinceps Lugduni Batauorum, quo longius a turbis abeſſet, commorante, omnis dirigendae typographiae moleſtia in illum fere ſolum Antwerpiae cecidit. Quum autem Plantinus ſub anni 1585. finem Antwerpiam reuerteretur, Raphelengius Lugdunum Batauorum commigrauit cum familia, inque partem typographiae ſucceſſit, quam ſocer eo transuexerat. Ibidem conſtitutus eſt etiam Orientalium linguarum Profeſſor, annoque 1597, aetatis octauo et quinquageſimo, ex vita abiit. Videatur, ex quo profeci, IOH. MEVRSIVS in *Athenis Batauis*, *p. 140. ſq. edit. anno 1625. in 4.* exhibitae, vel ADAMVS in *Vit. Germ. Philoſ. p. m. 424. ſq.* Poſt patris obitum filii Raphelengii officinam ſuſcepere, abuſi ſunt tamen nomine Plantiniano, quum parum dextre res ſuas agerent. Tandem, SCRIVERIO teſte apud WOLFIVM *P. I. p. 436*, anno circiter 1620. curas haſce peni-

penitus depoſuerunt. Superiori ſaeculo floruit ibidem officina Elzeueriana, quam inſtruxerant BONAVENTVRA et ABRAHAMVS ELZEVIRII, fratres. Nitidiſſimas ab iis accepimus Scriptorum veterum Latinorum editiones, et alias recentiorum. Inter has praecipue innotuit Rerum publicarum Collectio complurium in forma minima Voluminum, de qua data opera differunt Auctores *Biblioth. hiſtor.* Hamburgenſes, *Centur. IX. art. 38. p. 186. ſq.* Cf. MAITTAIR. *Annal. typogr. Tomo III. p. 815. ſq.* Honorificam vtique, vt ex multis vel vnico teſtimonio dictis fidem conciliem, de his typographis mentionem iniecit IOH. PETR. A LVDEWIG in Praef. *Opuſculis miſcellis a.* 1720. praefixa *p. 36.* vbi haec eius verba leguntur: *Habent illud Belgae, praecipuo quodam iure, quod eorum libri prodeant curatius emaculati, noſtris in Germania. Siue cauſſas huius diſcriminis in maiori eorundem induſtria, vſu peritiaque ponas, ſiue in maioribus impenſis ac oleo correctorum et emendatorum, parum id excuſat noſtrorum inertiam. Id ſcio,* Elzeuirios *quondam vltimum ex prelo exemplum cuiusque ſchedae academico albo publice adfixiſſe, aureo, praemii loco, illi deſtinato, qui vnicam indicauerit eius mendam vel lituram. Sed tanti litterarum errores non redimere ſolent Germani.* Sunt, qui exiſtimant, argenteos typos adhibitos ab Elzeuiriis fuiſſe. Sed hac de fabula iam alibi actum. Error originem traxit ex charactere exili admodum, et pulchro tamen acutoque; hinc Iouem lapidem iuraſſent imperiti, non alia ex materia, quam pretioſo hoc metallo, conflatos eſſe typos. Signum typographiae Elzeuerianae Leidenſis eſt olea, ad quam adſtat vir togatus, his verbis ex aduerſo ſcriptis: *non ſolus.* Nec minor apud Leidenſes tyographia DANIEL. et FRANCISCI HACKII fuit, quorum ſymbo-

ſymbolum eſt aquila per aërem volitans, cum inſcriptione: *mouendo.* Exſtant inter libros meos ROSINI *Antiquit. Romanae*, curante Schreuelio per Hackios, parentem ac filios, *anno 1663. in 4. mai.* typis minoribus, iisque pulcherrimis, excuſae. Habeo et quosdam Auctores veteres Romanos, eadem elegantia commendabiles. Hoc ſaeculo nobilis ibidem typographus ac bibliopola exſtitit PETRVS VAN DER AA, quem IOH. ALB. FABRICIVS in Dedicatione *Conſpectui Theſauri litterarii Italici* praemiſſa miris laudibus adfecit. *Quae multa*, inquit, *ſelecta, magna, ſplendida atque vtiliſſima Opera in lucem protuliſti per annos retro quadraginta circiter*, (ſcripſerat autem haec Fabricius anno 1730.) *ea nullis parcens ſumtibus, labori nulli, doctus ipſe in manus doctorum dediſti excuſa chartis regiis, ridentibus atque emendatis typis, et iconibus exornata deſcriptis aere quam accuratiſſime ac luculentiſſime. Fateor me iam pridem ingentibus Tuis hiſce et ſingularibus in litteras, quas amo coloqe, meritis permotum et admirari te, et facere maximi, et Manutiis, Iuntis, Stephanis, Plantinis, Wechelis, Cramoiſiis proximum ponere in aliis etiam anteferre.* Quot autem ad GRAEVII atque GRONOVII *Theſauros Antiquit. Rom. et Graecarum* attinet, candide fatetur GROSHVFFIVS in Praefatione, qua *Nouam librorum rarior. Collectionem* Halenſem ornauit, *p. 5.* nihil quidem ſe deſiderare in exteriore veſte: chartae nitorem, litterarum elegantiam, caeteraque Opus commendare, at non aeque emendandi atque corrigendi ſtudium, quod penitus videatur neglectum: ſaepe voces eſſe vitioſe transſcriptas, et integram quandoque orationis formam omiſſam. *Amſtaelodami* LVDOVICI ac DANIELIS ELZEVIRIORVM officinam, ante centum annos adhuc inſignem, deprehendimus. Nota,

qua

qua eorum editiones a Leidenſibus diſcernuntur, eſt olea, cum adſtante Minerua, eiusque ad pedes ſedente vlula. Ex aduerſo leguntur verba: *ne extra oleas*. Docet id e. g. PEREZII *Commentar. in Codicem Iuſtinianeum*, *Amſt. a. 1661. in 4. mai.* excuſus. Daniel, vltimus Elzeuiriorum, qui typographiae dederunt operam, obiit anno circiter 1680, ſequentique lucem adſpexit *in 12. Catalogus librorum, qui in bibliopolio Dan. Elſeuirii venales exſtant, et quorum auctio habebitur in aedibus defuncti.* Praeter hanc officinam eminuit ibidem, aetate ſuperiori, Blaeuiana et Ianſſonia. Vtramquae enim probe ſeparandam eſſe, contra falſam plurimorum, veluti BAILLETI ac REIMMANNI, opinionem, qui ex duabus vnam fecerunt, ſatis poſt Hauberum, Theologum Hafnienſem, oſtendit BAVMGARTENIVS in *den Nachr. von einer Hälliſch. Biblioth. Vol. VII. p. 365. ſq.* Bleuiana typographia, praecipue ex Atlante magno Volumina XI. maioris formae continente, de quo dictum *Tomo I. huius Bibliothecae, Cap. V. ʃ. 21. p. 749*, nemini facile ignota, valde pretioſa erat. Ille autem, qui Atlantem edidit, IOHANNES BLAEVW, patrem nactus eſt GVILIELMVM, anno 1638. mortuum. Decem prela nulla re magis occupaſſe dicitur, quam imprimendis, Iodoci Kalkouii ſub nomine, omnis generis Miſſalibus ac Breuiariis Romanis, Videbatur enim pecuniae, quam honoris, adpetentior. Cf. ſupra *Tom. II. cap. VII. ʃ. 42. p. 1381.* Combuſta eſt officina Blaeuiana, quinque myriadum pretio aeſtimata, menſe Febr. anni 1672. cum adparatu librario, nec deerant eo tempore, qui dicerent, hanc eſſe poenam tot librorum Pontificiorum, ad idololatriae Miſſalis miniſterium typis Blaeuianis excuſorum totoque terrarum orbe diſperſorum. Vid. FOPPENS in *Bibl. Belgica p. 582. ſq.* itemque CLEMENT *Tomo IV. a p. 268.* vsque ad *p. 278.* Aemulum habuit Blae-

Blaeuius IOHANNEM IANSSONIVM, de quo ſic ex Baumgarteniano Diario ſcribit CLEMENT *l. c. p.* 269: Mr. Baumgarten *prouve par diuers paſſages tirés des Epitres Voſſius, que Iean Ianſſon et Iean Blaeu ont été deux voiſins jaloux, qui ont vécu en même tems à Amſterdam dans une continuelle méſintelligence, parceque Iean Ianſſon avit copié divers Ouvrages géographiques, que Iean Blaeu avoit publiés le premier.* Ianſſonius etiam, Regii typographi titulo decoratus, Stockholmiam transtulit egregiam officinam, eo vocatus a Chriſtiana, Suecorum Regina. Neque tamen neglexit interea et otioſam reliquit Amſtaelodamenſem. ARCKENHOLTZ. in *Mémoires concernant Chriſtine, Tomo I. p.* 311. ſub finem *Iean Ianſon Hollandois* agit, *apporta à Stockholm une excellente Imprimerie et y publia pluſieurs livres Latins, Suedois, Eſpagnols d'un très beau caractére et papier.* Cf. MAGNVS O. CELSIVS in *Bibl. Reg. Stockholm. Hiſtor. p.* 109. vbi tempus priuilegii Suecici collocat in anno 1647. addens, alio id obtinuiſſe Belgam, vt adſcito ſocio, Chr. Euſeb. Talitſch, Ienenſi, bibliopolia Stockholmiae Vpſaliaeque haberet, inque ſuos vſus bibliopegum ſingularem. BAVMGARTENIVS etiam *l. c. p.* 383. memorat, poſteros huius gentis addidiſſe nomen Waesberge, v. g. Ioh. et Aegidius IANSSONII A WAESBERGE. Hi fratres varia Heinneccii ſcripta nitidis typis exhibuere. Noſtram aetatem Amſtaelodami ſimiliter illuſtrarunt officinae WETSTEINIORVM et HVGVETANORVM, qui, ex patria Lugduno apud Gallos extorres, ſedem ibi fixerum, nec ſplendidas modo editiones adornarunt, verum etiam emendatiſſimas.

§. XXVI.

Ad *Hiſpanos* quis primum typographiam pertulerit, nondum eſt cognitum. *Valentiae* tamen *anno*

1475.

1475. SALLVSTII *Opera in 8.* charactere Romano prodiiſſe, ſcribit MAITTAIRIVS *Annal. typogr. Tomo IV. p. 349.* Sequuta ſunt *Hiſpali*, vel Seuillae, *anno* 1491. Alphonſi Toſtati Opera *in f.* per Paul. de Colonia, Ioh. Pegnizer de Nuremberg, caet. typographos natione Germanos. Tum *anno* 1494. *Madriti* Concilium Illiberitanum *ead forma* lucem adſpexit, eodem teſte *l. c. p. 531. et p. 587.* Hiſtoriam artis typographicae in *Suecia* breui quadam Diſſert. IOH. ALNANDER *Vpſaliae a. 1722. in 8.* expoſuit, Fabiano Toernero praeſide. Recenſetur eadem in *Supplem. Actor. Erudit. Tomo VIII. p. 506. ſq.* Quum rarius obuia eſſet apud Germanos, recuſa fuit *Roſtoch. a. 1725. in 8.* Diſcimus exinde, primum, quantum explorare contigit, librum *Stockholmiae anno 1483. in 4.* impreſſum eſſe typis Ioh. Snell, Germani. Inſcriptio eſt: *Dyalogus creaturarum moralizatus.* Vid. et hic MAGNVS O. CELSIVS in *Bibl. Regiae Stockholm. Hiſtoria p. 9.* Quia tamen typographus ille non ſufficiebat ſolus, varii libri alii, quibus Sueci tum vti ſolebant, excuſi fuere Lubecae, Norimbergae, caet. *Vpſaliae* non publici tantum et Academici typographi exiſterunt, ſed Laur. Wallius quoque, Theol. D. et Profeſſor, Laur. Paulinus, Archiepiſcopus Vpſalienſis, et Olaus Rudbeckius aere ſuo inſtituerunt officinas. In *Gothia* primo loco Monaſterii Vadſtenenſis typographia occurrit, quae, ſub ipſa artis incunabula ibidem erecta, anno 1495. incendio periit, neque reſtituta eſt. Cf. hic, quae ex ERICI BENZELII *Diario Vadſtenenſi* referuntur in *Act. Erud Lat. a. 1722. p. 357.* Primum vernaculae linguae itemque Latinae typi in vſu fuerunt: Graeci ſub initium demum ſaeculi praeterlapſi innotuerunt, quod etiam de Ebraicis Syriacisque dicendium. Arabici Petro Kirſtenio debentur, Medicinae Profeſſori, Vratislauia Vpſaliam euocato, iique poſt ipſius obi-

tum Academiae ceſſerunt. Runicos characteres primus fundendos curauit Ioh. Thomae Agriuillienſis Buraeus, qui libellum alphabetarium litteris Runicis cum interlinearibus Suecicis, bis edidit, *Stockholmiae* nimirum *a. 1611.* et *Vpſaliae a. 1624. in 8.* Hi poſtea itidem Vpſalienſem ad Academiam peruenere. Noui, iuſſu Regio, anno 1706. Lubecae ſunt confecti. Acceſſerunt, Guſtauo Adolpho imperante, typi Ruſſici ciuium cauſſa, in confinio terrarum Moſchicarum degentium. Singulare omnino eſt, quod ex IOH. BAAZII *Hiſt. Eccleſ.* p. 539. obſeruat CELSIVS *l. c. p.* 18. ſcilicet Ieſuitas, temporibus Sigiſmundi Regis, de euertendis omnibus in Suecia officinis typographicis, ac ſpeciatim Stockholmenſibus, cogitaſſe, ne harum ope cum veritate Euangelica Ieſuiticae fraudes vulgo detegerentur, vel, quod addit Baazius, ne excuderetur Concilii Vpſalienſis decretum de ſacris Pontificiis, ex regno exſtirpandis. Nouiſſime lucem vidit *Stockholmiae a.* 1756. CAROLI FR. MENANDRI Oratio Suecica *de typographia in Suecia* cuius quidem iniecere mentionem *die Götting. Anzeig. von gel. Sach. a.* 1757. *P. LXXVI. p. 744.*

Luiſitanis artificium, typographicum, haud dubie Iudaeorum opera, innotuit *a.* 1491, quo *Vlyſſipone* Pentateuchus Ebraicus *in f.* prodiit, ſucceſſitque iſti Volumini aliud, Proiphetas priores Ebraice continens, *Leiriae a.* 1494. Vid. MAITTAIRII *Ann. typogr. Tomo IV. p.* 530. et *p.* 570. Quaenam fuerit apud *Danos* typographiae origo, Schediaſmate quodam hiſtorico *de typographiae natalibus in Dania Hafniae a. 1707. in 4.* oſtendiſſe ſcio LAVR. TERPAGRVM. Cuius quidem vſu iam careo; interim ad manus eſt ALB. THVRAE *Idea Hiſtor. litter, Danorum*, vbi *P. I. cap. II. p.* 239. *ſq.* de typographeis Danorum breuiter, pro inſtituti ratione, diſſeritur. Primum typographum Hafnienſem Auctor nominat Godofr. de Ghemen

men, eumque circa annum 1493. vſque ad annum 1508. artem ſuam tractaſſe docet. Cf. *Danske Magazin Vol. IV. p. 28.* Hoc noſtro ſaeculo, quod idem THVRA obſeruat, floruerunt ibidem officinae *Lauerenziana*, *Wielandiana*, *Schmitgeniana* et *Hoepffneriana*.

Regnum *Poloniarum* accepit typographiae beneficium ab Ioh. Hallero, Germano haud dubie, quem veriſimile eſt rem didiciſſe apud Koburgerum, typographum Norimbergenſem. Inſtruxit autem Hallerus officinam *Cracouiae*, ſocietatemque iniit cum Ge. Stuchs, ex Sultzbach, ac deinde cum Caſp. Hochfedero, qui antea Norimbergae idem negotium tractauerat. Initium rei factum videtur exeunte ſaeculo XV. Certe *Miſſale* quoddam, vel ſub finem huius, vel in limine ſequentis, per Hallerum *in 4. mai.* editum eſſe, Clar. IANOZKI adſerit in *der Nachr. von raren Pohlniſchen Büch. P. IV. p. 101.* et *p. 106.* Tota haec Pars libros continet officinae Hallerianae, quam anno 1527. adhuc floruiſſe, patet ex *Epiſtolis* SENECAE *in 4*, ibidem *p. 184.* memoratis. Ipſe Hallerus fuit etiam Senatus Cracouienſis Conſul. In dicta vrbe alius vixit ab anno circiter 1530. typographus, Matthias Scharffenberg, cuius officina, per integrum fere ſaeculum, pulcherrime ſtetit, nec ſolum inter celeberrimas optimasque regni numeratur, verum et cum tam inſigni Halleriana de palma certare potuit. Exſtant *Oeconomicorum* ARISTOTELIS *libri, Graecis et Latinis annotationibus ſuis locis illuſtrati*, editore Georg. Libano, Lignicenſi, *a.* 1537. *in 4.* per Scharffenbergium typis impreſſi, quod Opuſculum primum librum Graecum, in Polonia euulgatum, eſſe credidit Chriſt. Gottlieb Friſius, Saxo. Isque propterea *Miſcellaneis Lipſienſibus Menckenianis*, *Vol. V. p. 367. ſq.* ſub ficto IOH. BOGVSLAI PROSCCHOWSKI nomine *Notitiam libri*

Ccc ccc c 2 *Graeci,*

Graeci, omnium primi in Polonia typis excuſi inſerendam curauit. Perſuaſum ſibimet hoc Frilius habuit auctore IANOZKIO, qui tamen *l. c. P. V. p.* 195. candide fatetur errorem, quandoquidem iam *anno* 1535. *in 8. Carmina* SIBILLAE ERYTHRAEAE per Florianum Vnglerum, ex Bauaria oriundum; *annoque* 1536. PHOCYLIDIS verſus Graeci per Hieron. Victor *Cracouiae* prodierunt. Vid laudatus IANOZKIVS *dicto loco p. 187.* et *p. 200. ſq.* Porro ibidem partibus ſuis praeclare functus eſt Matthias Wirzbieta, typographus Regius, cuius officina typis non inelegantibus inſtructa fuit; libri maxime Polonici ſatis nitidi comparent, quos non minus ſtudium in corrigendis mendis, quam charta commendat. Anno 1590. adhuc nomen eius occurrit. Adiungendus merito Lazarus Andreae, Polonice Andryſowic, primus auctor egregiae typographiae, quae *Lazari* adpellatione. itemque *Architypographiae Regiae et eccleſiaſticae* celeberrima eſt. Cum Antwerpienſi Plantiniana eam comparat IANOZKIVS V. C. *l. c. P. I. p. 32.* Succeſſit patri Iohannes Lazarus Ianuſſouius, qui demum officinam hanc in ſummo perfectionis gradu collocauit, adeo quidem, vt, STAROVOLSCIO iudice, in *Scriptor. Polonic. Centuria, artic. XCVI.* cum praeſtantiſſimis exterorum certare auderet, Polonas vero penitus ſuperaret omnes. Mortuus eſt a. 1613. Pauci exſtant libri nomine ipſius inſigniti; profecti tamen ab eius ſunt induſtria, quibus illud: *ex officina Lazari* ſubiectum. Non vulgarem etiam locum inter typographos eruditos, ob ſcripta complura, meretur. *Samoſcii*, in Ruſſia rubra, maxime commemorabilis eſt typographia Academica, cui ſub finem ſaeculi XVI. ac inſequentis initium laudabiliter praefuit Martinus Lenſcius. Non iniucundum erit, legere hic verba IANOZKII *l. c. P. V. p.* 213. Ita vero ille *num. XLVI*, quo *Inſtitutionem Chri-*

ſtianam

ſtianam, anno 1593. *in 8. mai.* a Lenſcio Gaece excuſſam, producit, *das ſchöne Papier*, ait, *vnd die prächtige Buchſtaben, geben dieſem Werckgen, welches auch von allen Feblern aufs ſorgfältigſte gereiniget worden, ein ſo groſſes Anſehen, daß es denen am allerbeſten gerathenen auswärtigen Griechiſchen Drucken den Vorzug ſtreitig machen kann. Vberhaupt hat ſich Lenſci durch ſeine ausnehmende Geſchicklichkeit, vnd recht bewundernswürdigen Fleiß, in Bewerckſtelligung Lateiniſcher und Griechiſer Wercke bey Inn- vnd Auslaendern ſo groſſen Ruhm vud Beyfall erworben, daß man kein Bedencken getragen ihn den vollkommenſten Meiſter in der Buchdruckerkunſt*, dem Aldo Manutio, *an die Seite zu ſtellen. Es iſt aber auch nicht genug zu bedauren, daß mit dieſem werthen Manne die edle vnd höchſt nützliche Wiſſenſchaft, Griechiſch zu drucken, in dem Koenigreiche Polen gleichſam zu Grabe getragen worden.* Plura de aliis typographis, quos Sarmatia habuit, bene multis congeſta fuere a IOH. DANIELE HOFFMANNO in Comment. *de typographiis, earumque initiis et incrementis in regno Poloniae et magno Ducatu Lithuaniae, Gedani a. 1740. in 4.* Obſeruat quoque vir doctus *p. 68.* ſaeculo XVI. chartam, et typos librorum longe praeſtitiſſe iis, qui poſterioribus impreſſi temporibus ſint: multumque ſtudii poſuiſſe in libris adcurate proferendis typographos, quod recentiores admodum neglexerint. *Noſtra vero aetate*, pergit, *iam multo nitidius et elegantius imprimuntur libri, qui ex typographia Collegii Piarum Scholarum Varſauienſis, et Collegii Societatis Ieſu Poſnanienſis prodeunt in lucem.* Controuerſiae, a Religioſis Scholarum Piarum Collegii Varſauienſis, Collegio Varſanienſi Societatis Ieſu de iure publice imprimendi, his noſtris temporibus, illatae, breuiter indicantur in *den Leipz. gel. Zeit. a. 1749. p.* 58. *ſq.* Atque haec hactenus de Polonia.

Ad *Ruſſos* peruenit ars typographica ſub Iohanne Baſilio II. qui anno 1584. occubuit. Petierat is a Carolo V. Romanorum Imperatore, anno 1548. Auguſtae Vindelicorum comitia celebrante, vt ex Germania concederet ipſi aliquot Theologos, Ictos, Architectos, aliosque omnis generis artifices. Non igitur alienum a vero, inter hos exſtitiſſe quoque typographos, quorum peritiam et induſtriam cognitam habebat legatus Iohannis Baſilii, Ioh. Schlittius. Robur opinioni accedit teſtimonio STEPH. IOH. STEPHANII in *Hiſtoria Danica de rebus Chriſtiani III. ad ann.* 1550. vbi leguntur ſequentia: *Inter haec perlatae ſunt in Daniam litterae magni Muſcouiae Ducis, Ioh. Baſilidis, quibus de raritate opificum, quo ſuo imperio ſubiectae ditiones laborarent, conqueſtus, a Chriſtiano Rege trasmitti ſibi petiit variorum operum artifices, quorum confertam multitudinem Danicas incolere ciuitates fando comperiſſet. In primis ſe delectari fatebatur* admirando illo librorum procudendorum artificio, *cuius exquiſita ſcientia callentes operas aliquot*, ceu nouas colonias, *in Ruſſiam deduci poſtulauit.* Caet. Quamquam vero Senatus Lubecenſis artifices in Germania conductos prohiberet, quo minus nauigiis in Lioniam ad fines Ruſſiae traiicerent; clam tamen id a quibusdam, ac ſpeciatim typographis, factum fuiſſe, docet CHRISTIAN. KELCHIVS in *der Lieflaendiſchen Hiſtorie, Rudolſt. a.* 1695. *in* 4. *Parte III. p.* 189. *ſq.* Et certe gentem rudem barbaramque religione atque artibus manſuetioribus imbuere geſtiens Princeps acuti ingenii, officina typographica commode carere non poterat, nec ante quieuit, quam talis Moſcuenſi in oppido inſtitueretur. Prodierunt exinde, ſecundum Ruſſorum antiquam chronologiam, anno mundi 7072. ſeu, vt nos deſcribimus tempora, anno 1564. poſt Chriſtum natum. Primum *Euangelia*, *Acta Apoſtolorum*, et alia

et alia. Poſtea, bellicos inter tumultus, irrumpentibus in vrbem Polonis anno 1611. exeunte menſe Martio prelum, cum aedificiis plurimis, conflagrauit. Hoc ſaeculo de re typographica optime meritus eſt Petrus Magnus, nec eam ſolum reſtituit Moſcuae, verum etiam Petropoli, Academiae fundamentum poſiturus, officinam condidit nouam, inſigniterque inſtructam. Libri, quos eadem inde ab anno 1728. dedit, vsque ad annum circiter 1740, recenſentur omnes in *Actis Erud. Latinis*, *anno 1741. p. 246. ſq. m. Aprili.* Quam vero eleganter exacteque prodierint, cum ex Sermonibus in primo Academiae conuentu a. 1725. recitatis editisque, tum ex Commentariis eius luculenter conſtat. Caeterum haud ego negare auſim, profeciſſe me hoc loco ex ADAMI HENR. LACKMANNI *Annalibus tyogrgraph. Hamb. a. 1740. in 4. Cap. IX.* quod inſcriptum eſt: *incunabula typographiae Moſcouiticae, p. 87. ſq.*

De hiſtoria huius artis apud *Turcas* notatu digniſſima ſunt, quae ex THOMAE SMITH, Angli, *Miſcellaneis* repetita fuere in *Act. Erud. Lat. a. 1687. p. 96.* Transſcribam potiora. Quum anno nimirum 1627. Calogerus quidam, ſeu Monachus, Nicod. Metaxa, prela, typos, et reliquum rei typographicae adparatum Conſtantinopolin aduehendum curaſſet, cui Cyrillus Lucaris, Patriarcha Conſtantinopolitanus libellum ſuum de fide doctrinaque Eccleſiae excudendum tradiderat, Ieſuitae, a noua hac typographia dogmatibus ſuis apud Graecos non exiguum detrimentum metuentes, omnem lapidem mouerunt, funditus vt eam euerterent. Quo quidem conſilio alium quendam Cyrilli librum, apud Anglos iam pridem editum, in quo diuinitatem Chriſti contra Iudaeos et Mahumedanos adſeruerat, Vezirio, ſeu ſummo militiae Turcicae praefecto, obtulerunt, ipſique perſuadere ſunt conati, et Al-

corani religionem, et Graecorum obſequium, a typographicis iſtis machinis periclitari. Atque his calumniis haud difficulter effectum, vt praeclara iſthaec ſupellex typographica a Ianizariis prorſus diriperetur. Hoc autem noſtro ſaeculo, ſuperatis, quae a Pontifice ſummo, *Mufſti* dicto, obiectae fuerant, difficultatibus, inde a ſex et triginta circiter annis triumphali quadam felicitate non ſolum in vrbem Conſtantinopolitanam, ſed in ipſum etiam Imperatoris palatium introducta eſt typographia beneficio magni Vezirii, Ibrahim Pacha. Cf. HEVMANNI Progr. *Gottingae a. 1728.* editum *de aurora Muſis amica*, *Conſtantinopoli nuper orta*, quod poſtea inſertum *Poecil. Tomo III. p. 295. ſq.* Singularem poſtea Commentationem *de origine ac progreſſu artis typographicae apud Turcas* promiſit IOH. CHRISTIAN. CLODIVS olim in Acad. Lipſienſi Profeſſor Arabicae linguae; ſed nihil de hoc argumento eius eſt ex ſcriniis profectum. Vid. *die Leipz. gel. Zeit. a. 1733. p. 311.* Vnum inter primos, qui Conſtantinopoli *anno 1728. in 4.* lucem adſpexere, recenſent Collectores *Act. Erud. Lat. a. 1731. p. 115.* Addantur, ſi iubet, *die Leipz. gel. Zeit. a. 1730. p. 305. ſq.* vbi et chartae typorumque nitor laudatur, item *p. 313.* nec non *anno 1736. p. 134.* His iam pridem notatis, atque nunc meis ex ſchedis deſcriptis, lego in *Catalogo Biblioth. Bunanianae, Tomo I. Vol. I. p. 671.* Diario quodam Olomucenſi, *anno 1747. in 8.* publicato, cui titulus: *Olmütziſche monathl. Auszüge alter vnd neuer gelehrt. Sachen*, et quidem *Vol. I. P. 6. p. 438. ſq.* inſertam ab erudito quodam homine Notitiam eſſe *vom Vrſprung der zu Conſtantinopel errichteten Buchdruckerey, nebſt einem Verzeichniß derer daſelbſt gedruckten Bücher.* Praeter opinionem etiam in CELSII *Hiſt. Bibl. Regiae Stockholm. p. 195. ſq.* ſingularem de typographia Turcica Obſeruationem deprehendere contigit. Non in omnium libellus

amoenus

amoenus verſatur manibus, ideoque praecipua exinde ſubiiciam. *Iudaeos*, ait doctiſſimus Celſius, *Conſtantinopoli libros Ebraicos typis olim excudiſſe, res eſt notiſſima. Primum poſt vtiliſſimae artis inuentionem librum, cui titulus* Lectio paruulorum, *h. e.* Lexicon Ebraicum, *heic anno 1488. prodiiſſe, auctor eſt* WOLFIVS *in Biblioth. Ebraea, T. II. p. 1367. Officinam aliam typographicam, eamque ſumtuoſiſſimam pariter et elegantiſſimam, ante centum, et quod excurrit, annos ſub auſpicio Cyrilli Lucaris, Patriarchae Conſtantinopolitani, heic inſtruere parauit Nicod. Metaxa!, Monachus Graecus, ſed ſucceſſu ob Ieſuitarum molimina irrito. Anno 1726. prodiit Conſtantinopoli libellus manu exaratus* de typographicae artis vtilitate, *cuius auctor*, IBRAHIM EFFENDI, *praeter Orientis linguas Latinam etiam callebat. Anſam iſte liber praebuit magno t. t. Veziro*, IBRAHIMO PACHA, *Viro litterarum amanti et curioſo, et conſilium Sultano, Achmedi III, ſuggereret de inſtruenda Conſtantinopoli officina typographica libris Turcicis excudendis. Conſultis itaque ſummo Sacerdote*, (Mufti *appellant*,) *caeteriſque, quorum reſponſa in arduis rebus heic magni habentur, quum nulli non probarent hoc inſtitutum, Sultanus priuilegium inſtaurandae eiusmodi officinae Ibrahimo indulſit. Is accitis e Germania artium fuſoriae et impreſſoriae peritis, eo ſucceſſu hoc in negotio verſatus eſt, vt decem annorum interuallo maioris etiam molis libros, ſat nitide impreſſos, imo Geographicis aliiſque tabulis, aeri affabre inſculptis, ornatos ediderit. Hos iam in Bibliotheca Regia, ſi paucos exceperis, conſpiciendos, maxime ex Ibrahimi ipſius et Legatorum illuſtrium transmiſſa Relatione, horum cum*

 indultu,

indultu, *recenſebimus*. Tum peragit hoc Celſius, atque XVII. libros profert, ad annum vsque 1735. Conſtantinopoli euulgatos. Tandem vero *p. 205*. memorat, Ibrahimum Effendi typographiam dicto anno adhuc direxiſſe, quinque ſuis adiutum filiis; caeteros enim operarios exteros, quos ab conatus initia e Germania adſciuerat, gliſcente rebellione ſibi proſpexiſſe fuga: mirumque videri poſſe, indigenas Turcas artem omnem, etiam fundendi typos, tantillo temporis interuallo perdidiciſſe. *Iam autem*, addit, *totum hoc inſtitutum in irritum cecidiſſe*, *Res publica litteraria*, *et ſanctior Eccleſia*, *iure merito indignatur*. Contigit hoc menſe Sept. anni 1730. quo ingentes turbae Conſtantinopoli ſunt ortae, cuius quidem rei meminit LVDEWIGIVS in *den gelebrten Anzeigen*, *Vol. I. p. 177*. vbi ſic ſcribit: *So viel iſt gewiß*, *daß bey dieſem Aufruhr alle Druckereyen zerſtöret vnd zernichtet*, *auch dem neuen Groß-Sultan auferleget worden*, *ſolche nicht wiederum anrichten zu laſſen*, *ſondern*, *gleich den falſchen Müntzern*, *die Buchdrucker anzuſehen*. *Wobey man auch die gedruckte Türckiſche Bücher alle verbrannt vnd in die See geworfen*. Cf. praeter LESSERVM in *typogr. iubilante p. 100. ſq.* (qui tamen, poſt hoſce tumultus, typographicum apud Turcas ſtudium haud fuiſſe ſuppreſſum contendit,) *die Europ. Fama*, *Parte CCCXXXIII. ad ann. 1731. p. 752. ſq.* Hac occaſione, quum typographiae apud Iudaeos iniecta ſit mentio, non eſt ſilentio praetermittendum, plura huius argumenti obuia eſſe in BARTOLOCCII *Biblioth. Rabinica*, *Tomo I. p. 432. ſq.* et CHEVILLERII Tract. *de orig. typographiae p. 264. ſq.* ad quos Scriptores prouocat FABRICIVS *Bibl. Lat. Vol. I. p. m. 886.* His vero nouiſſime acceſſit IOH. CHRISTOPH. WOLFIVS *Bibl. Ebraeae Tomo II. p. 941. ſq.* cuius Notitia, vt in *Act. Erud. Lat. a. 1722. p. 199.* confirmatur, de typographiis Iudaicis, ac de libertate

tate imprimendi libros ſuos, Chriſtianas per ditiones, conceſſa Iudaeis, nec non Index alphabeticus locorum, in quibus libri Iudaici ſunt typis exſcripti, plenior eſt vtique, quam vsquam alibi reperiri poterit. De typographia *Dyrenfurtenſi*, in Sileſia, quae auctorem habuit R. Sabathaeum, Ioſephi filium, virum inter Chriſtianos non minus, quam populares ſuos, ob ingenii monumenta notiſſimum, legi merentur, quae memoriae prodidit, haud adiecto nomine ſuo, CHRISTIAN GOTTLIEB VNGERVS in *dem Neuen Büicherſaal der gel. Welt*, *Vol. I. p.* 691. itemque *Vol. II. p.* 91. *ſq.* Oppidulum Dyrenfurtum quatuor plus minus milliaribus a Vratislauia diſtat, in eoque anno 1690. typographica haec officina Sabathaei ſumtibus atque curis primordia cepit. Peruenit poſtea ad filium eius natu maximum R. IOSEPHVM, et adhuc anno 1711. floruit. Cf. idem Auctor *l. c. p.* 106. *num.* 13.

§. XXVII.

Abſoluta nunc de artis typographicae initiis ac progreſſu hiſtoria, varios iuuabit librorum, ſaeculo XV. typis impreſſorum, Indices cognoſcere. Primus, ni fallor, hac in re conatus IOH. SAVBERTI fuit, quippe qui *Hiſtoriae Bibl. Norimbergenſis p.* 116. *ſq.* ſubiunxit Catalogum librorum, proximis ab inuentione typographiae annis vsque ad annum 1500. editorum, et in Biblioth. Norimberg. exſtantium, vna cum typographorum nominibus. CORNEL. A BEVGHEM idem fecit, *anno*que 1688. *in 12. Amſtaelodami* luci expoſuit *Incunabula typographiae*, ſiue Catalogum librorum Scriptorumque, proximis ab inuentione typographiae annis, vsque ad annum 1500. incluſiue, in quauis lingua editorum. Duo exſtant Opuſculi, minutis typis impreſſi, exemplaria, ſed non niſi titulo diſſimilia, quorum alterum longiorem,

rem, alterum breuiorem habet. Auctor, bibliopola diligens doctusque, Graeuii et Almeloueenii ſuaſu id laboris ſuſcepit, non tamen vbique ſatis eſt adcuratus. Errauit STRVVIVS, aliosque ſimul abduxit, quum adſereret olim, hoc ex libello nomina antiquiorum typographorum cognoſci poſſe. Eos enim non indicaſſe Beugheminum, recte monet BÜNEMANNVS in *Notit. Scriptor. art. typogr. illuſtrant. p.* 12. In LIRONII *Singularitez hiſtoriques et litteraires, Pariſ. a.* 1740. *in* 12. *Tomo IV. p.* 513. *ſq.* legitur Obſeruatio, auctore LE BERCEAV, *de l'Imprimerie, ou Additions et Remarques ſur le livre de* BEVGHEM, *intitulé:* Incunabula typographiae. Aliis quibusdam neglectis ad MICH. MAITTAIRIVM procedo, qui anno 1747. Londini octogenarius deceſſit. Condidit is *Annales typographicos* ampliſſimos, ab artis inuentae origine, vsque ad annum 1664. Quatuor Opus molis haud exiguae Volumina implet. Primum *Hagae Comit. a.* 1719. alterum *a.* 1722. tertium *a.* 1725. quartum *Amſtaelodami*, apud Petr. Humbert, (in quem ius vendendi Operis translatum fuerat, ideoque in quibusdam exemplaribus Tomi III. iam nomen ipſius, cum *anno* 1726, adparet,) *a.* 1733. *in* 4. excuſum eſt. Vltimus hicce Tomus, ex mente Auctoris, non niſi prioris Supplementum eſt, at bibliopola, ſuo arbitrio, inſtitutum mutauit, atque illum Tomi I. auctius et emendatius editi elogio inſigniuit. Multa in his Supplementis occurrunt, quae iam in Tomo I. iisdem verbis ſcripta exſtant. *Anno* 1741. *Londini* ſucceſſit Tomus V, in binas, vt caeteri, ſolo priore excepto, Partes diuiſus, atque Indices in totum Opus complectens. Rarius id hodie comparari poteſt integrum, cuius rei cauſſas exponit BAVMGARTENIVS *Vol. VII. p.* 186. *der Nachr. von einer Hälliſchen Bibliothec.* Idem et antea *Vol. VI. p.* 416. *ſq.* copioſius diſſerit de labore Maittairiano.

Cf.

Cf. etiam *die Critiſche Biblioth. Vol. IV. P. 3. p.* 193. *ſq.* Honorifica vtique de eo eſt virorum doctorum ſententia, quos inter vel vnum nomino FRIDER. OTTON. MENCKENIVM. In *Miſcellan. Lipſ. nouis, Vol. VI. p.* 119. haec ſunt eius verba: *Commune dudum hoc eorum, qui harum rerum ſatis ſunt periti, iudicium fuit, miram ac plane in auditam in conficiendis his Annalibus induſtriam conſumtam, remque pene incredibilem videri, ab vno homine, quantumuis diligenter id agente, tantum acquiri diuitiarum, tantum rerum abditiſſimarum protrahi ex latebris, tantum euigilari in re parum grata, potuiſſe.* Nihilo tamen minus, vberrimam poſt meſſem, haud contemnendum aliis ſpicilegium reliquit perattentus Scriptor. Complures certe operam dederunt, vt, quae effugerant viri docti induſtriam, innoteſcerunt eiusmodi rererum cupidis. Recenſebo hos eo ordine, quo vnus ſubſequutus eſt alterum. Primum credo tribui locum debere IOH. GE. SCHELHORNIO, cuius *Additamenta ad Mich. Maittairii Annales typographicos* reperiuntur in *Miſell. Lipſ. Petzoldian. Tomo XII. p. 66. ſq.* Vix prodierant haec, quum VAL. ERN. LOESCHERVS exhiberet *Incunabula typographiae reuiſa, cum Supplementis Maittairianis.* Vid. eiusdem *Stromateus p.* 134. et *p.* 238. *ſq.* (Vſus his eſt Maittairius in IV. Annalium Tomo.) Sub hoc ipſum quoque tempus ſuas contulit ſymbolas IOH. HENR. VON SEELEN, cuius nimirum *Selectorum litterariorum Specimen XVI. vsque ad XX.* Supplementum complectitur ad MAITTAIRII *Annales*, ex libris Lubecenſibus concinnatum. Emiſit haſce ſchedas *Lubecae a.* 1724. et 1725. *in* 4. ac deinde partem eſſe voluit *Selectorum litterariorum p.* 547. *ſq.* Noua SCHELHORNIVS Supplementa ex Bibliotheca Kraffriana dedit *Amoenit. litter. Tomo III. p.* 123. *ſq.* Talia etiam acceſſerunt ex Bibliothecis publicis Lipſienſibus LEICHII libro ſing. *de orig.*

et

et increm. typographiae Lipſienſis p. 126. ſq. Eodem anno, quo Leichianam accepimus collectionem ſcilicet 1740. Vir hodie apud Helmſtadienſes illuſtris, FRANC. DOMINICVS HAEBERLINVS, *Vlmae in 8.* exire iuſſerat *Deſignationem librorum quorundam, ab inuenta typographia ad annum vsque* 1500. *excuſorum, excerptam ex Catalogo Bibliothecae Krafftianae, variis obſeruationibus ſtipatam, et ita adornatam, vt ſupplementi loco ad Maittairii Annales typographicos haberi queat.* Huc porro ſpectant CAR. CHRIST. HIRSCHII *librorum, ab anno primo vsque ad annum quinquageſimum ſaec. XVI. typis exſcriptorum, Millenarii quatuor, Norimb. a.* 1746. 1748. et 1749. *in* 4. publicati, in quibus vel minuta ſedulo conquiſiuit Auctor doctiſſimus. Interim exemplum hoc laude non indignum excitauit etiam FRID. OTTON. MENCKENIVM, maiore vt indicaret adparatu *Decades VI. librorum, haud ita diu ab inuenta arte typographica editorum, quibus ſuppleri poſſint Annales typographici Maittairiani.* Vid. *Miſcell. Lipſ. noua, Vol. VI. p.* 114. *p.* 308. *p.* 524. *p.* 695. et *Vol. VII. p.* 137. *p.* 272. *p.* 688. itemque *Vol. VIII. p.* 534. et *p.* 692. *ſq.* Tandem eiusmodi *Supplementorum* Specimen quoddam ad MAITTAIRII *Annales*, a MICH. FRID. QVADIO concinnatum, obuium eſt in *der Berlin. Biblioth. Vol. III. P.* 1. *num.* 1. Num adhuc prodituri ſint Annales typographici antiquiſſimorum librorum Germanicorum, quos molitus eſt olim GOTTSCHEDIVS V. C. mihi plane ignotum. Meminit ipſe inſtituti huius in *Parte VII. p.* 314. *der Geſchichte der Koenigl. Academie der ſchoenen Wiſſenſch. zu Paris.* Paeter hos autem, qui opus praecipue Maittairii locupletandum ſuis opibus curarunt, alii ſunt in promtu, quorum honeſto otio Notitiam antiquisſimarum editionum debemus. CHSIST. GOTTLIEB SCHWARZII *Index librorum, ſaeculo XV. impreſſorum,* quatuor in Partes diuiſus, locum ſuum obtinuit in

Actis

Actis Francon. erud. et curioſ. Vol. I. p. 551. *p.* 687. *p.* 795. et *Vol. II. p.* 83. *ſq.* Nouus eiusdem *Index librorum, ſub incunabula typographiae impreſſorum,* ornat *Partem VI. der nützlichen Arbeit. der Gelehrt. im Reich, p.* 469. *ſq.* Libri paſſim aſteriſco notati fruſtra, quaeruntur apud Maittairium. Generatim de talibus cimeliis litterariis inſpici merentur: VFFENBACHIVS in *Bibl. ſuae vniuerſalis Tomo II. Adpendice II.* quae ſiſtit Catalogum librorum, primis ab artis inuentione annis vsque ad annum 1533. typis exſcriptorum, hisque *p.* 113. *ſq.* ſuccedit Additamentum veterum non nullarum editionum, quibus nulla vel loci, vel temporis, nota adiecta, inter primas omnium merito referendarum, cum Spicilegio quarundam aliarum veterum editionum; CHRIST. GOTTHOLD WILISCHII Catalogus editionum ab anno 1466. ad a. 1500. in Bibliotheca Annaebergenſi exſtantium, qui eſt inſertus eiusdem *Arcanis Bibliothecae Annaebergenſis p.* 298. *ſq;* LACKMANNVS *Annal. typogr. Cap. XII. p.* 105. *ſq.* vbi libros antiquos et rariores, maxima ex parte ab aliis praetermiſſos, erudite recenſet; IOH. PAVL. ROEDERVS in *Catalogo librorum, qui ſaec. XV. Norimbergae impreſſi ſunt, Norimb. a.* 1742. *in* 4; IOS. ANT. SAXII *Catalogus, chronologica ſerie digeſtus, librorum, qui Mediolani editi fuere, ab a.* 1465. *vsque ad a.* 1500, isque ſequitur ipſius *Hiſtoriam litterario-typographicam in Tomo I. Biblioth. Script. Mediolanenſium,* ab ARGELATO adornatae. De pluribus, quos conſulto praetermiſi, videatur *Catal. Bibl. Bunav. Tomo I. Vol.* 1. *p.* 671. *ſq.* Caeterum vero his omnibus pleniora daturus erat IOH. GOTTLIEB KRAVSIVS, Profeſſor Vitembergenſis, ſi procraſtinare ſupremum vitae diem licuiſſet. Meditatus eſt profecto, congeſtis per multas annos, quae ipſi videbantur vtilia, multorum voluminum Opus, *Annales* nimirum *artis typographicae,* eius ab ortu, ad annum vsque 1520.

Quo de inſtituto iam in *Nouis litterariis Latinis a.* 1719. *p.* 128, vbi Maittairiani Operis iniecerat mentionem, haec ſcripſit: *Methodus tractandi vtcunque ferri poteſt; puto tamen commodiorem eſſe eam, qua ego vti ſtatui meis in Annalibus typographicis, in quibus colligendis, concinnandisue aliquod iam annos verſor. Qui dum augeantur et abſoluantur, cupio vt ingens, quod ſperare nos iubet, operis ſupplementum, vna cum indicibus huic libro valde neceſſariis, in lucem quam proxime producat Maittairius.* Cf. SEELENII *Selecta litter. p.* 690. *edit. ſecundae.* Poſt obitum Krauſii hae eius ſchedae, beneficio Ioh. Guil. Hoffmanni, peruenerunt ad IOH. CHRISTIAN. WOLFIVM, qui in Praef. *Monumentis typographicis* praemiſſa locupletatas easdem ac perpolitas, cum Catalogo celebriorum typographorum, ſe propediem editurum eſſe, liberaliter promiſit. At viginti annorum interuallum, quo fruſtra exſpectauimus hoſce Annales, indicio eſt, ni fallor, vel bibliopolam deſiderari promtum paratumque, vel conſilium interea mutaſſe Editorem.

§. XXVIII.

In Hiſtoria typographica multum conducere, ſi ſciamus cuius ex officina libri prodierint, luculenter comprobant, quae antea de praeſtantioribus typographis dixi. Nec tamen ex addito ſolum eorum nomine hoc intelligitur, propterea, quod haud raro nullum aut officinae, aut loci, vbi liber excuſus eſt, praemiſſum adiectumue nomen adparet. Tunc ſane id poſſumus ex Inſignibus perſpicere, quibus typographi vti plerumque conſueuerunt. Cuicunque igitur haec nota ſunt, is facillimo negotio pronunciabit, ſitne libri editio Manutiis, Stephanis, Wecheliis, an Oporinis, Gryphiis, Plantinis,

tinis, vel aliis typographis tribuenda. *Optarim ego,* (en! LILIENTHALII verba in *Conſult. de Hiſtor. litter. certae cuiusdam gentis ſcribenda, p. 173.*) *vt curioſus quidam ſigna omnium in vniuerſum typographorum accurate deſcripta, aerique inciſa, vna cum fundamento illorum exhiberet, detectis inſimul omnibus, quotquot ſub ſignis mentitis libros ſuos imprimere auſi ſunt. Eiusmodi enim notitia, praeter ſummam iucunditatem, inſignem etiam in re libraria praeſtaret vſum.* Quae in votis ante quinquaginta annos habuerat Lilienthalius, ea nunc, aliqua ex parte, praeſtita fuere ab ORLANDO in *Origine e Progreſſi della Stampa*, quippe qui *p. 228. ſq.* quinque tabulis ligneis inciſa repraeſentat ſigna ſeu emblemata, quibus veterum typographorum libri diſtinguuntur: reliqua vero, paullo maiora, ordine exponit alphabetico, ſimul obſeruans, quosdam variis ſubinde ſignis vſos, prout eadem vel haereditate, vel emtione, acceperant, item ſi contulerant ſe in ſocietatem; aliosque, ab antiquitate remotiores, veterum ſigna, quo hederam editionibus ſuis ſuſpenderent, adſciuiſſe. Vid. *Acta Erud. Lat. a. 1724. p. 103.* Eandem rem inter noſtros, feliciore non nihil ſucceſſu, adgreſſus eſt FRID. ROTH-SCHOLTZIVS, eruditus bibliopola Norimbergenſis. Collegit is ediditque *Norimb. et Altorfii a. 1728. in f.* Inſignia bibliopolarum et typographorum aere expreſſa, ab incunabulis typographiae ad noſtra vsque tempora, quae abſoluuntur Sectionibus VIII. Poſtea continuauit inſtitutum vsque ad Sectionem quinquageſimam, omnesque *a. 1730.* inſtructae fuerunt hoc titulo vniuerſali: *Theſaurus Symbolorum ac Emblematum, i. e. Inſignia bibliopolarum et typographorum,* caet. Praemiſſa IOH. CONR. SPOERLII Differt. epiſtolica ad Editorem, quae eſt *introductionis loco in notitiam Inſignium typographicorum, eodemque anno in 4.* ſeparatim prodiit. Acceſſit etiam GE.

ANDR. VINHOLDI Progr. *de quibusdam Notis et Inſignibus bibliopolarum et typographorum.* Mors deinde Rothſcholtzianos conatus interrupit: alioquin plures adhuc Sectiones addidiſſet Vir induſtrius. Cf. *Acta Francon. erud. et curioſa*, *Vol. II. P.* 18. *p.* 517. et *P.* 22. *p.* 894. *ſq.* In HAGERI et GESNERI *Buchdruckerkunſt und Schriftgieſſerey* paſſim reperiuntur quoque typographorum celebrium Inſignia, aere expreſſa. Quod ad Spoerlii Diſſertationem attinet, ea non immerito laudatur in *Actis Erud. Lat. a.* 1731. *p.* 340. *ſq.* Ante oculos mihi eſt editio formae quadripartitae, in qua, praeter plura lectu digna, maxime placet *p.* 6. obuia de GEORGII DRAVDII *typographico Diſcurſu experimentali* Obſeruatio. Librum hunc *Francof. a.* 1625. *in* 8. editum eſſe, cum praecipuorum typographorum, illorum in primis, quorum impenſis libri in lucem prodeunt, Inſignibus, quae frontiſpiciis librorum imprimere conſueuerunt, eorundemque expoſitionibus coniecturalibus, adſeuerarunt A MALLINKROT, LIPENIVS in *Bibl. philoſophica*, STRVVIVS, REIMMANNVS, et, qui horum ſequuti fidem ſunt, complures. *Sed ego non ſum*, ita, SPOERLIVS *l. c.* ſcribit, *credulus his auctorum, caetera ſatis illuſtrium, dubiis relationibus. Manet ſua Mallinkroto, et Struuio, manet Reimmanno ſua celebritas, qui hunc nobis nuncium confirmarunt. Attamen eruditiſſimi etiam viri, quoad homines manent, humani nihil a ſe alienum putabunt. Allegarunt omnino librum, quem nunquam adſpexerant, quem vidiſſe ſe nemo adhuc ex vero profiteri potuit. Tu certe, vir per eximie*, (intelligitur Rothſcholtzius) *ante aliquot iam annos publice omnes librorum poſſeſſores in nouis litterariis Lipſienſibus, vt quis Draudium oſtenderet, ſed fruſtra, rogaſti.* IOH. ADAM. BERNHARDVS, *qui Diſcurſus Draudiani, tamquam reuera editi, mentionem aliquando fecerat, errorem iam ipſe agnoſcere coepit, et, quo gaudet candore,*

in

in peculiaribus adTe, Rothſcholtzium ſuum, exaratis litteris ingenue confeſſus eſt, ſe Struuium Reimmannumque duces ſequutum, confidentius, quam par erat, fabulam iſtam narrauiſſe, maxime, quum alius quidam ex ipſius amicis certiorem ipſum faceret, quaſi legiſſet librum, parum olei auctorem operaeque in eundem impendiſſe. Nolo plura deſcribere, quae huc omnino ſpectant. Sufficit, mea quidem ſententia, cognouiſſe ex Spoerlio, quod iure meritoque locus inter libros editos denegandus ſit Draudiano huic, de quo hucvsque diſſerui. Cf. BÜNEMANNI *Notitia Script. art. typogr. illuſtr. p. 19.* vbi ſub finem haec: - - *fictam et nullam huius libri editionem credunt Vffenbachius et Spoerlius. Et recte. Ego vel poſito pignore adfirmare audeo, Draudii hunc foetum nunquam fuiſſe in lucem editum.* Forte nec manu exaratus idem exſtat; ſolent enim quandoque in Catalogis nundinarum Francofurtenſibus et Lipſienſibus annunciare libros ſuos eruditi, de quibus componendis adhuc ſolliciti ſunt. Sic et nondum euulgatum eſt, abſolutum tamen, MICH. ROETENBECCII, Medici olim Norici, Volumen, in tres Partes diuiſum, quorum prior emblemata typographorum Germanorum, altera Gallorum, tertia Italorum exhibet. Fuſius id Volumen, quod adſeruatum tunc temporis eſt in Ioh. Iacobi Baieri, Medici illuſtris, Bibliotheca, deſcribitur a SPOERLIO *p. 12.* Idem paullo poſt meminit cum Diſſertationis *de ſignis typographorum*, quam prelo paratam habuerit GODOFR. BALTH. SCHARFFIVS, Miniſterii Suidnicenſis in Sileſia Senior, tum ſingularis Commentarii eodem de argumento, in quo adornando IOH. CHRISTIAN. KOCHIVS fuerit occupatus. At neutrum horum ſcriptorum euulgatum eſt typis. Incunabula Inſignium typographicorum laudatus Auctor, SPOERLIVS, *p. 22.* in a. 1462. collocat, quo Fauſti Schoefferique Inſignia Bibliis

 Lati-

Latinis acceſſere. Talia toti typographorum Societati, priuilegii iure, indulſiſſe dicitur Fridericus III. Rom. Imperator, typothetis ſcilicet aquilam bicipitem, typographis autem Gryphum, pilam tinctoriam tenentem, (*zwey auf einander geſetzte Buchdrucker ballen*,) in galea aperta coronata. Vid. FVGGERI *Oeſterreich. Ehrenſpiegel*, editore BIRCKENIO, *Norimb. a. 1668. in f. lib. V. cap. 2. p. 529.* itemque MART. SCHMEITZELII *hiſtoriſche Vnterſuchung von dem von Kayſer Friedrich dem dritten der ſämtlichen Buchdruckergeſellſchaft ertheilten Wappen*, quod ſcriptum, nullis argumentis ſolidis commendabile, obuium eſt in *den Oeffentlichen Iubelzeugniſſen der Hälliſchen Buchdrucker*, *a.* 1740. *p.* 265. *ſq.* Aeri haec Inſignia inciſa conſpici poſſunt apud SPOERLIVM *p. 3.* et elegantius in *dem geprieſenen Andencken von Erfindung der Buchdruckerey, Lipſ. 1740. in 4. pagina vltima.* Valde tamen vereor, vt hiſtoriola haec iuſto fundamento careat. Fuggerus nulla eam auctoritate corroborauit, nec alibi reperire licuit Friderici III. Diploma, typographorum gratia exaratum. Auget dubitationem annus 1440, quo id factum eſſe cum Fuggero contendunt varii, quos miror fidenter, atque ſine adcuratiore examine, rem non adeo liquidam certamque tetigiſſe. Interim eius etiam iniecere mentionem CHRIST. HENR. TROTZIVS in *notis ad* HVGONEM *de prima ſcribendi origine*, *p. 585.* et IOH. DAV. KOELERVS in *der Deutſchen Reichshiſtorie p. 387.*

§. XXIX.

Merentur vtique typographi, ſi probe ſint artis ſuae periti, et ad eam excolendam procliues, poſterorum commendari memoriae; longe tamen illuſtrior in Hiſtoria litteraria iis eſt locus attribuendus, qui ſimul exquiſita doctrina politi fuerunt. Atque horum plures praeterita tulit aetas, quam noſtra.

Non

Non pauci iam ſunt ſupra producti, quos inter varii ſcriptis quoque elegantibus, quantum valerent ingenio, declararunt. Pertinent huc MANVTII, STEPHANI, BADII, DOLETI, OPORINI, CRISPINI, COMMELINI, MORETI, RAPHELENGII, CAXTONI caet. In MALLINKROTI Diſſ. *de ortu et progr. artis typgr. Caput. XIV.* totum agit hoc de argumento; exhibet quippe *typographorum aliquot, doctrina excellentium, Nomenclaturam.* Quidam exinde finxerunt parum cauti ſingularem Tractatum *de typographis eruditis.* Vid. BÜNEMANNI *Notit. Script. art. typogr. illuſtr. p. 39.* Sic et typographos doctos magno numero recenſuere PAVL. PATER in Diſſ. *de Germaniae miraculo, typis litterarum, Cap. V. de Viris litterarum et typorum gloria claris* inſcripto, nec non LESSERVS in *Typogr. iubil. Cap. VII. p. 295. ſq.* Atque ex his ſcriptis vnum alterumue, nondum abs me vel memoratum, vel in hac parte laudatum, repetere animus eſt, partim obſeruantiae cauſſa, quam talium hominum debemus meritis: partim vt rubor typographis hodiernis incutiatur, quorum plerique vix legere Latinas litteras poſſunt, ne de aliis linguis dicam. Certe nunc typographus, more antiquo eruditus, rara eſt auis, nigroque ſimillima cygno. Haec velut in trânſitu. Quod autem ad typographos priſci aeui doctrina claros attinet, aurem primus vellicat ANDREAS FRISNERVS, ex Wundſidelia, Variſcorum oppido, oriundus, qui homo, vt erant tunc tempora, egregie eruditus, Norimbergae in officina Iohannis Senſenſchmidii ab anno 1473. Correctorem librorum egit, poſteaque cum eodem ſocietatem iniit typographicam, libroſque excudit. Lipſiam, vbi liberalia ſtudia iuuenis tractauerat, primoſque acceperat in Philoſophia honores, anno 1479. ad obeundum Theologiae docendae munus euocatus, triennio poſt faſces Academicos geſſit. LESSERVS

 p. 308.

p.308. ſupellectilem ſuam typographicam ſecum Lipſiam aſportaſſe Friſnerum adſerit, quod vero libros ibidem impreſſerit, verbis diſertis pronunciare non audet, rectiusque id forſitan negatur. Cf. HAGERI *Nachr. von den Buchdruckern in Leipzig*, praemiſſa GESNERI *Buchdruckerkunſt vnd Schriftgieſſerey p. 84. ſq.* et LEICHIVS *de orig. et increm. typogr. Lipſ. p. 4.* quo loco vir, in aetatis flore exſtinctus, hac de re ita ſcribit: *Animum inducere non poſſum, vt credam, eum* (Friſnerum) *inter negotia, quae his muneribus coniuncta ſunt, imprimendis libris vacare potuiſſe, nec vllus ex iis, omni adhibita induſtria, hactenus reperiri potuit.* Legantur autem, quae poſtea reſpondit HAGERVS *l. c.* P. III. *p. 46. ſq.* IOH. LAZARVM IANVSSOVIVM, Polonum iam *ſ. XXVI.* in typographorum ſcriptis clarorum numero collocaui. SIMON MILLANGIVS anno 1572. Burdigalae, vt ſupra memoraui, typographiam inſtituit, fuitque homo doctiſſimus, atque mechanica in arte mirandum in modum exercitatus. De ipſo MALLINKROTVS *l. c. p. 744.* apud WOLFIVM *Parte I.* ſequentia tradit: *Cum multis annis Collegii Guiennenſis, ſiue Aquitanici, rectorem magna laude egiſſet, poſtquam compulſus eſſet illam ſpartam ſuam Patribus Soc. Ieſu, quorum Collegio vnitum deinceps fuit, concedere, ſuaſu ſuorum typographico negotio animum applicuit, et officinam, quae inter Galliae deinceps praecipuas cenſeri meruit, inſtaurauit, correctioni librorum, quos vberrima foetatione ex illa procreauit, iugiter intendens.* Cf. etiam ZELTNERI *Correct. in typographiis eruditor. Centur. p. 362. ſq.* GVIL. MORELIVM Pariſiis typographum Regium ſaeculo XVI. aliquamdiu exſtitiſſe, ſupra *ſ. XXII.* eſt obſeruatum. Scripta eius recenſentur in *Lexico eruditorum Ioecheriano.* Admodum honorifice meminit huius viri THVANVS *Hiſtor. libro XXXVI. ad annum 1564. p. m.* 325. et his quidem verbis: *Gulielmus Morelius propria*

pria induſtria, *et in aliena iuuanda rei litterariae ſedulam*, *quam diu vixit*, *operam nauauit*, *et accurata linguae Graecae peritia meruit*, *vt cum Hadrianus Turnebus*, *grande noſtri ſaeculi ornamentum*, *typographiae regiae Graecae*, *quam*, *vt publico prodeſſet*, *minime dedignatus fuerat*, *in regiorum profeſſorum collegium cooptatus*, *cura ſe abdicaſſet*, *et quaereretur dignus tanto munere ſucceſſor*, *a Turnebo ipſo nominaretur*, *integrumque nouennium edendis innumeris libris*, *ac praecipue Graecis*, *conſumſit*, *ac tandem eleganti admodum Demoſthenis editione adornata laboribus confectus Lutetiae defecit XI. Kal. Mart.* Hanc Demoſthenis tamen editionem nitidam rariſſimamque, anno 1558. inchoatam, poſt obitum demum Morelii *anno 1570. in f.* abſolutam eſſe a ſucceſſore eius in matrimonio, Ioh. Benenato, docet GOETZIVS *Vol. II. p. 258. der Merckwürd. der Königl. Bibl. zu Dresden.* Cf. TEISSIERII *Eloges des Hommes ſavans*, *tirez de l'Hiſt. de Mr. de Thou*, *Tomo II. p. 174. ſq. edit. noui.* Omnium, quae peperit ingenium Morelianum, leuiſſima eſt *Tabula compendioſa de orig. ſucceſſione*, *aetate*, *et doctrina veterum Philoſophorum*, de qua copioſius diſſerit HEVMANNVS *Actor. philoſoph. Vol. III. p. 439. ſq.* Ornauit itidem typographiam Regiam Pariſienſem CONRAD. NEOBARIVS, quem doctrina paucis ſecundum dixit HENR. STEPHANVS in *Epitaphiis doctorum quorundam typographorum.* Graecam potiſſimum linguam ſibi familiarem reddiderat, nimis mature autem Operibus pulcherrimis intentum rapuit mors, cumque ipſo Muſis ſpem haud ſane vulgarem. Louanii floruit eodem ſaeculo XVI. RVTGERVS RESCIVS, ICtus, primusque in Collegio Buslidiano trilingui Profeſſor linguae Graecae. Poſtea celebre illic aperuit typographeum, ex quo v. g. THEOPHILI *Paraphraſis Inſtitutionum Graeca anno 1536. in 4.* exiit. Vid. MYLII *Hiſtoria Theophili Cap. V. §. 3.*

 Obiit

Obiit a.1545. GEORG. RHAVVS, Cantor antea ad D. Thomae apud Lipſienſes, venit deinde, religionis cauſſa, Vitembergam, ac typographicam ſibi officinam comparauit, in qua complura Melanchthonis Lutherique ſcripta edita fuere. Ipſe compoſuit libros non nullos, theologici, arithmetici ac muſici argumenti, annoque 1548. Senator et typographus Vitembergenſis vitam cum morte commutauit, teſte ZELTNERO in *der Lebensbeſchreibung Hanns Luffts p.* 37. Argentoratum habuit MATTHIAM SCHVRERIVM, liberalium Artium Maigſtrum, magnumque Eraſmi amicum. Initio totum ſe litteris conſecrauerat, *anno*que 1501. *Grammaticam nouam Latinam in 4.* GRANARII vſus nomine publicauerat. Tum vero, typographus factus, optimos et ſelectos antiquitatis libros, numero haud paruo, prelis ſuis ſubiecit. Primitias officinae anno 1508. eſſe voluit ATHANASII Opuſculum *in Pſalmos*, *Enchiridion Epicteti*, *Tabulam*que CEBETIS. Vid. SCHOEPFLINI *Vindiciae typograph. p.* 108. Exſtat ad illum ERASMI Epiſtola, quae inter caeteras libro vltimo finem imponit. In ea duplici hominem effert laude. Partim enim teſtatur, quod pro non vulgari eruditione ſua ad imprimendum ea deligat, quae litteris vero ſint ornamento: partim ſignificat, quod ingenuo quodam erga eas amore eruditorum potius ſtudiis, quam ſuis conſulere ſcriniis gaudeat, hoc agens vnice, vt libros quam optimos, quam emendatiſſime excuſos in lucem emittat. Pariſiis etiam, ob doctrinam et artis typographicae peritiam, ab anno 1536. vsque ad annum 1547. inclaruit LVDOVICVS TILETANVS. Libros praecipue Graecos tam belle adcurateque typis impreſſiſſe dicitur, vt non niſi perpauca in iis reperiri menda queant. Multas erudite ſcripſit epiſtolas, quod Maittairii auctoritate adſerit LESSERVS *p. 341.* Idem ſtatim ſubiungit popularem Tiletani, FRANC. TISSARDVM,

SARDVM, qui primum in patria, tum apud Italos, litteris humanioribus et iurisprudentiae dedit operam, ac Bononiae ſummos in iure vtroque honores recepit. Sic decoratus rediit Lutetiam Pariſiorum, et anno 1507. typographiam condidit, typosque introduxit Ebraicos, rem Gallis nondum vſitatam. His addo tandem ERNESTVM VOEGELINVM, typographum Lipſienſem, IOACH. CAMERARII teſtimonio ſatis honoratum, quippe qui *Epiſtola 6. libri II. p. 116.* Ge. Sigiſm. Seldio Conſiliario Caeſareo, haec anno 1564. ſignificat: *Eſt apud nos vir cum litterarum doctrina non vulgariter inſtructus, tum ingenio valens, et ſtudio induſtriaque ſpectatus, Erneſtus Is officinam exprimendi libros typis chalcographicis inſtituit. Adhibet autem multo maiorem et delectum edendorum ſcriptorum, et in elaborando diligentiam, quam vulgus eorum, qui modo quaeſtum iſtum frequentant, facere conſueuit. Atque in apparando pene fortunas facultatesque ſuas omnes conſumſit. Tantum autem abeſt, vt conatus ipſius adiuuentur a bibliopolis, vt, neſcio qua inuidia, horum ille etiam iniquitate non parum prematur.* Ambit Camerarius deinceps, Voegelini nomine, Seldii patrocinium in petendo iure priuilegii Caeſarei. BERN. WOIEWODKA, typographum ac praetorem Cracouienſem ſaeculi XVI, HOFFMANNVS *de typographiis Poloniae et Lithuaniae p. 10.* virum litteris probe exculum vocat. Ante tria circiter luſtra DOMINIC. MARIA MANNIVS, Italus, meditatus eſt Vitas typographorum eruditorum, Symbolis litterariis Gorianis inſerendas, vti perſpicimus ex *Actis Erud. Lat. a. 1749. p. 641.* ſub finem. Sed mors, opinor, Gorii conatibus obſtitit. Hoc eſt certum, a Mannio nuper ſeparatim editam fuiſſe Aldi Pii Manutii Vitam, alibi iam productam. Forte nunc Auctor clariſſimus, quo bene coepit, pede progreditur.

§. XXX.

Subit animum quoque, in his occupatum rebus, cogitatio typographeorum domeſticorum, quae illuſtres atque eruditi Viri ſuis comparata ſumtibus priuatos intra parietes habuere. Singulari olim opella pertractare hocce argumentum conſtituerat ZELTNERVS. Vid. *Centuria Correctorum eruditorum p. 50.* Mortuo eo, frater, GVSTAVVS GEORG. ZELTNERVS, ſpem fecit harum ſchedarum poſtumarum, luci exponendarum. Neque tamen perfecit deſtinata, ipſe anno 1738. viuis ereptus. Interim talium officinarum priuatarum exempla complura collegerunt LESSERVS *Cap. III. p. 87. ſq.* et LACKMANNVS *Annal. typogr. Cap. VIII. de typographeis domeſticis, et typis priuatorum, p. 28.* vsque ad *p. 87.* Seligam ex binis his ſcriptoribus bonam eiusmodi exemplorum copiam, additis quibusdam, ab iis haud obſeruatis. Vtar autem, vt ſaepe alias, ordine alphabetico. Familiam ducat PETR. APIANVS, vulgo ab apibus *Bienewitz* nominatus, Mathematum Profeſſor Ingolſtadienſis, ſaeculo XVI. clarus. Excudit ille *Inſcriptiones ſacro ſanctae vetuſtatis totius fere orbis, Ingolſt. a. 1534. in f.* ne de aliis dicam. Initio Inſigne ipſius typographicum erat puer trochleam torquens; poſtea vero quam Caroli V. Imp. auguſti beneficio equeſtris dignitatis ornatus titulo eſſet, ex illo etiam tempore ſuis iſta Inſignia equeſtria libris adpoſuit. Vid. CHRIST. GOTTLIEB SCHWARZII Progr. *de Vita Petri Apiani*, ad quod prouacat SPOERLIVS *Introd. in notit. Inſign. typograph. p. m. 31.* Pataiii quondam Cardinalis BARBADICI typographeum domeſticum ſe adiiſſe memorat MONTFAVCON in *Diario Italico p. 79.* Ibi, quae ipſa eius verba ſunt, characteres omnis generis Graeci, Latini, Ebraici, Arabici, Armenici, caet, peculio eiusdem confecta erant, nihilque vnquam intermiſit, quo flagrabat Cardinalis

lis rei litterariae, praeſertim eccleſiaſticae, amore, ad eam promouendam. Sub prelo tunc ſudauit *Alcoranus* MARACCII, poſtea abſolutus. Apud Hungaros WOLFG. COMES DE BETHLEN aulae in Transſyluania Cancellarius, ſaeculo XVI. illuſtris, priuatam habuit typographiam, eius in arce *Koereſſ* collocatam, ex qua prodierunt libri ipſius X. *Hiſtoriarum Pannonico-Dacicarum*, cuius operis maximam raritatem *T. I. cap. 4. §. 22. num. 12.* iam indicaui. TYCHO BRAHE, Eques Danicus inſigni Aſtronomiae peritia celeberrimus, quum liberalitate Friderici II. Regis Danorum obtinuiſſet inſulam Huennam, Helleſponti Danici, poſtea cum tota Scania Suecorum inditionem redactam, eandem Vraniburgi typographica quoque officina exornauit. Et ne vllam commodi partem neglexiſſe videretur, molendinum papyraceum ad littus maris conſtituit, quae ſuppeditaret typographiae papyrum, difficulter tunc in Germania conquirendam. Typographo vſus eſt Braheus Chriſtoph. Weida, qui ab anno 1588. aliquos ipſius Tychonis libros excudit. Mortuo Friderico II. apud quem tanta valebat gratia, ſubito rerum laetiſſimarum facta mutatio eſt. Etenim relinquere Daniam coactus vir optimus, (vide hic mali originem exponentem HVETIVM *de rebus ad eum pertinentibus p. 90. 91. edit. Amſt.*) primum cum familia Roſtochium traiecit, mox autem in Holſatiam anno 1597. ſe recepit ad Henr. Rantzouium, ad finem ſuum, qui eum in arcem, quam poſſidebat, *Wandesbeck*, vel *Wandesburg*, inuitauerat. Semeſtre igitur, et quod excurrit, ſpatium apud Pro regem iſtum Cimbricum iucunde moratus eſt, nec obſeruationes tantum aſtronomicas continuauit, ſed et evocauit Hamburgo, cui vicinum Wandesbeckium, Philippum de Ohr, typographum, vt is deuectam Huenna officinam in praedio Rantzouiano ſuſciperet.

ret. Cuius quidem conatus noui primitiae fuerunt TYCHONIS BRAHE *Aſtronomiae inſtauratae Mechanica.* In fine libri maioris formae haec leguntur: *Impreſſum Wandesburgi in arce Rantzouiana, prope Hamburgum ſita propria Authoris typographia, opera Phil. de Ohr, Chalcographi Hamburgenſis, ineunte anno 1598.* Paullo poſt Pragam conceſſit ad Rudolphum II. Imperatorem, ibique diem ſuum obiit anno 1601. Plura ſingularia de typographia Braheana, ipſoque eius auctore, diſſeruntur in *Danske Magazin, Vol. II. a Sectione 18.* vsque ad *Sect. 24. p. 161. ſq.* qui locus commendari omnio debet linguae Danicae non ignaris. Aedificium *Vraniburgum*, eleganter aere expreſſum, *ibidem p.* 257. conſpici poteſt. Caeterum add. MOLLERVS *Cimbriae litter. Tomo II. p.* 104. De BOVRIGNONIAE, feminae fanaticae, typographica officina, quam ſecum portare conſueuerat, repetas, quaeſo abs me obſeruata *Cap. IX.* §. 17. GEORG. CALIXTVS, Theologus Vniuerſitatis Iuliae, typographeum inſtituit ſuo aere, atque Henning. Müllerum eidem praefecit. *Anno 1658. Helmſt. in* 4. prodiiſſe noui GE. CALIXTI *ſcriptorum, in typographeo Calixtino edendorum, Catalogum.* Praemiſſa eſt Frid. Vlrici, filii, ad Lectorem admonitio; iam enim a. 1656. e vita deceſſerat pater. Cf. Viri celeberrimi, GVIL. CHR. IVSTI CHRYSANDRI *Diptycha Prof. Theol. Helmſtad. p. 120.* Ex priuata ERH. CELLII, Profeſſor Tubingenſis, typographia exierunt *Tub. a.* 1596. *in* 4. *Imagines Profeſſorum Tubingenſium*, quod alibi me dicere memini. Singularem eiusmodi officinam, et linguarum quidem Orientalium, quibus typis tunc deſtituti plane erant clariſſimi Leidenſium typographi, ſibi quoque comparauit THOMAS ERPENIVS, harum linguarum in Academia Lugduno-Bataua Profeſſor. *Diu, quid ageret, incertus, tandem pro ſummo erga Chriſtianum orbem amore, ſumtuum magnitudine minime*

nime territus, typographiam (vt in re noua nomine nouo vocamus) inſtituit, idque lingua non vna: ſed Arabica, Hebraica, Syriaca, Chaldaica, Aethiopica, Perſica, et Turcica. Atque ad heroicum hoc facinus ſtimulos ſibi additos eſſe fatebatur ab nobiliſſimo et clariſſimo viro, Franc. Sauario de Breues, Regi Chriſtianiſſimo a conſiliis, eiusque prius Conſtantinopoli, poſtea Romae, oratore: qui et ipſe typographiam Arabicam Lutetiae Pariſiorum maximis adornare impenſis dicebatur. Haec ſunt GER. VOSSII verba ex *Orat. in obitum Erpenii p. 150.* in *Decade I. Memoriarum Philoſophorum caet. Witteniana.* Specimen huius officinae eſt *Hiſtoria* IOSEPHI, *Patriarchae, ex Alcorano Arabice, cum triplici verſione Latina, et Scholiis* ERPENII, *cuius et Alphabetum Arabicum praemittitur.* Subſcriptum libro: *Leidae ex typographia Erpeniana linguarum Orientalium, anno 1617. in* 4. Apud Brugenſes, poſt medium ſaeculum ſextum ac decimum, inclaruit HVBERTVS GOLTZIVS, homo litterarum humaniorum, reique, numiſmaticae, callentiſſimus. Hic, teſte BVLLARTO in *Academie des ſciences et des Arts, Tomo II. lib. 2. p. 162.* ſuis in aedibus inſignem typographiam inſtruxit, vbi editiones omnes manibus eius tractabantur, et ab illo corrigebantur ſolo, quia alibi menda nolebat in Opera, quae parauerat. Libris enim ſuis vnice deſtinaſſe hanc officinam Goltzium, obſeruat DE LA MANNOYE ad BAILLETI *Iugem. des Savans, Tomi V. Parte 2. p. 66.* Nonnunquam tamen aliorum etiam probatos ſibi libros excudiſſe ipſum, exemplis docet MAITTAIRIVS *Annal. typogr. Tomo III. p. 568.* Excellebat praeterea in caelandi arte, quare numiſmata, in quibus colligendis ſedulus erat, non autem adcuratus ſemper, nitidiſſime manu ſua aeri inſculpſit. Prior operum variorum numiſmaticorum editio *Brugis anno* 1563. *ſq. in f.* eſt ab ipſo ador-

adornata. Poſt Plantiniana ſucceſſit *Antwerpiae a.1645. ead. forma.* ac Tomis V. Forte Plantiniani haeredes typographiam Goltzii tabulasque aeneas coemerunt. Nouiſſime *ibidem a. 1708. in f.* recuſa fuerunt eiusdem *de re nummaria antiqua Opera vniuerſa* totidem Voluminibus. Auguſtae Vindelicorum SIGISMVND. GRIMMIVS, Medicinae Doctor, poſſedit officinam typographicam, in qua exſcripta typis fuere *Euangelia der vier Evangeliſten, auf das claerlichſt aus der neuen translation verdeutſcht, anno 1522. in 12.* Vid. *Catal. Bibl. Bunau. Tomo I. Vol. I. p. 33.* Quam illuſtris fuerit ſaeculo ſuperiori Aſtronomus IOHANNES HEVELIVS, Conſul ſenior Gedanenſis, pauci, credo, ignorabunt. Lucubrationes ſuas, quae ſub manibus erant, vt poſſet eo promtius adcuratiusque in lucem proferre, typographiam ex Belgio, haud exiguis impenſis, adportandam curauit, cui praefuit Simon Reinigerus, Batauus, eo etiam nomine collaudandus, quod in ſideribus obſeruandis illum dominus habuit ſocium attentum et fidelem. Excudit is *Gedani anno 1656. in f. de natiua Saturni facie* Diſſertationem, quae ante oculos meos verſatur, adiecta, ex priſtini poſſeſſoris voluntate, *Selenographiae Heuelianae, ibidem a.* 1647. auctoris aere, typisque Hünefeldianis ſat eleganter impreſſae. Exhibuit poſtea Reinigerus alia Heuelii ſcripta vsque ad annum 1679, quo vix prelo exierat *Machinae Coeleſtis* Pars poſterior. Hic ipſe nimirum annus triſtiſſimus accidit Heuelio, quandoquidem incendio fatali periit omnis ſuppellex typographica, vna cum Bibliotheca, inſtrumentis mathematicis, Obſeruatoriis, ſeptemque aedificiis, tantorum theſaurorum receptaculis. De GVIL. HILDENIO, Gymnaſii Berolinenſis quondam Rectore, BERGERVS in Praef. *Inſtructorio Biblico praefixa p. 5.* ita diſſerit: *Der berühmte Rector Gymnaſii Berol. Guil. Hildenius hat hier ſelbſt gleichfals*

ſals die Druckerey als proper vnd eigen gehabt, vnd beweiſen das ſeine Quaeſtiones vnd Commentarii in Organon Ariſtotelis, cum textu Graeco et Latino integro Part. III. in 4. ſo darin a. 1585. *abgedruckt ſind. Das Papier iſt fein, beyderley Lateiniſche vnd Griechiſche typi ſind niedlich, vnd der Druck von ſonderbarer Accurateſſe.* NICOL. MARESCHALCVS, Eques a patria, Thuringia, Thurius dictus, Roſtochii, vbi Legum Doctor, Hiſtoriarumque Profeſſor publicus erat, typographeo vſu's domeſtico eſt, eiusque curam demandauit Gunthero Wintero, Erfordienſi. Varia is ab anno 1510. vsque ad a. 1523. Mareſchalci Opera euulgauit, v. g. *Annales Herulorum, ac Vandalorum in f.* quibus ſubiuncta haec ſunt titulo: *Impreſſi Roſtochii in aedibus Thuriis, a viro ſolerti, Guntero, cognomento Hyeme, Erphordiano, anno 1521. ad nonas Iulias.* Plura vid. apud WESTPHALEN *Monum. inedit. rerum Cimbric. et Megapol. Tomo I. in Praefat. p.* 23. 24. itemque apud CHRISTIAN. SCHOETTGENIVM in Commentatione, *Dresdae a. 1733. in 4.* excuſa, *de Vita Nic. Marſchalci, Thurii.* Typis eadem repetita eſt quibusdam IOH. PHIL. SCHMIDII Obſeruationibus auctior *Roſtoch.* 1752. *in* 4. Ante aliquot annos officinam typographicam condidit Varſouiae, et in eadem librorum non nihil imprimi iuſſit LAVR. MIZLERVS, Medicus et Conſiliarius Regis aulicus. Talem etiam inſtituiſſe IOH. IOACH. MOLLERVM, Archidiaconum quondam Croſnenſem, intelligitur ex *Nouis litterar. German. anno 1703. p. 249.* Gedani hoc ſaeculo exſtitit typographia priuata PAVLI PATRIS, quem ibidem Gymnaſii Profeſſorem Matheſeos fuiſſe conſtat. Ipſe huius rei meminit in Diſſ. *de Germaniae miraculo, typis litterarum, p. 843. ſq. Tomo II. Collect. Wolfianae.* Ibidem et cauſſas conſilii ſuſcepti fuſius exponit. Pars iſtius ſupellectilis anno circiter 1721. Regiomontum Boruſſorum eſt delata

delata ad Baſil. Coruinum Quaſſovski, Secretarium intimum, qui officinam typorum Moſchicorum conſtituerat. Vid. ARNOLDI *Hiſtorie der Koenigsb. Vniuerſit. P. II. p. 58.* Progredior ad IOH. MVLLERVM, ſiue MOLITOREM, qui, more ſui aeui, a patria Regiomonte, Franconiae oppido, ſe REGIOMONTANVM, vel DE MONTE REGIO, vocauit, praetermiſſo Mulleri nomine. Praeclaris inſtructo doctrinae ſubſidiis, deque illuſtrandis et propagandis diſciplinis mathematicis admodum ſollicito, Norimbergae deliberatum eſt, et veteres quosdam Scriptores, et ſuas Commentationes, in lucem proferre. Conatus autem hi quo felicius ſuccederent, officinam condidit chalcographicam, ſumtus ſuggerente Bernhardo Walthero, ciue Norico, qui et facultates habebat ampliſſimas, et ipſe Matheſeos, ac ſigillatim ſideralis ſcientiae, ſtudia mirifice colebat. Seruauit Bibliotheca Pembrockiana apud Anglos, quae neſcio an adhuc ſuperſit, exemplar *Aſtronomicorum* MANILII, cui addita eſt notatio: *ex officina Iohannis de monte Regio, in Nuremberg, in 4.* Deſideratur annus, quo prodierit; videtur tamen id factum intra annos 1471. et 1473. fuiſſe, adeoque haec princeps foret editio, quum *Bononienſis. in f.* quam plurimi dicunt primam, anno demum 1474. e prelo exierit. Ipſe in operum ſuorum Indice, anno forte 1473. publicato, poſtquam initio memorauerat *Theoricas nouas Planetarum* GE. PVRBACHII, *aſtronomi celebratiſſimi, cum figurationibus opportunis*, et MARCI MANILII *Aſtronomica*, ſubiicit ſtatim: *Haec duo explicita ſunt.* In Purbachii Theoricis nouis laudatur candor chartae, et elegantia typorum, vel characterum Romanorum, non eorundem quidem, at perquam ſimilium iis, quibus Venetiis deinceps, et poſthaec Auguſtae Vindelicorum, vſus eſt Erhard. Ratdolt, Auguſtanus; nec inanis iniectura, Ratdoltum

tum iſtos Regiomontani characteres imitatum fuiſſe. Libri, non niſi folia viginti explentis, ſingulorumque capitum, initia, litteris maioribus condecorantur et capitalibus, variis ductibus, ac floribus quaſi, diſtinctis, vnde et *litterae florentes* adpellatae, ſunt. Paſſim figurae mathematicae accedunt, ligno ſubtiliter inciſae. Taceo alia Opuſcula, e Norimbergenſi Regiomontani typographia edita, nempe *Calendarium* tam Latinum, quam Germanicum, *Dialogum*que *aduerſus Gerardum Carmonenſem*, qui eiusdem errores examinat, in Theorica Planetarum commiſſos. Hunc autem Dialogum ante diſceſſum ex vrbe Norimbergenſi librariis ſuis, i. e. typographiae miniſtris, formandum imprimendumque tradiderat. Etenim a Sixto IV. P. M. emendandi Calendarii cauſſa Romam euocatus, anno 1475. eo ſe contulit Regiomontanus, at inſequenti mox obiit, non ſine ſuſpicione, eum ex inſidiis et arte filiorum Trapezuntii veneno eſſe ſublatum, quod parentis eorum lapſus, in Ptolemaei Theonisque ſcriptis Latine reddendis, obuios non diſſimulauit. Debeo haec omnia induſtriae SCHWARZII, qui *Orig. typogr. Diſſ. III. p. 46. ſq.* de Iohannis Regiomontani meritis in rem typographicam vberrime, quantumque licuit, adcuratiſſime diſſeruit. Cf. BOERNERVS *de doctis hominibus Graecis p. 115.* In Suecia, et quidem Vpſaliae, OLAVS RVDBECKIVS, doctiſſimus ille Antiquitatum Septemtrionalium ſcrutator, et LAVR. WALLIVS, Theol. Doctor atque Profeſſor, Lundini vero Scanorum PETR. WINSTRVPIVS, Profeſſor Theologus et Academiae Cancellarius, eiusmodi typographiis domeſticis itidem inclaruerunt, de quibus et aliis hic non repetendis, exemplis conſulatur ALNANDRI Diſſert. ſupra producta *de arte typographica in Suecia.* Plura, praeter LESSERVM, LACKMANNVS *l. c.* ſuppeditabit, quippe qui

praeclara hoc argumentum induſtria eſt perſequutus.

§. XXXI.

Idem LACKMANNVS *p. 20. ſq.* ſingulari Capite Maecenates typographicae artis recenſet. Poſſunt autem varia exempla, quae viro docto non ſuccurrerunt, facili negotio addi. Pius IV. et Sixtus V. itemque hoc ſaeculo Clemens XI. P. M. quantum ad inſtruendam ornandamque typographiam Vaticanam praeſtiterint, ſupra *ſſ. XV. huius Capitis* enarraui. Merito his accedit Paulus V. quem typograpiam, Arabicis, Syriacis et Ebraicis characteribus bene locupletatam primum Romae inſtituiſſe, ex NATOLINI *Diſcorſo intorno l'arte della Stampa* docet BEYERVS in *Memor. libr. rarior. p. 48.* Inter Imperatores Romano-Germanicos Ferdinandus I. Oporinum, typographum Baſileenſem, praecipua complexus eſt gratia, et ut merces eius a vectigali immunes Briſacum, peramoenum ad Rhenum oppidum, vbi portorium Auſtriaci colligunt, praeter veherentur, benigniſſime conceſſit. Fridericus etiam, Palatinus Princeps Elector, Oporini integritatem atque in excudendo induſtriam miratus, Heidelbergam inuitauit eum, vbi quidem res ſuas, non parum imminutas, melius forſitan ſtabilire potuiſſet, niſi dulcedine natalis captus ſoli conditiones alias quam commodiſſimas repudiaſſet. Ita ſcribitur in Oporini Vita apud ADAMVM, *Vitar. Philoſ. Germ. p. m. 247.* De inſigni fauore Ferdinandi, Regis Neapolitani, erga Sixtum Ruſingerum, primum typographum, Neapoli artem ſuam exercentem, dixi iam *ſſ. XX.* Sic et alibi *ſſ. XXV.* ſub finem iniecta eſt abs me Chriſtinae, Suecorum Reginae, mentio, quae Iohannem Ianſſonium, typographum Amſtaelodamenſem, praemiis lautis inuitauit Stockholmiam; item §. *XIII.* Friderici Guilielmi, Ducis Saxonici,

nici, typographiae illuſtris Torgauienſis cauſſa, et Bogislai XIII. Principis Pomerani, cuius auſpiciis atque impenſis praeclara officina typographica Bardi anno 1582. progerminauit. In terris Brunſuicenſibus non hominum tantum eruditorum, verum typographorum quoque, amantiſſimus ante hos centum, et quod excedit, annos fuit Auguſtus, celeberrimae Bibliothecae conditor. Exploratum habeo, quantopere immortalis memoriae Principi placuerit officina *Stellarum*, vel *Sterniorum*, eius aetate Luneburgi ac Guelpherbyti inſigniter florens, ex qua, praeter complura alia, prodiit *anno 1646. in 4. mai. die Euangeliſche KirchenHarmonie*, ipſius Auguſti Opus, crebris figuris aeneis pulcherrimum. Latet adhuc in ſcriniis Sternii, ampliſſimi Senatoris, atque typographiae paternae haeredis, magna litterarum copia, quas Auguſtus ad proauum illius, rei librariae cauſſa, quondam exarauit. Nec dubitandum, multa in his eſſe bonae frugis, et luce digna. Alia de Auguſto LESSERVS in *typogr. iubilante p. 406.* refert, neque tamen, vnde haec acceperit, ſignificat. Verba eius ſunt: *Auguſt, Herzog zu Br. vnd Luneburg, legte nicht nur auf ſeinem Schloſſe zu Wolfenbüttel eine eigene Druckerey an, ſondern gab auch denen Buchdruckern viele Freyheiten, vnd beſchenckte ſie mit ſilbernen Knoepfen an die Röcke.* Quae anno circiter 1722. Fuldae refecta eſt typographia, dudum ibidem, velut intermortua, iacens, ea curis debetur atque munificentiae Conſtantini, Fuldenſis Eccleſiae Abbatis, qui primum aulae ſuae typographum eſſe voluit Ioh. Henr. Küſterum. Vid. IOH. FR. SCHANNAT Epiſtola ad Conſtantinum, *Collectioni I. Vindemiar. litterariarum* praemiſſa. Specimen eſt hoc Opus typographici ſtudii Fuldam reuocati. Huc et pertinet Ibrahim Pacha, magnus imperii Turcici olim Vezirius, cuius beneficium, arti huic tributum,

tum, laudaui merito ſ. XXVI, pariterque hodiernus Hiſpanorum Rex, Carolus III, qui, vt publice nuper eſt relatum, Academiam ſingularem condere decreuit, vt excolatur in regno ſuo, laetioribusque incrementis augeatur chalcographia. Duo illi Germani typographi, Schweinheim et Pannarzius, anno circiter 1466. Romae nacti ſunt Maecenates Petr. et Franciſcum de Maximis, quorum in domo prela ſua habuerunt. Vid ſupra ſ. XIV. Inter priuatos gentis noſtrae homines Muſae vetant mori Carol. Hildebr. L. B. de Canſtein, anno 1719. demortuum. Acceptum fert ipſi Orphanotropheum Halenſe inſtitutum, quod ſic LVDEWIGIVS in Praef. ad *Opuſcula miſcella p. 36.* deſcribit: *Debemus hoc aeternae memoriae viri perilluſtris L. B. de Canſtein, - - quod in vernacula noſtra ſacras nunc Pandectas, viliſſimo pretio, emamus, omni litterarum erratione et macula liberatas. Ipſe enim tot litteras, aeri inciſas, coemit, quot abſoluuntur omnes libri Codicis diuinioris. Hae igitur, ſemel diſpoſitae ad exprimendum, has formas retinent deinceps, neque vinculo, quo ſemel cohaerent, porro diſſoluuntur, quum quaelibet pagina typos habet ſibi proprios. Quo fit, vt ſingula tolli queant errata, porro autem errari nequeat, quum nulla litterula de loco, quem ſemel recte occupauit, dimoueatur. Pertinet ſane hoc ad merita Germanorum in orbem litteratum. Eſt enim eius generis inſtitutum omni aeuo ac orbi inauditum, et extraneis haud dubie inſtar portenti.*

§. XXXII.

Praeter Maecenates artis typographicae, Correctores celebriores digni ſunt, quorum honorifica iniiciatur mentio. *Hanc autem correcturae artem*, (inquit MALLINKROTIVS *de ortu ac progr. art. typogr. Cap. XIV. p. 744.* apud WOLFIVM,) *complures olim factitarunt, quorum vel facultates non ferebant, vel voluntas*

luntas et inclinatio non erat, propria inſtituere Typographeia, ideoque aliis potius, quos cura et opera ſua dignos exiſtimarent, diligentiam et eruditionem ſuam impendere maluerunt. Singularem Correctorum in typographiis eruditorum Centuriam, quam ſaepe iam adduxi, collegit ac *Norimb. a. 1716. in 8.* edidit IOH. CONR. ZELTNERVS. Poſt obitum Auctoris liber, emtoribus deſtitutus, *anno 1720.* nouo hoc titulo: *Theatrum eruditorum Correctorum* inſtructus eſt, ſolamque Zeltneri vitam praemiſit ROTH-SCHOLZIVS. Vid. *Catalogus Biblioth. Rinckianae p. 865.* quo et loco rectiſſime ſcribitur: *De ſollicitis Correctoribus, ac libros accurata imprimendi ratione, agit: ſed nullum vnquam ſcriptum mendis deformius ac praeſens apparuit.* Addo paſſim interſerta eſſe, quae ab inſtituto ſunt aliena, quod ideo forte Auctori placuit, ne nimis ſterilis videretur tractatio. Continuationis quidem et emendatioris editionis ſpem fecit in *Vita Ioh. Lufftii p. 73.* frater, GVST. GE. ZELTNERVS; euentus tamen haud reſpondit conatui. Non exiguum interim, poſt meſſem, ſpicilegium obtulit MAITTAIRIVS *Annal. typogr. Tomo I. p. 289.* et *T. IV. p. 108. ſq.* Ex eorum nunc numero, de quibus dictum eſt ab Zeltnero copioſius, quosdam in medium proferre lubet, ne fruſtra hoc loco exempla deſiderentur. Secundum litterarum ordinem primus occurrit STEPH. BERGLERVS, Corona-Tranſſylvanus, qui Thomae Fritſchii commendatione adiutus Lipſia relicta migrauit Amſtaelodamum, ibidemque vitiis typothetarum tollendis operam nauauit in officina Wetſteniana. Editio cum primis HOMERI, quam deſcribunt Collectores *Actor. Erud. Lat. a. 1712. p. 318. ſq.* multum ipſi laudis peperit. Simili perfunctus eſt labore, quum circa idem tempus POLLVCIS *Onomaſticon* a Wetſtenio excuderetur. Quatuor etiam Indices addidit, eosque pleniſſimos. Poſtea

Hamburgum petiit, et Ioh. Alb. Fabricio ſocius fuit aliquamdiu adiutorque in conficienda Bibliotheca Graeca. Tandem vero a Fritſchio, reuocatus Lipſiam de ARISTOPHANE Küſteri, adcuratiſſime publicando, fuit ſollicitus. Caeterum homo fuit moroſus ac difficilis, ſolitudinisque amantiſſimus; itaque non immerito ad infelices eruditos pertinet. Plura de eodem diſſeruit nuper PETR. BVRMANNVS, ſecundus, in Praefat. luculenta, qua ARISTOPHANIS *Comoedias, L.B.a.1762.in 4.* recuſas, inſtruxit. DESIDERIVS ERASMVS, Roterodamus, primum Louanii apud Theodoric. Martinum, doctum typographum, deinde Baſileae in aedibus Frobenianis idem negotium tractauit, caſtigandoque ibi et corrigendo Hieronymi, Ambroſii, Hilarii, et aliorum Patrum Latinorum Volumina, conquiſitis et collatis vetuſtiſſimis exemplaribus inſtructus, temporis haud parum conſumſit. Hanc et operam Venetiis Eraſmum ſuſcepiſſe in officina Aldina IVL. CAES. SCALIGER Oratione priori *contra eius Ciceronianum* adſerit, quod Eraſmus tamen negat, nec niſi ſuis ſcriptis impendiſſe iſtam induſtriam profitetur, teſtante MALLINKROTIO *l. c. p.* 746. FRANC. IVSTINVS, patria Florentinus, ornauit officinam Iuntarum, quibus conſanguinitatis iunctus vinculo erat, curaque inſigni, in emendationibus librorum adhibita, effecit, vt prelum Iuntarum eruditis omnibus gratiſſimum eſſet. Cf. ANTON. POSSEVINVS in *Biblioth. ſelecta p. 245.* Succedat GODOFR. IVNGERMANNVS, cui praeclaram Iulii Caeſaris editionem debemus. Correctorem ipſum egiſſe in typographia Wecheliana, plures eius Epiſtolae docent, praecipue ad Scipion. Gentilem exaratae, quae inter *Gudianas* reperiuntur *p.* 359. *ſq.* Add. BAELII *Diction. v. Iungermann.* De LVDOLPHO KÜSTERO ſcribit ZELTNERVS *l. c. p.* 309. eum bibliopolis ac typographis Amſtaelodamenſibus operam fortem

tem ſtrenuamque, in ornandis et corrigendis libris, praeſtitiſſe. Quod id ipſum PHIL. MELANCHTHON, maximum aetatis ſuae decus Tubingae olim fecerit, clara probant verba CAMERARII in *Vita Melanchthonis p. 16.* Ita vero ille: *Librum hunc* (ſcilicet NAVCLERI *Chronicon* anno 1515.) *exprimendum ſuſceperat Thomas Anshelmus, qui typographicam officinam habebat Tubingae. A quo perfectum fuit, vt et illius ſcripti, et aliorum, quae a ſe ederentur, curam reſpectumque Philippus ſuſciperet, quo prodirent correctiora. Is tunc et in hoc Opere Naucleri partim diſponendo, partim augendo partim etiam retexendo id praeſtitit, vt lectio libri iſtius a plurimis expeteretur, et fructu voluptateque non careret.* Notabile omnino, Philippum eo tempore nonniſi decem et octo annorum adoleſcentem fuiſſe. Laetiorem deinde fortunam expertus eſt quam IAC. LVDOV. STREBAEVS, ex humili familia agri Rhemenſis ortus, qui quamquam primus fere ſaeculo XVI. inuſitatam, et ad illam aetatem turpiſſime neglectam, pure ornateque loquendi rationem Lutetiae induxerat, tamen apud nobiliores huius vrbis typographos mendis operarum corrigendis inops ac debile ſenium ſubleuare coactus eſt, magnoque ſui ſaeculi probro vir tantus in ea ſortis malignitate vitam amiſit. Docet hoc SAMMARTHANVS *Elogior. lib. I. cap. 19.* FRIDERIC. SYLBVRGIVS primum Francofurti Wechelianae, tandem Heidelbergae Commelianae officinae inſigniter profuit. Eius enim cura multa praeſtantiſſima Opera perquam emendate prodierunt. In epitaphio ipſius Heidelbergae, vbi peſte mortuus dicitur, poſito, memoratur, nimiis eum vigiliis ac typographicis laboribus fuiſſe conſumtum. Vid ADAMI *Vitae German. Philoſoph. p.m. 418.* Apud quem typographum PETR. TRECIVS libris corrigendis vacauerit, certum quidem et expeditum non eſt, interim MALLINKRO-

